Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Kortholt

Christiani Kortholti, S. Theol. D. & Profess. Primarii, De Variis Scripturae Editionibus Tractatus Theologico-Historico-Philologicus : Quo de Textu divinarum literarum originario, diversis eius Translationibus, & celebrioribus operibus Biblicis, fuse agitur, quaeque de Scripturarum fontibus, versione LXXvirali, Targumim, ac Latina Vulgata, Card. Bellarminus, huiusque propugnatores, Jacobus Gretserus & Vitus Erbermannus, minus recte disputant, solide refelluntur

Kiloni[i]: Richelius, 1686

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791023583

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ex bibliotheca b. Parent.
comp. 1753.
A. F. D. Aepinus.
9 Bl.

F C — 1029.

F. c. — 1029.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn791023583/phys_0002
DFG

CONTENTA.

1. Christ. Kortholti Tract. de Variis Scripturæ Editionibus.
2. Ejusd. Commentar. de Lectione Bibliorum in Linguis vulgo cognitis.
3. Joh. Frid. Mayeri Historia Versionis Germanicæ Bibliorum D. Mart. Lutheri.
4. Tob. Höpfneri Tabulæ in tota S. Biblia.
5. Joh. Franckii Dissertatio Anti-Abichtiana, pro Genuino usu Accentuum.
6. Ejusd. Artificium Artis Abichtianæ, quo multa Dicta S. V. T. secundum Accentus resolvuntur.
7. Joh. Maurit. Poltzii der Anfang aller Dinge aus der H. Schrifft betrachtet.
8. Ejusd. Das erste Tage-Werck Gottes, so er im Anfang aller Dinge erfüllet.
9. Eines Mit-Helffers (i. e. M. Thom. Haveri) der Kortümische Hiob gegen D. M. L. abgehöret.
10. Gottfr. Wegneri Commentatio de Navigationibus Salomonæis.
11. El. Taddelii Preces Regis Chiskiæ Moribundi, Es. xxxiix. 10.
12. Christ. Gabr. Fischeri Examen der Erörterung der schwersten Schrifft-Stellen im N. T. Theoph. Amelii.
13. Joh. Henr. Thameri Schediasma de Origine et Dignitate Pericoparum Evangel. et Epistol.
14. Jo. Eric. Ostermanni Commentatio de Communi Christianorum Precatione.
15. Joh. Georg. Hunefeldii Dubia Selecta circa Passionem Jesu Christi.
16. Joh. Georg. Dorschæi Discussio Explicationis H. Grotii circa locum Act. XV. 20. de Sanguine et Suffocato.

CHRISTIANI KORTHOLTI,
S. Theol. D. & Profess. Primarii,

DE

VARIIS SCRIPTURÆ EDITIONIBUS

TRACTATUS THEOLOGICO-HISTORICO-PHILOLOGICUS;

Quo de Textu divinarum literarum originario, diversis ejus Translationibus, & celebrioribus operibus Biblicis, fuse agitur, quæque de Scripturarum fontibus, versione LXXvirali, Targumim, ac Latina Vulgata, Card. Bellarminus, hujusque propugnatores, Jacobus Gretserus & Vitus Erbermannus, minus recte disputant, solide refelluntur.

KILONI,
Impensis Johannis Sebastiani Richelii,
Anno clɔ Iɔc LXXXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791023583/phys_0009
DFG

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DN. RUDOLPHO AUGUSTO,

DUCI BRUNSVICENSI AC LUNÆBURGENSI,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

S. P. D.

CHRISTIANUS KORTHOLT, D.
Academiæ Holsatorum Christian-Albertinæ hodie
Pro-Rector, & Collegii Theologici Decanus.

QUi OCTAVII AUGUSTI Cæsaris vitam moresque describit Svetonius, præter varias virtutes alias, ut Justitiam, Lenitatem, Benignitatem, Modestiam, Humanitatem, vel præcipue & hoc in eo commendat, quod

ſtudia liberalia ab ætate prima & cupide & laborioſiſſime exercuerit, in magna quamvis mole rerum & legerit, & ſcripſerit, & declamaverit quotidie, multa varii generis proſa oratione, ligata etiam nonnulla, compoſuerit, ingenia denique ſeculi ſui omnibus modis foverit. Mihi quidem animus non eſt, cum OCTAVIO AUGUSTO nunc TE componere, Sereniſſime Dux RUDOLPHE AUGUSTE, quæque cum Ipſo communes TIBI ſunt, Virtutes omnes perſequi, ut qui haud ignoro, quam invitus laudes Tuas audias: id interim tacere heic non poſſum, in eo AUGUSTUM exacte TE referre, quod, ſublimi conſtitutus loco, nataliumque ſplendore fulgens, ſapientiæ ſtudia infra Tuum illud faſtigium nequaquam æſtimas; imo non unius Auguſti, ſed Philippi inſuper Macedonis, Alexandri M. Julii Cæſaris, Hadriani, Antoninorum, ſimiliumque heroum indolem hocipſo TE exprimere, quibus, tametſi aliis fuiſſent virtutibus deſtituti, vel ſola literarum admiratio, inque viros eruditione pollentes benevolentia, immortalem nominis gloriam peperiſſet. Quin his omnibus eo TE illuſtriorem facit doctrina Tua, Domine, quo excultâ ab illis humanâ præſtantior eſt, in quam TU omni ſtudio incumbis, divina ſapientia. Non accepta aliunde loquor, ſed quæ coram ipſe expertus ſum atq; intuitus, quæ ex colloquiis Tuis, quæ ex tot clementiſſimis literis didici quibus aliquot jam annos me dignatus es. Biblia ſacra unice in amore ac delitiis TIBI ſunt: hæc

ſcru-

ſcrutaris; hæc commentariis illuſtras; de his & coram ſermones, & epiſtolares frequenter συζητήσεις inſtituis: huc denique omnia Tua, ipſa etiam, quibus adeo delectaris, Poëtica ſtudia, refers. ut vere Beatis illis annumerare TE liceat, quorum oblectatio eſt in Lege Domini, quique de Lege illius meditantur interdiu ac noctu: quorum palato ſvaviora melle ſunt præcepta Dei, & qui plus ea diligunt quam aurum purgatiſſimum. Neque vero ita Scripturarum ſacrarum ſtudio duceris, ut in nuda earum notitia acquieſcas; ſed ut Conſiliarii Tui ſint, ceu ſancto olim Davidi, divina teſtimonia, utque obſerves illa ex toto animo, & pedes Tuos ad ea referas. Vix umquam congregationi ſacræ Hamburgi me intereſſe memini, quin TE piorum cœtui admiſtum conſpexerim, Princeps religioſiſſime, & ita quidem conſpexerim, ut maximum illum CONSTANTINUM in TE intueri mihi viderer. Hunc enim ſicut nulla ratione adduci potuiſſe Euſebius memorat, ut ſedens de rebus divinis verba facientes audiret; quod nefas eſſe diceret, ubi de DEO inſtituta ſit oratio, remiſſe ac molliter auſcultare: ſic neque TU aliter quam ſtans capiteque detecto Verbum DEI excipis, Domine; isque mos TIBI perpetuus. Pietatem præterea infucatam ſpirant omnes aliæ actiones Tuæ, omnes ſermones. Ex abundantia cordis os Tuum loquitur. Quæ latent in mente, identidem ad linguam recurrunt. Serioq; teſtor, & ſine adulatione ulla, quod num-

quam TE acceſſerim, quin melior ex converſatione illa receſſerim.

Atque talis cum ſis, Sereniſſime Princeps, non dubitat auguſtum in conſpectum Tuum prodire, Tuoque illuſtriſſimo nomini dicare ſe & conſecrare, meũ hoc de Variis Scripturæ S. editionibus opuſculum. Nec enim diſplicere TIBI poſſe ſat ſcio, aut eſſe ingrata, quæ ad promovendum ſalutare illud ſtudium Biblicum ullo modo faciunt. Accipe ergo paginas iſtas vultu ſereno, ſolitaque me clementia conſtanter complectere; qui non deſinam, dum vixero, & revereri & amare tantum Principem. Sic TE, Dux auguſte, ſalvum diu & incolumem cum celſisſima familia præſtet Numen benignisſimum! Scribo Kilonii Holſatorum, die XI Martii, qui CONSTANTINO in faſtis ſacer, anni ɔlɔ lɔc LXXXVI.

AD

Ad Christianum Lectorem
ADMONITIO.

Ne te turbet forsan, Lector amice, methodi ratio qua in Tractatu hoc meo sum usus, tribus verbis monendum duxi, cum initio manum opusculo isti admoverem, non aliud mihi fuisse propositum, quam examen dumtaxat eorum instituere quæ de Variis Scripturæ editionibus secundo de Verbo Dei libro Bellarminus disputat, lectisque ejus accurate vestigiis, longius in hoc argumento non progredi, quam ipse, ejusque πρόμαχοι, Jesuitæ Gretserus & Erbermannus, præirent: mutasse tamen postea consilium, & in usum Academicæ Juventutis addidisse aliqua de Versionibus Orientalibus quas Bellarminus non attigit. Quod ubi gratum iis fuisse intellexi qui sacra hæc studia æstimant, in iterata hac editione adjicienda censui præterea, quæ tum de Latinis recentiorum translationibus, tum de traductionibus Bibliorum in linguas vulgares, mihi fuere comperta. Quod dum ita præstiti, ut tamen immutatam data opera reliquerim priorum capitum seriem, quibus nempe κατὰ πόδα Bellarminus mihi fuit sequendus, inde factum, ut a disquisitione de Scriptura Hebræa, Chaldæa, & Syra, per interiectam Græci Latinique textus considerationem, utpote illis ab auctore hoc proxime subjunctam, divulsa fuerint quæ de Samaritana ceterisque interpretationibus Orientalibus opere nostro tradimus. Præter hæc, de quibus monendum te existimavi, Christiane lector, unum te volo rogatum amplius: ne scilicet iniquum te statim præbeas censorem, si quando, ubi de Versionibus Bibliorum vulgaribus ago, non semper acu rem tetigi (ecquis enim adeo esset lynceus, ut in argumento tam vario, & ubi aliena sæpius fide oportet niti, nihil ipsum fugeret?) sed candide mecum communices de quibus tibi quam mihi heic constat rectius: ut ita corrigere liceat inposterum, data occasione, commissa forsan in hac editione παροράματα. Ita vale, qualicumque hoc meo labore fruere, & si quid inde fructus collegeris, DEO mecum gratias age.

CON-

CONSPECTUS LIBRI.

I. De scriptorum V. T. temere nimis credito interitu.
II. De Hebraici textus integritate.
III. De Translatione Chaldaica.
IV. De Versione Syriaca.
V. De Versionibus Græcis.
VI. De Interpretatione LXX Seniorum.
VII. De Textu Græco Novi Testamenti.
IIX. De Latinis Translationibus generatim.
IX. De auctore Versionis Vulgatæ Latinæ.
X. De Auctoritate Vulgatæ Latinæ.
XI. De robore invicto argumentorum, quibus Vulgatæ Latinæ auctoritatem avthenticam impugnant Protestantes.
XII. De locis, quæ Chemnitius depravata esse dicit in Vulgata Latina.
XIII. De locis, quæ in Psalmis male reddita esse a Latino Interprete Calvinus contendit.
XIV. De locis Vulgatæ corruptis in Novo Testamento.
XV. De Versionibus Latinis aliis.
XVI. De Pentateucho Samaritano.
XVII. De Versione Arabica & Turcica.
XIIX. De Versione Æthiopica.
XIX. De Versione Persica.
XX. De Versione Armenica.
XXI. De Versione Ægyptiaca s. Copta.
XXII. De Versione Italica.
XXIII. De Versione Gallica.
XXIV. De Versione Hispanica.
XXV. De Versione Germanica.
XXVI. De Versione Belgica.
XXVII. De Versione Britannica & Anglo-Saxonica.
XXIIX. De Versione Danica.
XXIX. De Versione Svecica, Finnica, Lappica, Islandica, Gothica.
XXX. De Versione Polonica, Lituanica, Livonica, Russica.
XXXI. De Versione Bohemica, Hungarica, Slavonica.
XXXII. De celebrioribus operibus Biblicis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791023583/phys_0016
DFG

DE

VARIIS SCRIPTURÆ SACRÆ EDITIONIBUS.

CAPUT I.

DE

SCRIPTORUM V. T. TEMERE NIMIS CREDITO INTERITU.

I.

OCcupatus in quæstione Bellarminus, sub initium libri II de Verbo Dei, utrum Scriptura Sacra universa perierit tempore captivitatis Babylonicæ, quando civitas eversa, templumq; incensum est, ac deinde ab Esdra fuerit rursum reparata, Spiritu sancto ei suggerente & dictante omnia, sicut ante fuerant? *Ita sentire videtur*, ait, *Basilius in Epistola ad Chilonem: Hic campus, inquit, in quo secessu facto, Esdras omnes divinos libros ex mandato Dei eructavit. Hæc ille. Addunt quidam in eandem sententiam Irenæum, Tertullianum, & Clementem Alexandrinum; sed illi non aperte hæc docent.*

Basilius M. an doceat, Esdram de novo restituisse Scripturalibros antea deperditos.

II. Verumenimvero, quod de Irenæo, Tertulliano, & Clemente, affirmat Cardinalis, idem de Basilio quoque non immerito dici posse videtur; nec

 ipsum

ipsum scilicet aperte hoc docere, quod de Esdra persuasum sibi iverunt nonnulli. Verba Basilii sic habent: ἐνταῦθα πεδίον, ἐν ᾧ ἀναχωρήσας Ἔσδρας, πάσας τὰς θεοπνεύστους βίβλους προστάγματι θεοῦ ἐξηρεύξατο. Quæ verti possunt ita: *Heic sita planities, in qua Esdras, reversus* in patriam suam, *omnes divinitus inspiratos libros sonora voce prælegit.* ἀναχωρέω enim sæpe significat *redeo, revertor.* Vide Stephanum in Thesauro. & ἐξερεύγομαι idem etiam est quod *sonora voce pronuncio, eloquutionem instar scaturiginis exuberantis ebullire sino.* Vide Ps. CXIX, 171. CXLV, 7. Matth. XIII, 35. Confer quoque Os. XI, 10. Amos. III, 4. ubi leoni rugienti tribuitur. Videtur ergo respicere Basilius ad historiam Nehemiæ IIX annotatam, ubi, in planitiem, ante portam aquarum, congregatis Israelitis, in eminentiori loco constitutus Esdras sacras literas prælegisse dicitur.

In quæstione de Scriptura deperdita Pontificii non consentiunt.

III. Quidquid autem hujus sit, ad ipsam de Scriptura plane deperdita opinionem quod attinet, eam improbabilem sibi videri ait Bellarminus: cui heic adstipulantur ex Pontificiis illustrioribus alii non pauci, nominatim Card. Baronius ad ann. CLXXX, 12. seqq. Gilbertus Genebrardus libro II Chronographiæ, ad annum mundi clↄ clↄ clↄ lↄ CXXXIIX, Antonius Possevinus in Apparatu sacro, tit. *Biblia*, Benedictus Pererius præfat. Commentarii in Genesin, Augustinus Torniellus in Annalibus, ann. mundi clↄ clↄ clↄ CD XLVII, 4. Leonhardus Marius prolegom. Commentarii in Pentateuchum, quæst. III, sect. I, Cornelius a Lapide in Deuter. III, 14. Jacobus Bonfrerius prolegom. in libros Mosis, Nicolaus Serarius proleg. Biblic.

blic. cap. XII, Marianus Victorius in scholiis ad Prologum galeatum Hieronymi, Martinus Becanus Analogia V. & N. Testamenti cap. I, quæst. IV. Quamquam nec desint ex eadem schola, qui contrarium tueri satagant, uti, v. c. Card. Hosius, in Confessione Petricovienſi cap. LXXX, Sixtus Senensis libro I Bibl. S. tit. *Esdræ libri duo*, & libro II, voce *Henoc*, Leo de Castro præfat. in Esaiam cap. XLIII, aliique.

Salmeronis de ea assertio.

IV. Quin Alphonsus Salmeron, ex novem primis Loyolæ sociis unus, qui & Tridentinæ Synodo Romani Pontificis nomine interfuit, Tom. I. Comment. in N. T. proleg. IX, can. IV, scribere non dubitat, *Esdram Prophetam restituisse omnes libros sacros, qui interciderant tempore captivitatis Babylonicæ, COMMUNEM fere OMNIUM DOCTORUM ESSE CONSENSUM.* Ubi quidem Ebermannus, Salmeronem cum Bellarmino (qui, teste in vita ipsius Fuligatto lib. II, cap. V, Salmeronis Commentarios recognovit ipse ac censuit,) conciliaturus, in suo Bellarmino Vindicato, obvertit, non dicere Salmeronem, Scripturam universam *PERIISSE* tempore captivitatis Babylonicæ; quandoquidem vox *INTERCIDERANT*, qua utitur, non magis significet interitum omnimodum, quam dispersionem & neglectum custodiæ: indeque ipsius dictum bene stare cum sententia Bellarmini; quod scilicet Esdras fuerit instaurator librorum sanctorum, non omnia iterum dictando, sed colligendo & ordinando Scripturas in unum corpus, quarum partes variis in locis invenerat; & etiam emendando, si quæ depravata erant negligentia Scribarum. Verum non sufficiebat hæc nude ita dicere, sed addenda erat probatio.

Erbermannus frustra conciliare nititur Salm. cum Bell. p. 51.

Intercidere quid notet Latinis.

tio. Certe promiscue Latinis usurpari τὸ *perire* & *intercidere*, vel ex eo liquet, quod est apud Tullium in Oratione pro Dejotaro: *PEREANT amici, dum una inimici* INTERCIDANT. Opponi vero *intercidere* & *exstare*, patet ex Plinio, lib. XXXV Nat. Hist. cap. IIX. Si ergo interciderunt Scripturæ tempore captivitatis Babylonicæ, quod affirmat Salmeron, utique non extare potuerunt post illa tempora, & ab Esdra in unum corpus colligi. Sed quale, obsecro, illud est, quod deinde subjungit Erbermannus? Bellarmini *sententiæ*, inquit, *Salmeronem non adversari, colligitur ex ejus loci scopo. Intendebat enim probare, nullum ex libris canonicis periisse; id vero colligit etiam ex eo, quod Esdras restituerit omnes libros sacros. Sive enim id factum fuerit recensendo & colligendo dispersa volumina, sive deperdita de novo dictando, nil facit ad Salmeronis intentum.* Bella videlicet illatio: Potuit Salmeron, probaturus, nullum ex libris canonicis periisse, obtinere quod intendebat, etiamsi non adversaretur Bellarmino in quæstione de omnimodo interitu Scripturarum; ergo Salmeron non adversatur Bellarmino in ea quæstione. Annon idem hoc est, ac si ita colligerem: Potuit Erbermannus, cui propositum erat convitiis proscindere Protestantes, obtinere quod intendebat, etiamsi non oppugnaret Gerhardi Bellarminum ὀρθοδοξίας testem; ergo Erbermannus non oppugnavit Gerhardi Bellarminum ὀρθοδοξίας testem? Certe heic prorsus ἀπ' ὄνου, quod ajunt, delapsus Jesuita, vel ἀπὸ νῦ potius, non intelligit quid loquatur.

Erbermanni inepta Logica.

An integra?

V. Tangit porro Bellarminus heic celebrem istam

istam quæstionem de literis, quibus hodierni Hebræi codices descripti visuntur; sintne videlicet antiquæ illæ & genuinæ, quibus ipse Moses ac Prophetæ in suis libris consignandis usi, num vero ab Esdra demum inventæ? accedensque posteriori sententiæ, *sine dubio*, inquit, *novas literas habemus.* Sed quia ex instituto controversiam isthanc non pertractat Cardinalis, neque nos eidem heic immorabimur. Solum Bellarmino opponimus nunc Collegam ipsius & intimum Card. Baronium; qui, ubi in Annalibus suis, ad ann. CLXXX, 10. seqq. opinionem de Scriptura prorsus deperdita, & ab Esdra divinitus edocto suæ integritati reddita, impugnasset, mox num. XIII subjungit: *Nec rursum, quod ajunt, Esdram literas Hebraicas commutasse, ac proinde non eo charactere, quo olim exarata est lex, post Esdram haberi conscriptam, probatur antiquorum Hebræorum auctoritate. Quod si aliqua ab eo facta est commutatio literarum, de quinque finalibus tantum contigisse potuit. Nam Philo Judæus, & Judæorum dissertissimus, illa ipsa lingua ac charactere, quo antiquitus scripta lex est, sic permansisse semper absque aliqua mutatione usq; ad tempora Ptolemæi Philadelphi, qui eam per Hebræos in Græcum transferri curavit, aperte testatur.* & num. XVII: *Si tot ubique locorum extabant vetera exemplaria, quomodo verum esse potest, alio charactere Esdram curasse sacra volumina scribi; cum non nisi unius characteris esse omnes vetustissimi codices reperiantur, nempe Hebraico antiquo charactere conscripti?* Hæc Baronius: præter quem (ut taceam ex eadem schola alios) Bellarmino quoque heic refragatur celeberrimus ille inque Orientali literatura versatissimus

quibus hodierni codices Hebræi descripti, nova sint & ab Esdra inventa.

Baronius Bellarmino refragatur.

in Vita Mos.

Contradicit

quoque Bell. Kircherus. tissimus Jesuita, Athanasius Kircherus, in Oedipo suo Ægyptiaco, Tomo II, sive in Gymnasio Hieroglyphico, classe II, capite II, disquisitione II.

CAPUT II.

DE
HEBRAICI TEXTUS INTEGRITATE.

I.

Pontificii verius dicuntur odisse editionem Hebræam, quam Protestantes vulgatam Latinam.

Hæretici hujus temporis, ait Bellarminus, *odio editionis vulgatæ, nimium tribuunt editioni Hebraicæ.* Rectius nos: Pontificii, præpostero amore editionis vulgatæ, nimium derogant editioni Hebraicæ. Non oderunt Protestantes (quos Hæreticorum nomine, more Papistico, heic infamat Bellarminus) versionem vulgatam, sed honorifico eam loco habent. *Debetur sua laus*, inquit Chemnitius noster eo ipso loco quem Cardinalis heic citat, *quisquis fuit vetus ille interpres: multa enim sunt non male reddita. Et utile est, extare certam aliquam versionem, quæ in citationibus allegetur: ita tamen, ut vocabulorum emphasis & sententiæ proprietas ex ipsis fontibus judicetur: ad quos omnino recurrendum est, sicubi minus recte, commode, & proprie interpres reddidisse videtur. Hoc modo nos retinemus & usurpamus veterem versionem.* Pontificii contra, saltim plurimi, iique non postremæ classis, ut versioni vulgatæ sua constet, quam Tridentina Synodus ei tribuit, authentia, codicem Hebraicum adeo depravatum esse contendunt, ut ejus, prout hodie extat, nulla amplius sit certitudo, nec

ad

ad ipsius exemplaria, quando de fidei rebus agitur, tuto possit recurri. Ita enim docent, Porchetus in Victoria adversus Hebræos, parte I, cap. II, XV, Augustinus Steuchus, Recognit. V. T. ad veritatem Hebraicam, Franciscus Titelmannus in Collatione super Epistolam ad Romanos, & in Apologia pro veteri Interprete, Johannes Mariana in tract. pro editione vulgata, Jacobus Perez, sive Peresius, Valentinus Hispanus, dictus de Valentia, Episcopus Christopolitanus, præfatione in Psalmos, Wilhelmus Lindanus, Episcopus Ruræmundensis, præfatione libr. de optimo genere interpretandi Scripturas, item lib. I, cap. II, Melchior Canus, lib. II Locorum Theol. cap. XIII, &, qui illum heic sequitur, Gregorius de Valentia, lib. IIX Anal. fidei cap. V; Thomas Stapletonus Relectione princip. fidei doctrinalium, controv. V, quæst. III, art. I, Alphonsus Salmeron, Tom. I Commentar. pag. 29. Antonius Possevinus, lib. II Bibliothecæ selectæ cap. VI, Christophorus a Sacrobosco, Defens. decreti Tridentini de autoritate editionis vulgatæ parte I, cap. III, Hector Pintus, Comment. in Dan. VII, Leo Castrius, tract. de translatione Scripturarum, qui præmittitur ejusdem in Esaiam Commentariis, Domin. Garsias, proœmio propugnac. religionis Christianæ, Jacobus Bonfrerius, præloquio Pentateucho præmisso cap. XIII, sect. III, Blasius Viegas, Comment. in Apocal. I, sect. XII, §. II, Joh. Lorinus, Comment. in II Petri I; 19. Gordonus Huntlæus in Epitome, contr. I, cap. VI, IIX.

II. Sed unde, obsecro, probat Bellarminus suum istud effatum, Protestantes nimium tribuere editioni

tioni Hebraicæ? *Calvinus enim*, ait, *in Antidoto Concilii Tridentini, nec non Kemnitius in Examine ejusdem Concilii, & Georgius Major præfatione in Psalmos, omnia examinari & emendari volunt ad Hebræum textum, quem purissimum fontem non semel appellant.*

III. Verum, si id est nimium tribuere editioni Hebraicæ, nimium eidem tribuisse necesse est Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Cassiodorum, imo ex ipsa Pontificiorum ecclesia Doctores quosdam primarios. Hieronymus quippe, epistola XXIIX, ad Lucinium, *Ut veterum*, inquit, *librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est: ita novorum Græci sermonis normam desiderat.* Quæ verba repetuntur c. *Ut veterum*, dist. x. Idem Hieronymus epistola CXXXV, ad Suniam & Fretelam: *Sicut in Novo Testamento, quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est Instrumentum: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosq; diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem; ut, quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.* Iterum Comment. in Zach. IIX, 19. *Cogimur ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis quam de rivulis quærere.* Quæ repetuntur c. *Jejunium*, dist. LXXVI. Confer epistolam CXXXII, ad Vitalem, epistolam CXLI, ad Marcellam, epist. CIII, ad Desiderium, sive præfationem in Pentateuchum, præfationem item in Josue, librum adversus Helvidium, & alia passim loca. Augustinus libro II de Doctrina Christiana capite XI: *Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, ut ad exemplaria præ-*

Testimonia Patrum & Doctorum Pontificiorum pro auctoritate textus Hebrai.

præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas. Confer ejusdem libri caput XII & XIII. Idem etiam libro XV de Civ. DEI cap. XIII, *Quum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur*; ait, *ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* & capite XIV: *Illa numerorum varietas, quæ inter codices Hebræos invenitur & nostros, si quid habet ita diversum, ut verum esse utrumque non possit, rerum gestarum fides ab ea lingua repetenda est, ex qua interpretatum est quod habemus.* Adde lib. XI contra Faustum Manichæum cap. II. Porro Hilarius in Psalmum CXIIX: *Frequenter admonuimus, non posse satisfactionem intelligentiæ ex Latinitatis translatione præstari.* Cassiodorus libro I Institut. divinarum lectionum cap. XV: *Quod si alia verba reperiuntur absurde posita, aut ex aliis codicibus, quos B. Hieronymus in editione* LXX *Interpretum emendavit, vel quos ipse ex Hebræo transtulit, intrepide corrigenda sunt. — Decet enim, ut, unde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio.* Franciscus Ximenius, Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniarum Archicancellarius, præfatione in Biblia Complutensia ad Leonem X: *Ubicumque Latinorum codicum varietas est, aut depravatæ lectionis suspicio, (id quod librariorum imperitia simul & negligentia frequentissime accidere videmus) ad primam Scripturæ originem recurrendum est, sicut B. Hieronymus & Augustinus, ac cæteri Ecclesiastici Tractatores admonent; ita ut librorum Veteris Testamenti sinceritas ex Hebraica veritate, Novi autem ex Græcis exemplaribus examine-*

tur. Junge ejusdem prologum de variis Bibliorum Tractatoribus. Card. Cajetanus, (cujus illustria, quibus ab ipsomet Bellarmino aliisque primariis Pontificiis ornatur, encomia recitavimus tractatu de Canone, cap. x, 19.) præfatione in libros Mosaicos: *Intendo juxta Hebraicam veritatem textum exponere, ubi diversa occurrerit sententia in vulgata editione & in Hebraico textu. Non enim interpretis Græci aut Latini, sed ipsius tantum Hebræi textus auctoritas est, quam complecti cogimur & complectimur fideles omnes.* Josephus Acosta, Jesuita, (*vir*, Philippo Alegambe teste, *ingenio præstanti, acri judicio, labore indefesso, facundia doctrinaq; præstans, & qui omne disciplinarum genus didicit & professus est*) libro II de Christo revelato cap. XV: *Quid amplius Latino aut Græco concedendum est, quam ut tunc habeatur interpretatio bona, cum concordat originali lingua? auctoritas autem divina tota penes illam linguam sit, in qua sacer scriptor edidit primum.* Idem confirmant Benedictus Arias Montanus, qui Concilio Tridentino ipse interfuit, præfatione in opus Biblicum Regium, Ludovicus Vives commentar. in Augustini libr. XV de Civ. DEI, cap. XI & XIII, Johannes Driedo libr. II de Scripturis & dogmatibus ecclesiasticis, cap. I, Marcus Marinus præfat. in Arcam Noæ. Refer præterea huc e Pontificiorum schola, qui, quod jamjam memorati scriptores faciendum dicunt, ac argumentis firmant, ipsa praxi exprimunt, emendando scilicet & corrigendo Latinum textum ex Hebræo & Græco. Quorum catalogum sic satis longum exhibet laboriosissimus noster Gerhardus in sua Confessione Catholica lib. II, art. I, cap. II, pag. 147. seqq.

Bibl. Ies. p. 281.

seqq. nec non Chamier, Tom. I Panstratiæ, lib. XIV, cap. IX, 17. seqq.

III. Atque ita constat, non solos Protestantes omnia examinari & emendari velle ad Hebræum textum, uti Bellarminus lectori persuadere conatur; sed velle idem Ecclesiæ Doctores vetustissimos, velle ex ipsismet Pontificiis scriptoribus doctissimos nominatissimosque. Quamquam, Midianitarum more, mutua heic cæde se truncent, qui alias de concordia tantopere gloriantur. Dum enim, quos paulo ante citavimus, auctores, textum Latinum ad Hebræum & Græcum exigendum, indeque emendandum & corrigendum esse volunt, contra Gregorius de Valentia, Tom. III, disp. I, quæst. I, puncto VII, 43. conceptis verbis, *Græci*, inquit, *& Hebraici codices, sicubi a nostra editione* vulgata Latina *dissident, per nostram corrigendi & emendandi sunt.* Sic & Martinus Antonius Delrio, Proloqu. in Pharum Sapientiæ cap. III, reg. VII: *In quibus Hebræa conveniunt cum Latinæ vulgatæ dictis, sunt certa & infallibilis veritatis; in quibus dissident, sunt corrigenda ex Latino, non contra.* Eodem modo Johannes Eusebius Nieremberger, libro VI de Origine S. Scripturæ cap. XXIII: *Latinus textus non est corrigendus per Hebraicum, sed Hebraicus per Latinum.* & Gretserus in sua Defensione infra capite XI: *Si fontes in dogmate aliquo fidei vel morum à vulgata editione dissentiant, fontes, tanquam turbide fluentes, depurandi & expurgandi sunt ad latinam vulgatam editionem.* Ad hunc modum illi Jesuitæ: cum quibus confer Melchiorem Canum lib. II Locorum cap. XIII, seq. Johannem Azorium lib. IIX Institutionum Moralium

Iud. 7. 22.

Pontificii Hebræo textui detrahentes.

col. 570.

cap. III, aliosque. Et hocipsum constanter observavit in sua N. T. translatione Germanica Hieronymus Emserus, Græcum textum ex Latino semper corrigens, totiesque malæ fidei Lutherum postulans, quoties, vulgata insuper habita, originali textui Græco is adhæsit.

Locus Es. 9. 6. consideratur.

IV. Sed operæ pretium erit, expendere quæ in textu Hebræo corrupta esse suspicatur Bellarminus. Primum igitur ait, Calvinum, qui alias pro puritate Codicis Hebræi pugnet, Institut. cap. VI, §. XI, (in recentioribus editionibus locus extat lib. I, cap. XIII, §. IX,) contendere, Is. IX, 6. esse legendum: *& vocabitur admirabilis*; cum Hebræus textus hodie non habeat יִקָּרֵא *vocabitur*, sed יִקְרָא *vocabit*.

V. Ubi non urgebo, neque in veteribus Calvini Institutionibus, quas mihi quidem videre contigit, nec in recentioribus, haberi illa verba: *& VOCABITUR admirabilis*; sed ita Prophetæ testimonium citari: *hoc est nomen, quo VOCABUNT eum, Deus fortis, Pater futuri seculi*; tantum mirari subit, proferre talia Bellarminum, qui ipsemet in suis Hebraicæ linguæ Institutionibus parte IV, cap. IV, 7. observandum monet, apud Hebræos *non raro usurpari tertiam personam verbi Activi in Passiva significatione*; idque probat exemplo petito ex Gen. XVI, 14. ubi קָרָא vertendum esse ait (non *vocavit*, sed) *vocatum est*. Sane quemadmodum consequentia nauci est, si ita colligas: Bellarminus contendit, esse legendum Gen. XVI, *propterea vocatus est puteus*; at Hebræus textus modo non habet, *vocatus est*, נִקְרָא sed, *vocabit*, קָרָא; ergo

Bell. Grammatica sua Hebræa obtrusus. Conf. infra cap. 13. n. 7.

ergo confessione Bellarmini turbidus heic fluit Scripturæ fons: sic pari ratione nihili est illa Cardinalis argumentatio: Calvinus contendit, esse legendum Is. IX, *& vocabitur admirabilis*; at Hebræus textus modo non habet, *vocabitur*, יִקָּרֵא, sed, *vocabit*, יִקְרָא, ergo confessione Calvini turbidus heic fluit ille fons, quem ipse idem ubique purum fluere volebat. Uti enim Bellarminus ex Hebrææ linguæ idiotismo (quem מקרא מסורס *scripturam abbreviatam* vocant Rabbini) ibi נִקְרָא recte vertit passive, nec ullae translatione isthac depravati textus Hebræi nascitur suspicio: sic non minus recte ex eodem principio, citra ullam turbati fontis suspicionem, passive heic reddi potest יִקָּרֵא, quemadmodum sane ita etiam redditur in translatione Latina, a Sancte Pagnino, auctore Pontificio, primum adornata, Benedicti vero Ariæ Montani aliorumque Hebrææ linguæ peritissimorum collato studio ad Hebraicam dictionem diligentissime expensa, ac toti tandem Lovanienſi Academiæ probata, uti ex præfatione liquet. Audiatur quoque heic Jesuita ille celeberrimus, Johannes de Pineda, ad Job. III, 3. scribens: *Latinus interpres leniter atque latine, & quod pro euiusque palato ad plura referri possit*, (אמר) in qua dictum est, *reddit, & quidem multo, quam alii Hebraizantes, sapientius & verius. Nam quædam sunt in Hebræo Activa, quæ debent Passive & impersonaliter exponi; sicut Gen. 15. v. 6. Et vocabitur nomen ejus; in Hebræo, vocabit.* Idem, commentatus in hunc ipsum Isaiæ locum, multis firmat exemplis Franciscus Forerius, qui Concilio Tridentino inter Theologos interfuit. Adde & Augustinum Steuchum, (quem

virum æterna dignum memoria, & Italiæ verum ornamentum, appellat Possevinus) ad Gen. IX, 6. Benedictum Pererium, Jesuitam, (*in cujus scriptis*, Philippo Alegambe judice, *tantum apparet ingenium, tanta doctrina atque eloquentia, tanta rerum omnium comprehensio, ut supervacaneum sit lucernam Solis lumini inferre*,) ad Gen. XV, 6. Franciscum Riberam, & ipsum Jesuitam, (cui, teste rursum Alegambe, etiam miraculis auctoritatem fuisse conciliatam credunt Pontificii) in Mich. II, 17. Unde patet, quam inepte ad illa Amesii: *Nihil usitatius est apud Hebræos, quam tertiam personam verbi impersonaliter usurpare, ita ut aliquando active, aliquando passive possit reddi*; notet Erbermannus, Hebraici textus corruptionem *apertissime* a Bellarmino fuisse ostensam, ut ipse Amesius in loco Is. IX non potuerit negare mutationem, sed maluerit excusare. Videlicet hoc est concedere corruptionem textus sacri, eandemque velle excusare, si dicas cum Pagnino, Aria Montano, Pineda, Forerio, Eugubino, Pererio, Ribera, quin ipsomet Bellarmino, verbum activum aliquando ex Hebrææ linguæ idiotismo recte verti passive. Sed hæc manifestiora sunt, quam ut operosius ostendi desiderent.

Bibl. Ies. p. 61.

l. c. p. 132.

p. 53.

VI. Quod ait porro Bellarminus, Calvinum non ignorasse, vulgatam editionem, quantum ad lectionem loci Es. IX, 6. meliorem esse Hebraica, siquidem reprehendat Judæos, ita lectionem invertentes: *Hoc est nomen, quod vocabit eum Deus fortis, Pater futuri seculi*; & sic epitheta illa: *Deus fortis, Pater futuri seculi*, non ad Filium, sed ad Deum Patrem referentes; id quam sit frivolum, vel cœcus videt.

det. Neque enim eo nomine Judæos arguit Calvinus, quod in Hebræo legant יִקְרָא, sed quod verbum hoc connectant cum substantivo אֵל, quasi id, una cum subjunctis epithetis, heic esset subjectum prædicationis, hoc pacto: *Deus fortis, Pater futuri seculi, vocabit nomen ejus Principem pacis.* Quam construendi rationem oppido absurdam esse, & violentam contextus perversionem, nemo sanus negaverit. Vide se ipsum satis explicantem Calvinum Commentario in hunc Isaiæ locum.

VII. Excipit Gretserus: *non ignorasse Bellarminum, etiam illam lectionem*, & vocabit, *ita tandem explicari posse, ut verum sensum reddat, Christique gloriam & divinitatem nobis prædicet. Sed quæritur*, inquit, *utra lectio hoc melius, aptius, & evidentius contra Judæos, Christi hostes, efficiat; illane*; & vocabitur; *an illa*: & vocabit nomen ejus, &c. *Et nisi prodigiosus stupor Prædicantem* (Hunnium) *haberet, perspicue cerneret, illam lectionem*: *& vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis; longe esse aptiorem ad Christi majestatem & divinitatem à Judæorum perfidia asserendam; & consequenter, primigeniam genuinamque lectionem non esse illam, quam hodie textus Hebræus repræsentat*: *& vocabit; sed illam*: *& vocabitur.* Ad eum modum Gretserus: qui mirabilem, more suo, heic iterum disputatorem agit. *Gretseri exceptio. col. 449.*

VIII. Primum scilicet pervertit statum controversiæ; *Quæritur*, inquiens, *utra lectio hoc melius, aptius, & evidentius contra Judæos, Christi hostes, efficiat.* Neque enim in præsens quæstio est, an, si *Responsio.*

in

in Hebræo legatur יִקְרָא, facilius & evidentius ex dicto Isaiano elici possit sensus, quem intendit Propheta, quam si legatur יִקְרָאֶ, sed, num hæc vox, quæ hodie in codicibus visitur, sit ipsa illa, qua usus fuit Isaias, dum suam ex sancti Spiritus afflatu consignavit prophetiam: an vero humano sive errore sive crimine infarta sit textui sacro vice יִקְרָא, quod olim ibi extiterit. Nam quod scribit Gretserus, si illa lectio: *& vocabitur*, aptior sit ad Christi majestatem & divinitatem a Iudæorum perfidia asserendam, quam ea altera: *& vocabit*; sequi, primigeniam genuinamque lectionem non esse illam, quam hodie textus Hebræus repræsentat: *& vocabit*; (יִקְרָאֶ) sed istam: *& vocabitur* (יִקְרָא) id nihili omnino est; cum non illico, quidquid nobis videtur magis aptum ad convincendos & refellendos, sive Judæos, sive alios veritatis hostes, ita scriptum fuerit ab auctoribus θεοπνεύστοις. Capesis exemplum Urgent orthodoxi pro adstruenda æterna filii Dei generatione verba Psalmi II, 7. *Dominus dixit mihi: filius meus es,* אני היום ילדתיך *ego hodie genui te.* Neo-Photiniani sive Sociniani, uti inter alia ex Catechesi Racovienſi, tit. de Cognitione Christi, cap. 1, quæst. XIX, patet, exipiunt, nihil in isto textu haberi de æternitate. *Etenim*, inquiunt, *cum vox* HODIE *certum tempus designet, proæternitatem denotare non potest.* Heic ergo si quis dicere vellet, Hebræum textum esse corruptum, nec legendum היום, ut nostri habent codices, sed מנצח, cum posterior hæc lectio longe sit aptior ad CHRISTI æternitatem & divinitatem a Sociniſtarum perfidia asserendam; si quis, inquam,

inquam, eum in modum nugari vellet, annon piorum omnium indignationem esset provocaturus? Ejusdem vero rationis est, de qua paulo ante loquebamur, Gretseri argumentatio.

IX. Qui nec porro dextrum se magis Theologum praestat, dum ita pergit: *Quid inde conficias, si hoc modo cum Judæis* Isaianum locum *explices: Et nomen ejus, hoc est, statuet, decernet, imponet, sive indet, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Agnon, qui locum Isaiæ in hunc modum explanat, Judæorum & Arianorum causam agit ac propugnat?* Nam quorsum id monet, obsecro? An, ut propugnati sive Iudaismi sive Arianismi reos agat Protestantes? Ita vero ejus erit, nominare illos, qui e Protestantium ecclesia locum Isaiæ istum in modum explanarint. Nostrorum sane unanimis est sententia, יִקְרָא aut vertendum esse cum Jonathane Chaldæo passive, aut, si activum retineatur, subintelligendum Nominativum convenientem; ut sensus sit: hic vel ille, quicunque vocaverit, ilie vocabit eum Admirabilem, Consiliarium, Deum fortem. Atque ita nomina illa in textu expressa dicimus heic esse, non, ut Judæi somniant, Dei nominantis, sed filii nominati. Sicut alias quoque exemplorum Biblicorum inductione constat, *in sensu nomenclaturæ, nomen postpositum phrasi* קרא שמו, *sive* קרא *active, sive passive sumatur, esse, non denominantis, sed denominati*: uti in sua Schola Isaiana ad præsentem locum bene notat noster quondam Collega, D. Augustus Varenius, Theologus Rostochiensis. Vide inter alia Gen. IV, 25. 26. V, 2. 3. XXV, 25. 26. XXXIIX; 30. Quo

Gretseri ea-lumnia.

Ejus depul-sio.

obſervato, ſponte ſua ruunt, quæ præterea heic pro Judæis adverſus Hunnium noſtrum declamat Gretſerus.

x. Et tantum de loco Iſ. ix, 6. ubi nihil in Hebræo eſſe corruptum (ut ſuperioribus id adhuc adjiciamus) ipſa etiam Maſora teſtis eſt, dum monet, verbum וַיִּקְרָא ſexies in Scriptura occurrere deficiente particula אֵת. Falſa namque foret hæc nota, ſi ex Paſſivo verbo Activum heic eſſet formatum. Vide Maſoram magnam fol. 54. b. & parvam ad Gen. xxxv.

Locus Jerem. 23, 6. expenditur.

xi. Deinde Bellarminus, pro oſtendendo fonte ex ipſius Calvini profeſſione corrupto, urget, quod hic velit, Jeremiæ xxiii, 6. eſſe legendum: *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus Juſtitia noſtra*; cum fons Hebraicus conſtanter habeat יִקְרָאוּ *vocabit eum*, non יִקְרָאוּהוּ *vocabunt eum.*

xii. Ubi rurſus miſſum facientes, quod minus curate denuo verba Calvini citentur, ut qui non habet (in editionibus quidem mihi viſis) τὸ *vocabunt*, ſed ita: *Nihil dilucidius Jeremiæ loco quæri poteſt, hoc fore nomen, quo* VOCABITUR *germen Davidis, Jehova, Juſtitia noſtra*; id miſſum facientes, inquam, dicimus, Sanctem etiam Pagninum, & Ariam Montanum, Pontificios celebratiſſimos, in ſua translatione Latina legere heic: *vocabunt eum*; neque tamen propterea fingere depravationem textus Hebraici, & pro יִקְרָאוּ cum Bellarmino ſubſtituere יִקְרָאוּהוּ, ſed pro genuina nobiſcum agnoſcere lectionem, quam hodierni codices exhibent. Ita 1 Regg. xxii, 38. vulgata Latina habet: *& LAVERUNT currum ejus*; quomodo item LXX: καὶ ἀπέπλυναν, Hebræi vero codices conſtanter legunt,

legunt, וישטף *& lavit*; Amos. IV, 2. Latina habet: *& levabunt vos in contis*; LXX: καὶ λήψονται, at Hebræus textus, ונשא *& tollet*. Numquid ergo & heic fontem turbidum fluere dicet Bellarminus? Sane Glasius noster, cum ipsa LXXXII V. T. loca collegerit, quæ corrupta esse Jesuita Jacobus Gordonus Huntlæus, aliique nonnulli, vel suspicantur, vel palam affirmant, memoratorum illorum nec minimam facit mentionem, ac si depravationem & ipsa in fonte passa esse cuiquam crederentur. Scilicet observandum heic, quod in canonibus, Commentario in Prophetas majores præmissis, canone XVI, monet Cornelius a Lapide: *Prophetæ utuntur multiplici Enallage*; & speciatim quidem *Enallage Numeri, ut à singulari transeant in pluralem, & è contrario, præsertim cum agunt de populo, vel cœtu hominum: hic enim collectivè, quà populus, est singularis, distributivè vero, quà multos complectitur, est pluralis. Quocirca tunc singulare nomen aut verbum accipitur collectivè, & significat* QUISQUE. Confer Christophorum de Castro, Jesuitam itidem celeberrimum, ad locum Ieremiæ, de quo in præsenti agimus; ubi, quod verba ista a plurimis Hebræis per enallagen numeri explicentur, operose probat: quamvis ex ejusdem quoque Castrii sententia verbum singulare יקראו recte referatur ad substantiva, quæ præcesserunt, Juda & Israel; ut ita fluat textus: *In diebus ejus* (germinis Davidis) *salvabitur Juda, & Israel habitabit in confidentia: & hoc est nomen ejus* (germinis) *quod vocabit* (Juda & Israel) *illum Jehova Justitia nostra.* Quæ expositio, utique satis commoda, si admittatur, nemo tam erit ineptus,

ut dicat, qui locum Jeremiæ ita reddit: (quemadmodum a Calvino illum reddi ait Bellarminus (*hoc est nomen, quod* VOCABUNT (Iuda & Israel) *eum, Dominus Justitia nostra*; eoipso textum Hebræum arguere alicujus depravationis. Etenim quid notius, quam in Latina lingua, per syllepsin, quam vocant, numerorum, duobus nominibus singularibus addi verbum plurale? quomodo Virgilius Æneid. II, 316.

furor iraque mentem
præcipitant.

De loco Is. 22, 17.

XIII. Ulterius fontis Hebræi corruptionem demonstraturus Bellarminus, in exemplum affert decantatissimum illud, ex Psalmo XXII, 17. כארי, *Nemo*, inquiens, *Christianorum est, qui non legat: foderunt manus meas & pedes meos; textus vero Hebraici legunt* כארי *chaari, id est, sicut leo, non, foderunt, quod dicitur* כרו *charu.*

XIV. Hic nimirum ille locus est; quo inprimis triumphare solent ἀφῃρέσεις Hebraicæ hostes, quique adeo eruditos vehementer exercuit. Eorum videlicet nonnulli, cum cetera fontium Hebræorum integritatem constanter defendant, in hoc uno fere corruptionem agnoscunt: alii vero ne heic quidem mendum ulla ratione in textum irrepsisse, admittere volunt, sed כארי retinendum docent. Quamquam non eodem modo suam hanc illi sententiam tueantur. Vide inter alios, qui fuse materiam isthanc & ex instituto persequuntur, Salomonem Glassium lib. I Philologiæ sacræ, tract. I, parte II, sect. II, num. XLIIX, Christophorum Helvicum Appendice III Elenchi Judaici, (quæ est disputatio XIV

Tomi

Tomi IV Gieſſenſis) num. XLVI, Gisbertum Voetium parte I Diſpp. Theolog. ſelectarum, diſp. IV, quæ eſt de Inſolubilibus Scripturæ, num. IV, Io. Henr. Hottingerum lib. I Theſauri Philologici cap. II, quæſt. IV. Quidquid ſit; Bellarmino ſane, quo cum nobis in præſentia res eſt, nullo heic negotio in occurſum iri poteſt. Etenim paulo inferius §. *Dicet aliquis*, diſerte is, *In Maſoreth*, ait, *monent Rabbini, in Pſal. 22. ſcribi debere* כארו *charu, non* כארי *chaari; ex quo evidenter colligitur, errore ſcribarum nunc legi* כארי *chaari.* Quæ ſi vera (nobis autem id heic perinde eſt, quibus κατ' ἄνθρωπον cum antagoniſta nunc agere placet) ſi, inquam, deſcribentium tantummodo errore in textum ſacrum irrepſit כארי, idque notarunt Maſoretæ, quid nobis locum iſtum objicit Cardinalis? qui utique, ejuscemodi ſphalmata quædam in codice Hebræo occurrere, haud imus inficias. *Cum enim* (verba recito Glaſſii, viri in talibus exercitatiſſimi, quæ habentur loco paulo ante laudato, parte I, pag. m. 7.) *textus ſacri, à ſcripturæ Moſaicæ primordio ad ſolutam usque captivitatem Babylonicam variè deſcripti fuerint, fieri facilè potuit, ut ſcribarum incuria quædam σφάλματα orthographica, non quidem in ſententiis, ſed in aliquibus elementis, irreperent, & continuata deinceps ſerie in plura diffunderentur exemplaria. Iſti igitur incommodo ut remedium adhiberent Maſoræ autores, (quos ab ipſo Eſdra & reliquis* אַנְשֵׁי כְנֶסֶת הַגְּדוֹלָה *viris Synagogæ magnæ, erudite deducit Buxtorff. in Tiberiade ſeu Comment. Maſoretico) voces in contextum plerorumque voluminum diu receptas reliquerunt integras, (nec enim religionis cauſa quicquam auſi mutare)*

Textum Hebraum quo ſenſu a Proteſtantibus dicatur incorruptus.

Maſoretæ.

re) sed emendationem, vel ex fide aliorum probatorum exemplarium, vel suo, eoque sano, judicio, in margine indicarunt. Ita Glassius: qui, quæ dixerat, evidentibus statim exemplis it probatum, (v. c. quod 1 Sam. IV, 13. in textu scribitur יָשַׁב, Masoretæ vero in margine reponant יָשַׁר, ubi prius mendosum esse, in aprico,) & deinde subdit: *Ex hujus igitur generis Masoreticis notis si quis corruptelas sacri Hebræi textus (prout nostris temporibus extat, & a nobis Christianis usurpatur) probare satagat, eum ἀῤῥωστίᾳ mentis laborare merito dicemus, cum illarum vocum, quæ olim mendosè erant scriptæ, emendationem à viris doctissimis, & ex probatis authenticisque exemplaribus, adornatam, notæ illæ exhibeant.* p. 8. p. 19. Idem paulo post, ubi demonstraturus erat, quod ne quidem per inscitiam vel incuriam a librariis textus V. T. Hebræus fuerit depravatus; *Hic verò*, ait, *distinguendum esse videtur inter tempus Masoretarum labores antegressum, & inter tempus eosdem insecutum. In illo, per tot librariorum transcriptiones, textui sacro quædam illata fuisse menda, non negamus, uti supra etiam dictum. Postquam autem Masora non sine divino ductu conscripta fuit, potuisse hactenus, vel posse ad consummationem usque seculi, universale erratum corruptelamque textui Hebræo inferri, quin statim animadverti, & puritati pristinæ restitui queat, fortiter negamus.*

Explicatur status controversiæ amplius.

XV. Ubi, dum UNIVERSALIS ERRATI mentionem Glassius facit, alterum, quod adversus Bellarminum hic observandum, nobis suggerit. Scilicet, quando textus Hebræi integritatem propugnamus, *non est quæstio de unius vel alterius codicis depravatione,*

ne, quæ in puncto, vel accentu, vel litera, vel etiam integra dictione occurrit, sive ex incuria, sive data opera fuerit facta: sed hoc quæritur, an textus Hebræus in se ac UNIVERSALITER *IN* OMNIBUS CODICIBUS *ita sit corruptus, ut ex aliorum probatorum & integrorum exemplarium inspectione mendum illud corrigi nequeat:* quæ sunt verba Gerhardi nostri, lib. II Confess. Catholicæ, artic. 1, cap. II, th. II. cui, & paulo ante laudato Glassio, ex Reformatis heic, inter alios, ὁμώψηφος est doctissimus vir, Andreas Rivetus, dum in sua ad Scripturam S. Isagoge, cap. IIX, 18. ita hanc in rem scribit: *Controversia non est de* QUIBUSDAM *codicibus Ebræis, sed* IN UNIVERSUM *de* OMNIBUS: *vel de levibus quibusdam erratis in multis exemplaribus, ex scriptorum vel incuria vel insciția admixtis; id enim negari nec potest, nec debet. Sed status controversiæ is est; an nulla hoc tempore reperiantur exemplaria Ebraica eousque pura, ut, ex collatione, in omnibus ad salutem necessariis veritas deprehendi possit lectionis, quam Sp. Sanctus suis amanuensibus dictavit.* Similiter alii. Quæ cum ita sin, apparet sane rursum, immerito sententiæ nostræ opponi כארי.

XVI. Etenim non omnes in universum codices Hebræos legere כארי, sed extare olimque extitisse exemplaria כארו exhibentia, non uno ostendere licet documento. Et primo quidem illa Græcorum translatio, (quam heic sequuntur versiones Syriaca, Arabica, Æthiopica) ὤρυξαν, clare evincit, legisse eos in suo, quo usi sunt, exemplari, כארו vel כרו, uti etiam Gretserus heic monet, & Bellarminus ipse in sua Psalmorum explanatione, ubi comma hoc interpreta-

Non omnes Codices legunt Caari.

col. 453.

pretatur. Porro quod nec Aquila Ponticus, *homo eruditissimus linguæ Hebraicæ, & verbum de verbo exprimens*, uti eum laudat Hieronymus ad Is. XLIX, *5. quique*, (ut idem ait Hieronymus epist. CXXXIIX, ad Marcellam) *verborum Hebræorum diligentissimus explicator*; quod, inquam, nec Aquila iste in Hebræo legerit כארי, ut quidem illud notat, *sicut leo*, inde perspicuum est, quod in versione sua, vixdum exacto centesimo a CHRISTI ascensione anno edita, habet ἤχυνεν, utique non Nomen, sed Verbum plurale in fonte se legisse innuens: quemadmodum & Hieronymus in translatione sua ex Hebræo reddit *fixerunt*. Quin Gretserus in genere de omnibus versionibus ex Hebræo affirmare audet, quod *concorditer astipulentur illi lectioni, Caru, non illi, Caari.* Amplius R. Jacob ben Chajim, (qui vixit circa annum Domini clɔ lɔ, & a Daniele Bombergo, primo Typographo Hebraico, ad correcturam Hebraicorum fuit adscitus, cujus etiam instinctu Biblia Hebræa cum Masora magna & parva in ordinem redegit, præloque commisit) in Masora magna, in ordine literarum Alphabetico אר, ad vocem ארי, & inde ad כארי Psalmi XXII, *In aliquot libris emendatis*, ait, *reperi scriptum* כארי. Iohannes item Isaac, ex Judæo Pontificius, & Professor Colonienſis, libro II adversus Lindanum, suum quondam discipulum, pag. 112. *Ego*, inquit, *Johannes Isaac, ipsa veritate & bona conscientia testari possum, quod hujusmodi Psalterium apud avum meum viderim, ubi in textu scriptum erat* כארי. Et Wolfg. Fabricius Capito lib. I Instit. Ebr. cap. XIII, se apud Vangiones in membranaceo ac vetustissimo

i. e.

libro

libro margini hanc vocem adscriptam vidisse memorat. Sic quoque Gerhardus in Exegesi Loci de Scriptura, cap. XIV, 330. *In Bibliotheca*, ait, *Academiæ nostræ* Jenensis *habetur codex Hebræus manuscriptus, qui legit* כארו. Ad quem Codicem & alibi idem provocat Gerhardus; uti ante eum jam in publica disputatione provocaverat olim, teste in Harmonia sua Biblica, ad h. l. Dn. D. Walthero, Petrus Piscator, & ipse Jenensis Theologus. Quid? quod Gilbertus Genebrardus, Hebraicarum literarum in Parisiensi Academia Professor, & post Aquensis Archiepiscopus, in suis ad præsentem locum notis doctissimorum Judæorum testimoniis probare satagit, optima & antiquissima exemplaria habere כארו; sicut & Petrus Lanselius, qui, teste Ph. Alegambe, Græcæ, Hebrææ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, linguarum notitia polluit, & præcipuas Germaniæ bibliothecas lustravit, in sua Justini Mart. editioni Paris. subjuncta Dispunctione, ut vocat, notarum Casauboni, cap. XV, bis testatur, in vetustissimis Codicibus Hebraicis reperiri כרו. Quin ipse Huntlæus, ille acerrimus alias præ ceteris Hebraicæ veritatis impugnator, tomo I Epitomes, Controv. I, cap. X, *Scio*, inquit, *non paucos libros Judæorum habere in ipso textu* כארו. *h. e. foderunt.* Addesis Gerardum Veltuykum, in appendice libri, quem inscripsit, Itinera deserti, Dieguum Payuam Dandrada, lib. IV Defensionis Tridentinæ fidei, pag. 616. Petrum Galatinum, de Arcanis Catholicæ veritatis libro I, cap. IIX, ac lib. IIX, cap. XVII; & observa insuper, quod Biblia Complutensia, an. clɔ lɔ XX, cura Card. Ximenii, & cum pri-

Biblioth. scriptor. Soc. p. 386.

vilegio Papæ Leonis x, edita, legant כארו. Sed quid opus his immorari diutius, cum ipse Bellarminus, quo cum nobis res est, non admittat universalem loci nostri Davidici depravationem; uti ex his, quæ supra ex eodem producebamus, facile liquet, & agnoscit insuper Apologeta ejus Gretserus? Ad alia itaque pergo.

col. 455.

De loco Ps. 19. 5.

XVII. Provocat nempe amplius auctor noster ad Psalm. XIX, 5. ubi Hebraici codices legunt: *In omnem terram evixit* קום *linea* sive *perpendiculum eorum*; cum tamen LXX verterint, φθόγγος αὐτῶν, & horum versionem approbaverit Apostolus Rom. x, 18. imo & Hieronymus ad literam reddiderit ex Hebræo: *exivit sonus eorum*. Unde necessum esse ait, aut Paulum & Hieronymum reprehendere, aut certe fateri, fontem hoc loco non esse purum. Verisimile autem esse putat, legi debere, קולם, quandoquidem una litera tantum addita, ex קום fiat קולם. Eadem repetit in Explanatione Psalmorum, ubi hunc locum interpretatur.

LXX Interpp. & N. T. scriptores non semper singula verba locorum V. T. exprimunt.

XIIX. Verumenimvero, si, quotiescunque vel in sua translatione LXX, vel in citationibus ex Veteri Testamento Evangelistæ & Apostoli, in uno vel altero verbo discrepant a textu Hebræo, illico inferendum sit, Hebræum textum esse corruptum, corruptus quoque erit in Hebræo locus Mich. v, 1. in aliquot verbis discrepans a textu Græco Matthæi II, 6. corruptus erit locus Is. XXIIX, 16. itidem discrepans tum a versione LXXvirali, tum ab allegatione Paulina Rom. IX, 33. corrupti erunt in Hebraico textu multi loci alii, quos tamen depravationis nec insimulant Pontificii, nec insimulare possunt, ni ipsi suæ

trans-

translationi vulgatæ, Hebræum codicem heic sequenti, dicam scribere velint. Scilicet LXX Interpretibus, & Evangelistis atque Apostolis, *curæ fuit, non verba & syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere*; indeque *non* semper in translatione & allegatione sua *verbum expresserunt e verbo, sed* φραστικῶς *eundem sensum aliis sermonibus indicarunt: sensum quæsiverunt, non verba; nec magnopere de ordine sermonibus q. curarunt, dum intellectui res pateret*; uti loquitur ille Scripturarum doctissimus interpres Hieronymus, epistola CI, ad Pammachium, de optimo genere interpretandi: ubi etiam, quod dicit, pluribus in medium allatis exemplis it probatum. Quemadmodum ergo alias non semel, sic etiam in exprimendo loco Psalmi XIX, ad sensum magis quam verba attenderunt LXX & Apostolus, pro linea seu norma substituentes prædicationem vel doctrinam, quod nihil aliud quam ista per eam a Davide intelligatur; sicut & ipse Paulus doctrinam Apostolicam alias κανόνα, *normam* & *lineam*, appellat Gal. VI, 16. Philipp. III, 16. Atque hoc est, quod ex ipsismet celebrioribus Jesuitis nobiscum fatetur Martinus Antonius Delrio, quando in Adagiis suis sacris, adag. DCCXXIV, affirmat, LXX & Paulum *vocasse sonum ipsam prædicationem, quæ revera*, inquit, *est* PERPENDICULUM *ædificii cælestis.* Subscribunt quoque huic sententiæ, quod videlicet sensum Psalmi respexerint LXX & Apostolus, magni nominis Doctores Pontificii, Benedictus Arias Montanus, Franciscus Titelmannus, Gilbertus Genebrardus, Augustinus Steuchus, in præsentem locum: nec abnuit in suo Commentario Jesuita Iohannes Lorinus; qui insu-

Pontificiorum suffragium.

per Eugubinum, Titelmannum, Bredenbachium, Malvendam, &, (cujus suffragium, quod jure mireris, negare nobis audet Erbermannus) doctissimum Genebrardum, nostræ heic sententiæ adstipulari, ambabus, quod ajunt, manibus largitur. Adde & Johannem Isaac, qui, ut in aliis, ita & hoc loco, Hebraici textus integritatem adversus Lindanum tuetur.

p. 54.

Gretseri exceptio. col. 456.

XIX. Gretserus heic, Hunnium nostrum alloquens, *Quod tu & Junius dicitis*, inquit, 70. *interpretes, Apostolum, & Hieronymum, respexisse ad sensum, & explicare voluisse, quænam sit illa regula seu norma in omnem terram diffusa, nempe ipsam prædicationem Evangelicam; id libenter crederem, nisi compertum haberem, boni interpretis officium hoc postulare, ut, quando verbum æque apte per aliud verbum ejusdem prorsus significationis exprimi potest, non exprimatur per aliud prorsus metaphoricum, ut est* sonus *respectu regulæ, seu lineæ, seu perpendiculi.*

Responsio.

XX. Verumenimvero, si hanc suam regulam, debere nimirum bonum interpretem, quoties fieri id potest, unumquodque verbum per aliud ejusdem prorsus significationis vocabulum exprimere, generaliter de quavis interpretatione intellectam vult Gretserus, oppido fallit. Etenim audivimus supra affirmantem Hieronymum, licere fideli etiam & cordato interpreti aliquando, non verbum exprimere e verbo, singulasque lectori voculas adnumerare, sed παραφραστικῶς eundem sensum ALIIS SERMONIBUS indicare; idque non semel feciisse ipsos etiam scriptores πνευστούς. Quod si paraphrasi & aliis plane sermonibus citra crimen uti potest interpres, quidni unicam

ei

ei vocem metaphorice reddere sit integrum? præsertim si & ipsum illud, quod vertendum est, vocabulum, improprie & metaphorice in textu sumatur: quod in præsenti loco fieri adeo est liquidum, ut ipsosmet etiam Iudæos non omnino id præterierit: R. siquidem Aben Ezra τὸ קו Davidicum diserte exponit per מכתב *scripturam*, (quæ τὸ φθόγγος signum,) *sensus est*, inquiens, *quod* SCRIPTURA *eorum legitur in omni loco, & docti sensum ejus intelligunt in omnibus locis terræ.* Ad Hieronymum quod attinet, voluit & ille dubio procul τῶν LXX ac Apostoli heic vestigia premere, ut ipsimet cordatiores Pontificii fatentur. Et sane Bellarminus hocipso capite totidem verbis affirmat, *Psalmorum interpretationem Hieronymianam cum textu Hebraico, qui* NUNC *extat,* IN OMNIBUS *convenire.* Quod si ita, convenire quoque oportet vocem *sonus*, qua in illa sua interpretatione Hieronymus utitur, cum τῷ קום, quod est in textu Hebraico qui nunc extat. Interim ponamus, legisse Hieronymum in suo, quo usus est, Hebræi codicis exemplo, non, קום, sed קולם, quid inde contra nos? qui, ut jam supra monitum, de *unius vel alterius codicis depravatione* heic non disputamus. Et opponere in tali casu possemus Hieronymiano codici codicem Aquilæ, interpretis longe vetustioris, quem קום legisse, vox καναὼν, qua in sua translatione utitur, evidenter monstrat. *num. 2.*

XXI. Ultimo tandem loco Bellarminus, pro fontium demonstranda corruptione, urget, *quod* INTERDUM *desint integræ sententiæ in Hebræo, cum non desint, nec in versione 70. nec Hieronymi translatione.* *De loco Ex. 2. 22.*

Quamquam non nisi unicum profert exemplum ex Ex. 11, 22. ubi deesse ait totum illud : *Alium quoque genuit, & vocavit nomen ejus Eliazer, dicens : Deus patris mei auxiliatus est mihi, & liberavit me de manu Pharaonis.*

XXII. Merito autem heic Cardinali opponimus, quæ habet ipsemet infra capite VI. Docet nimirum ibi, translationem LXXviralem hodie non extare *incorruptam, sed valde vitiatam in pluribus locis esse; ut* JAM TUTUM NON SIT HEBRAICOS TEXTUS EX GRÆCIS CODICIBUS EMENDARE. & paulo post, *Ista*, inquit, *Græca versio, quam nunc habemus, in pluribus locis dissentit ab Hebræo; multa non habet, quæ sunt in Hebræo;* MULTA HABET, QUÆ NON SUNT IN HEBRÆO; *ut omnes noverunt, qui in ea versati sunt. Neque videtur* (ita mox pergit) *satis apte hoc argumentum solvi ab iis, qui respondent, textum Hebræum esse corruptum, ubicunque a Græco discrepat. Nam neque hæretici hoc admittunt, qui anteponunt Hebræum textum Græco; neq; Catholici admittere debent, ne fateri cogantur, vulgatam editionem Latinam, qua Ecclesia Catholica tot jam seculis utitur, & quam Concilium Tridentinum authenticam esse judicavit, totam esse coruptam. Nam, excepto Psalterio, Latina editio cum Hebræis codicibus magis convenit, quam cum Græcis.* Porro, quod & hæc ipsa vulgata Latina Pontificiis authentica, aliqua habeat, quæ, saltim eodem loco, non extent in codice Hebræo, nec extiterint unquam, rursum fatetur Bellarminus hoc ipso capite, dum scilicet octo illos versiculos, qui post comma tertium Psalmo XIII editionis vulgatæ inserti sunt, nunquam in Hebræo fuisse, nec ad Psal-

mum

mum istum pertinere, sed ex Rom. III, 13. seqq. ab aliquo illuc esse translatos, cum Hieronymo fatetur. Atque ita patet, vel ipsomet Bellarmino judice vitiosam esse istam collectionem: hic vel ille locus non extat in codice Hebræo, extat autem in editione LXXvirali & vulgata Latina; ergo textus Hebræus, quantum ad illum locum, corruptus est & depravatus.

XXIII. Nec est ut excipiat Cardinalis, tametsi, de quibus jamjam dicebamus, versiculi isti eodem illo loco unaque & eadem illa serie non reperiantur in codice Hebræo, extare nihilominus in eo alibi sparsim. Nam & verba, quæ Ex. II, 22. in Hebræo deesse ait Bellarminus, extant ejusdem libri capite XIIX, 4. Unde & versiculum istum priori loco supervacaneum esse agnoscit Card. Cajetanus, eundemque asteriſco notant Lovanienses. Quin &, monente Junio, *inepte* illud comma *in Exodi* 2. *inculcatur, si ad argumentum Mosis attenderis & continuationem historiæ. Gersom enim, prior Mosis filius, multis annis præcessit Eliezerum fratrem; quibus annis Israelitæ respexerunt ad Deum, & ad illos vicissim Deus: Eliezer vero sub finem illorum annorum natus est, & adhuc fuit ἀπερίμητος, incircumcisus, quum sese Moses ad reversionem in Ægyptum accingeret, ut plane docet historia Exod.* 4. *Hanc observationem*, ait, *si qui non vident ad illustrationem gratiæ divinæ & consequutionem historiæ pertinere, ac propterea farcturam istam de Eliezero Exod.* 2. *adhibent, ii profecto Mosis consilium non vident: sin negant, male merentur de Mose & Ecclesia* DEI. Quibus Junianis licet ne verbulum quidem repo-

fol. 475. p. 54. reponere possit, vel Gretserus, vel Erbermannus, nihilominus, quod Hunnius, Junius, & Amesius scribunt, non pertinere locum istum ad cap. II, sed ex capite XIIX a LXX & vulgato Latino eò esse translatum, *ægrorum somnia* appellare non dubitat uterque. Nempe hoc est DEFENDERE, hoc VINDICARE BELLARMINUM!

De punctis Hebræorum. XXIV. Et hactenus quidem de locis illis, quæ in Hebræo codice depravata esse Bellarminus arbitratur. Posset nunc porro in disquisitionem vocari, quod de punctis Hebræorum circa finem capitis affirmat Cardinalis, esse videlicet ea a Rabbinis inventa, & textui sacro superaddita, indeque posse nos, absque mutatione textus, puncta, si velimus, detrahere, & aliter legere. Sed quia hanc de Punctis quæstionem, doctissimorum virorum scriptis adversariis quam maxime, nostro inprimis tempore, nobilitatam, ex professo heic non persequitur auctor, nec nostrum erit, in eadem enodanda hoc loco operosos esse. Solum monemus, refragari, quam Bellarminus heic tenet, opinioni ex ipsismet Pontificiis, Johannem Isaac, & Antonium Rudolphum Cevalerium, qui, quod puncta consonantibus in codice Biblico coæva sint, in suis Grammaticis docent: tum quoque ex eadem schola Marcum Marinum, Brixianum, qui in præfatione editi a se Thesauri linguæ sanctæ, sive, ut inscribit, Arcæ Noe, Judæos ab omni tempore puncta sua habuisse, multis argumentis probare conatur.

XXV. Antequam transeamus ad alia, unum adhuc monendum ducimus. Videlicet, ubi duas de Hebræo textu sententias hoc capite examinasset Bellarmi-

Iarminus, quarum prima (a nobis hucusque defensa) eorum, qui nullam omnino ejus admittunt corruptionem; altera quorundam Pontificiorum, v. g. Jacobi Christopolitani & Melchioris Cani, contendentium, *Judæos in odium Christianæ fidei studiose depravasse & corrupisse multa loca Scripturarum*; suam tandem subjuncturus ἀπόφασιν, *His duabus sententiis refutatis*, ait; *restat tertia, quam ego verissimam puto, quæ est Driedonis lib. 2. de Ecclesiast. dogmat. & Scripturis, cap. 1. & aliorum, qui docent, Scripturas Hebraicas non esse in universum depravatas opera vel malitia Judæorum; nec tamen esse omnino integras & puras: sed habere suos quosdam errores.* Etenim cum Palæmonem heic se interponat Cardinalis, & neutram supra memoratarum amplecti velit sententiam, utrique contradicat necesse est. Et priori quidem recte contradicit, dum ait, Scripturas Hebraicas non esse omnino integras & puras; sed habere suos quosdam errores. Ceterum posteriori quomodo contradicat accurate, non satis apparet. Neque enim hæc assertio: *Scripturæ Hebraicæ non sunt* IN UNIVERSUM *depravatæ opera vel malitia Judæorum*; contradicit isti, quæ Christopolitano & Cano supra tribuebatur: *Judæi in odium Christianæ fidei studiose depravarunt & corruperunt* MULTA LOCA *Scripturarum*; uti palam est. Et certe, argumenta, quibus contra suos illos Pontificios pugnat Bellarminus, non probant dumtaxat, malitia Judæorum non esse depravatas Scripturas *in universum*; sed potius, omnino nullam corruptionem sacro codici a Judæorum malitia accidisse. Unde ne quidem illud בארי Psalmi XXII, etsi pro genuino haud agnoscit, ex Judaica de-

depravatione natum esse admittit; sed scribarum potius errori censet imputandum, §. *Dicet aliquis.* Et speciatim argumentum tertium, quod *ab incredibili religione Judæorum erga sacros libros* petitur, diserte probat, Judæorum malitia NE VERBUM *fuisse unquam in Lege Hebræorum* (h. e. Veteris Testamenti Scriptura) *immutatum.*

CAPUT III.

DE TRANSLATIONE CHALDAICA.

I.

Targum non extat in universam Scripturam.

AIt Bellarminus, *totam Scripturam veterem translatam esse paraphrastice ex Hebræo in Chaldæum.* Sed hæc assertio (quæ etiam Pauli Fagii est, præfati in Pentateuchum Chaldaicum a se conversum, & Petri Galatini, lib. 1 de Arcanis Catholicæ veritatis cap. III,) idoneis testibus vix probabitur: cum sane de paraphrasi Codicis universi a Jonathane & Onkelosо adornata, cujus Fagius & Galatinus meminerunt, altum sileat historia, nec ullum umquam Targum in Esdram & Danielem visum sit: quemadmodum neque in Paralipomena tale extitit typis vulgatum, donec anno clɔ lɔc LXXX & LXXXIII, ex mscr. una cum versione Latina & Notis, Augustæ Vindelicorum edidit Dn. Matth. Frid. Beckius. Quod num idem illud sit, cujus mscr. in Bibliotheca Cantabrigiensi habetur, dispiciant, quibus facultas ad id & occasio suppetit. Meminit hujus Brianus Waltonus, Proleg. in Biblia polyglotta Anglicana XII, 15. *Extat*, inquiens, in

in Bibliotheca Cantabrig. inter Erpenii libros, quos Academiæ donavit Dux Buckingamius, Biblia Hebraica, cum annotationibus marginalibus, in librum Psalmorum, Job, Proverbiorum, partem priorem 1. Chronic. usq; ad cap. 22. v. 6. scriptis, ut ad finem notatur, anno Christi 1347. quando autem primum confectæ, vel a quo authore, nondum mihi constat. Sero admodum harum notitiam habui, postquam Biblia nostra absolvimus, idcirco specialem illarum descriptionem alius relinquimus. Videatur etiam de Erpeniano hoc codice Christ. Ravius diss. II, part. I Alcorani Arabico-Latini, sect XXXVI, & Edmuudus Castellus in præfatione Lexici heptaglotti.

II. Deinde Cardinalis interpretem Onkelos eundem credit esse qui Aquila. Quo ipso enormem committit anachronismum. Etenim Aquila Ponticus, auctor celebris illius versionis Græcæ, sub Hadriano vixit & Antonino Pio; Onkelosum vero, Paraphrasten Chaldæum, vixisse ante natum CHRISTUM, minimum ejus & Apostolorum tempore, communis est sententia. Videantur, ex Hebræis quidem R. Abraham Zachus, in Juchasin fol. 54. R. Asarias in Meor Enajim fol. 48 & R. David Gantz in Tzemach David, fol. 40. Ex Christianis vero Christophorus Helvicus, tract. de Chaldaicis Bibliorum paraphrasibus capite II, Johannes Buxtorfius de Abbreviaturis Hebraicis, abbr. לרא & הא, ac præfatione Grammatices Chaldæo-Syriacæ, Wilhelmus Schikardus in Bechinath Happeruschim, disput. II, Jo. Henr. Hottingerus in Thesauro Philologico lib. I, cap. III, sect. I, pag. 258. & sect. III, pag. 377. Bartho-

Onkelos non est idem qui Aquila.

lomæus Mayerus in Philologia ſacra, parte II, cap. II, theor. IV, pag. 183. Waltonus loco paulo ante citato, num. IX, & proleg. IX, 19. nec non in diſſertatione de LinguisOrientalibus, num. XXVII, Petrus Dan. Huetius de Interpretatione lib. II, cap. III, 6. aliique plurimi.

Errores quos in paraphraſi Onkelos reperiri ait Bell. expendumtur.

III. Amplius ex paraphraſi Onkelos in Pentateuchum loca nonnulla profert Bellarminus, in quibus erraſſe ipſum, textumque originalem non ſatis fideliter expreſſiſſe arbitratur. Quantumvis autem nec nos affirmare auſimus, rem acu ſemper tetigiſſe interpretem iſthunc, an tamen omnia illa, in quibus impegiſſe ipſum Cardinalis credit, revera hujusmodi ſint, ut juſtam effugere cenſuram nequiverint, non præter rem diſquiretur forte.

Locus Gen. 4. 23. conſideratur.

IV. Scilicet ubi primo dicam, hoc nomine ei ſcribit, quod, cum Gen. IV, 23. in Hebræo habetur, Lamechum dixiſſe, ſe occidiſſe virum; cui Græca etiam & Latina verſio conſentiant; ipſe in ſua translatione addat negationem, & ſic contrarium ſenſum reddat; reſpondet Junius, Paraphraſtæ verba accipienda eſſe ἐρωτηματικῶς, puta ut לא intelligatur eſſe poſitum pro הלא, atque hac ratione nullam inter Hebraicum & Chaldaicum textum eſſe pugnam.

Gretſeri contra Iunium exceptio. vol. 461.

V. Et quamquam Gretſerus heic, Bellarminum ſuum propugnare ſatagens, *Junius*, inquit, *hoc ἐρωτήσεως commentum non affirmare, ſed probare debebat. Certe interpretibus Chaldaicæ paraphraſeos non incidit; ut patet ex Bibliis Regiis, & aliis. Et quare non incidit, niſi quia nec dum in cerebro Junii ſatum & inde in lucem prolatum fuerat?* laterem tamen lavat importunus Apologeta.

VI.

VI. Etenim quid probare debuit Iunius? num, quod לא interdum ſumatur interrogative pro הלא? Id vero certiſſimum eſt; producitque hujus acceptionis exempla inter alios in Lexico ſuo Valentinus Schindlerus (vide etiam quæ obſervamus infra cap. XII, 33.) aut num demonſtrandum ipſi fuit, לא heic neceſſario capiendum interrogative? Sed nec Gretſerus demonſtrare potuit, non debere ita accipi. Nam quod ait, auctoribus, qui exhibitam in opere Regio verſionem Chaldaicæ paraphraſeos Latinam adornarunt, id non incidiſſe, atque hinc conficere vult, repudiandam eſſe ſententiam Junii, ſane nimis frivolum eſt. Neque enim illa verſio præjudicare quidquam poterat Iunio, viro in talibus verſatisſimo. Et ſolet utique non raro uni ſuccurrere, quod non ſtatim in mentem veniebat alteri. Interim ſi cui forte non arriſerit Junii opinio, dici nihilominus poteſt, etiamſi verba Lamecho in translatione Onkelos tributa intelligantur negative, non tamen ipſum introduci ut qui ſimpliciter & abſolute, virum ſe occidiſſe, neget; ſed certo reſpectu; neget inquam, ita occidiſſe, ut vel ſibi vel ſuæ poſteritati damno id futurum ſit & exitio. Sic enim dicitur locutus apud Chaldæum: *Non occidi virum, ut propter eum ego portem peccatum; neque adoleſcentulum diſperdidi, ut propter eum conſumatur ſemen meum.* Quæ non tam verſionem nudam eſſe debere, quam liberiorem paraphraſin, ſententiam potius quam ſingula Hebræi textus verba exprimentem, ſatis manifeſtum eſt. *Reſponſio.*

VII. Porro ait Bellarminus, Gen. XXII, 18. & *Expenditur*

locus Gen. 22. 18.

alias aliquoties, cum Hebræus textus habeat: *Benedicentur* בזרעך *in semine tuo omnes gentes terræ*; & concordet Græcus atque Latinus; quin Apostolus Gal. III, 16. observari jubeat promissiones Abrahæ factas & *semini* ejus, non *seminibus*: Onkelon contra adhibuisse heic numerum multitudinis, dum reddiderit: *benedicentur* בדיל בנך *propter filios tuos.*

Bellarminus Chaldaica lingua rudis.

IIX. Sed videntur sane hæc innuere, Bellarminum Chaldaicæ linguæ non satis fuisse gnarum, & unice heic respexisse ad versionem Latinam Ariæ Montani. Eccur enim בנך apud Chaldæum plurale potius sit quam singulare? an forma nominis id jubet, num ratio affixi? neutrum dixerit vel prima Chaldææ Grammatices qui callet rudimenta. Quin constat potius, Plurali numero, ut a Singulari (cujus affixum citra controversiam ך) secerneretur, affixum יך olim addi solitum, ut, v. c. in לעבדיך, רעותיך, לשנאיך, לעריך, Dan. II, 4. 29. IV, 16. quamquam sine Jod legenda ea tradiderint Masoretæ. Ut ita Singularem inter ac Pluralem, illius affixi ratione nulla supersit differentia. Unde & ipse Arias, qui hoc loco בנך pluraliter reddit, alibi, nempe Gen. III, 15. idem vertit in singulari, *filium tuum.* Atque hoc est, quod ait Iunius: *Hanc formam* (בנך) *accipiunt Chaldæi promiscue utroque numero.* Quæ verba Gretsero, Chaldaicorum æque ac Bellarminus perito, meræ fuerunt tenebræ. Hinc ridicule scribit, Iunio talia affirmanti refragari Apostolum Gal. III. Quasi nimirum Apostolus ibi neget, בנך apud Chaldæos formam esse utriusque numeri!

Similiter Gretserus.

col. 461.

De loco

IX. Amplius urget Bellarminus, Exodi XII, 43. quando

quando in textu Hebræo legatur, כל בן נכר, *Omnis filius alienigena non comedet ex eo*, agno videlicet Paschali, & concordet Græcus iterum ac Latinus, Chaldæam paraphrasin in odium Neophytorum posuisse, כלבר ישראל דאשתכר *Omnis filius Israel destructus*; quo nomine passim Judæi appellent qui ad fidem Christianam, relicto Iudaismo, convertantur. Ubi Junius: *Onkelos filium alieni Dei, id est, idololatram, interpretatus est, vel qui ad idololatriam defciverit. Atque huic illius interpretationi suffragatur verborum sequentium antithesis, nec sine exemplo est,* Ex. 12, 43.

x. Quidquid vero hujus: quantum ad nomen אשתכר, testis est R. Elias Levita in Thisbite, fuisse id jam tum Antiochi Illustris tempore in usu, & generaliter de quibuscumque religionem mutantibus accipi. Quin fatetur ipse Bellarmini αὐθέντης Gretserus, designare voce isthac Iudæos quemvis in genere apostatam, sive ad idololatras ille defciverit, sive ad Christianos. Unde non erat, cur præcise in Neophytorum odium voce illa Onkelon usum esse scriberet Bellarminus; qui nimirum supponit, Onkelosum esse Aquilam, indeque diu post CHRISTUM vixisse: in quo falli ipsum, jam supra num. 11 monuimus. col. 462.

xi. Ulterius ait Cardinalis, Levit. x, 6. & xxi, 10. dum textus Hebræus habeat, ראשיכם לא תפרעו *capita vestra non radetis* seu *nudabitis*, concordentq; Græcus & Latinus, Chaldæam paraphrasin contrarium reddere, nempe sic: לא תרבון פירוע, *non multiplicabitis comam.* De locis Lev. 10, 6. & 21, 10.

xii. Ubi dum Iunius ait: *Nomen* (פרוע) *est ab Hebræa matricis linguæ significatione ductum: quasi dicat,*

cat, non multiplicabitis nudationem vel deglabrationem. concedit equidem Gretserus, uti פָּרַע significat *denudare, discooperire*, sic nomen inde formatum פֶּרַע, a quo Chaldaicum פְּרוּעַ notare *nudationem*: putat tamen, id nihil juvare Iunium, cum Hebræum פֶּרַע etiam significet *cæsariem* seu *comam*. Quasi nimirum Iunio non sufficeret, Hebraicum פרע, & consequenter, quod huic respondet, Chaldaicum פרוע, non semper & necessario notare *comam*, sed *nudationem* etiam. Dummodo enim hoc admittatur, facile tolletur pugna illa & contradictio, quam inter Hebræum textum & Targum heic intercedere affirmat Bellarminus. Nam quod dicit Gretserus, si Iuniana explicatio locum inveniat, secuturum, non absolute Deum prohibuisse ipsam rasuram seu nudationem capitis, sed tantum repetitionem seu iterationem ejus; id cujuscumque etiam momenti esse credatur, Bellarmino certe, quatenus is contradictionem, quam Hebræum inter & Chaldæum esse contendit, hypothesi illi, quod פרוע heic notet *comam*, superstruit, nihil omnino facit. Sed nolumus istis immorari diutius.

CAPUT IV.

DE VERSIONE SYRIACA.

I.

De Syriaca lingua origine & a Chal-

Quæ hoc capite de origine linguæ Syriacæ, & ejusdem a Chaldaico sermone discrepantia, aliisque similis commatis, nescio quo consilio, differit Bel-

Bellarminus, nolumus, quod proprie huc non spectant, in operosam disquisitionem vocare. Videat de iis, qui voluerit, Waltoni dissertationem de Linguis Orientalibus, num. xxxiii, & prolegom. xiii in opus Anglicanum, Hottingeri Smegma Orientale, Edoardi Brerevvodi Scrutinium linguarum capite ix, Georg. Amyræ Grammat. Syr. præludium, Buxtorfii præfationem Grammatices Chaldaico-Syriacæ, Andreæ Masii Epistolam præliminarem Grammatices Syræ, Guidonis Fabricii præfationem in N. T. Syriacum, Joh. Casp. Myricæi præfationem Grammatices Syro-Chaldææ, Bartholomæi Mayeri partem II Philologiæ sacræ, Ant. Possevini Biblioth. lib. II, cap. xvi, Augusti Pfeifferi Criticæ sacræ cap. x digressionem §. 3. seqq. ejusque Introductionem in Orientem disert. II, & quos ibi citat, Postellum, Bibliandrum, Thes. Ambrosium, Duretum, Roccham, Gesnerum, Bezoldum, Th. Hayne. *daica discrepantia.*

II. Quod Veteris Testamenti Syriaci nullam mentionem injiciat Cardinalis, non adeo mirandum. Quantumvis enim id ipsius tempore in quorundam privatorum bibliothecis Europæis extaret manu exaratum, typis tamen non nisi ante paucos annos edidit Michael de Jay, in splendido illo opere heptaglotto Parisiensi, usus præcipue heic opera celeberrimi istius Maronitæ, Gabrielis Sionitæ, qui primus Syriacum illum textum punctis vestivit (antea enim mss. omnia punctis vocalibus vel prorsus destituta erant, vel, si in una dictione punctum aliquod notatum esset, in alia erat omissum) & Latinam interpretationem adjunxit. Posthac eamdem Syria- *Etiam V. T. Syriace extat.*

cam V. T. translationem, sed, accuratiorum mss. adminiculo, longe emendatiorem, suo etiam Anglicano Operi inseruit Clarissimus Waltonus, additis, quæ in Parisiensi editione deerant, libro Esther, Judith, Tobiæ, Epistola Ieremiæ, Baruch, historia Susannæ, Belis & Draconis, Cantico trium puerorum, II ac III Maccabæorum.

III. Et hæc quidem versio Syriaca (quam *simplicem & antiquam* appellant Maronitæ, quaque sola in officiis divinis utuntur) ex Hebræo expressa est. Præter eam vero datur alia quædam recentior ex Græco translata: de qua loquitur Andreas Masius, præfatus in Josuam, & ad quam digitum intendit Arias Montanus in admonitione ad lectorem versioni N. T. Syriacæ præmissa, ubi ait: *De Veteris Testamenti libris Syriacis non adeo laborandum, eo quod ex iis fragmentis, quæ mihi videre contigit, illam sacrorum librorum partem non ex Hebraica & primæva lingua, sed ex Græca ab Origene permixta versione ad Syros esse translatam cognoverim. Quibus verbis,* inquit supra memorato loco Waltonus, *duplicem errorem erravit vir alias doctissimus; tum quod non aliam habuisse Syros versionem scribat, quam quæ ex Græco facta est, tum quod, ut magis deprimeret hanc versionem, dicat factam esse ex Græca ab Origene permixta versione: quorum neutrum verum esse, satis probatum est. Nam versionem habent ex Hebræo antiquissimam, quam in his Bibliis exhibemus: & illa, quam post ea hauserunt ex Græco, non erat ex mixta aliqua, sed ex ea, quam in Origenis Hexaplis puram esse & genuinam, omnes veteres, imo ipse Hieronymus, uno ore affirmarunt.* Hæc Waltonus: quem

quem, qui plura de hoc argumento desiderat, consulere potest, eique jungere Hottingerum, lib. I Thesauri Philologici, cap. III, sect. II, itemque Analect. Historico-Theolog. dissert. II, quæ est de Heptaplis Parisiensibus, num. VIII, seqq. Richardum Simonem Historiæ Criticæ V. T. lib. II, cap. XV, & Disquisit. Critic. cap. XXI.

Quantum titulis & sectionibus capp. editionis N. T. Syriacæ tribuendum.

IV. Bellarminus, etiamsi parum auctoritatis Novo Testamento Syriaco tribuit, adeo ut Latinam quoque editionem præferre eidem non dubitet; (quod quam bene fiat, auctores te docere poterunt modo laudati) *unum tamen*, ipso judice, *est, præter alia, ejus editionis commodum insigne; quod* videlicet, *cum in titulis ac sectionibus capitum mentio fiat jejuniorum, venerationis Crucis, precum pro defunctis, vigiliarum, memoriæ Sanctorum, aliarumque ejusmodi rerum, quas Lutherani tanquam Romani Pontificis traditiones detestantur, apertissimi mendacii hæc ipsa editio Lutheranos convincit.*

Vergerii testimonium.

V. Sed, ut nihil de eo nunc dicamus, an illa capitum summaria & additamenta Pontificiorum superstitionibus ita absolute, ut Bellarminus quidem existimat, patrocinentur, Protestantibus vero per omnia adversentur (de quibus alibi) non erat sane, cur de istis titulis & sectionibus tantopere gloriaretur, sibique & Romanæ Ecclesiæ gratularetur Cardinalis. Etenim Petrus Paulus Vergerius, olim Episcopus Justinopolitanus, & duorum Pontificum per Germaniam Legatus, quin & Ferdinando Regi adeo charus, ut pro hujus filia Catharina, una cum Georgio, Marchione Brandenburgico, & Johanne, Archiepisco-

po Lundensi, in baptismo fidejuberet; is, inquam, Vergerius, mirabili tandam occasione (quam Iohannes Sleidanus libro XXI de statu Religionis describit) ad Protestantium Ecclesiam adductus, Dialogo III adversus Hosium memorat, se domi habuisse Mosen Meridinæum, hominem natione Syrum, (qui Widmanstadio, dum is Novum Testamentum Syriacum primus in Europa typis imprimi curaret, Viennæ adfuit) & ab eodem audivisse, Widmanstadium *præter Evangelium Syriaca lingua scriptum, habuisse seorsum aliquot folia, etiam Syriace: sed quæ ipse Moses aperte videret fuisse non multorum annorum:* Widmanstadium *tamen ea quoque curasse excudi una cum ipso Evangelio, testatumque fuisse in suis præfationibus, ea non multo post tempora Apostolorum scripta fuisse.* Exhibuisse autem folia ista indicem, *qualem solent Papistæ affigere editionibus Novi Testamenti, hoc est, quodnam fragmentum Evangelii debeat legi in die dedicationis Templorum, in die mortuorum, in festo Virginis, & aliquorum Sanctorum.* Hæc Vergerius, qui se ipse vocat *hominem in dignoscendis Paparum fraudibus & insidiis a XXX annis exercitatum*, epistola ad Regem Poloniæ. Idem paulo post ait, fuisse, qui Widmanstadio, quod minus sincere cum indice isthoc egisset, publico se scripto opponere in animo haberet; sed, quia statim post procuratam illam editionem Widmanstadius obierit, consilium eum mutasse.

Testimonium Iunii.

VI. Porro de illis titulis ac sectionibus capitum etiam Junius: *In vetustissimis* exemplaribus Syriacis *ne apex quidem comparet istarum rerum, in recentioribus multis adscriptæ sunt editiones istæ ad finem libro.*

librorum, idque aliena manu. Ubi quidem Gretserus, *Scilicet*, inquit, *Junius vetustiora Syriaci Testamenti exemplaria vidit quam Widmanstadius, Ferdinandi Imp. Cancellarius inclytus, qui primus Syriacum Testamentum typis descriptum evulgavit; & quam doctissimus ille Guido Fabricius, interpres Syriaci textus, ut & alii de Bibliis Regiis evulgatis bene meriti; qui nullo in Codice deficere viderunt, qua Calvinianus iste tam acute videt in vetustissimis exemplaribus deesse. Ubinam delitescunt illa vetustissima exemplaria?* Sed respondeat ei ipse Junius, qui in suo Speculario, ceu vocat, vel Apologia pro Immanuele Tremellio adversus Gilbertum Genebrardum, Tremellium introducit ita colloquentem: *Ego, mi Genebrarde, non improbo editionem Viennensem: nam ad recentiorum Syrorum captum usumque tota accommodata est. — Veruntamen illud amplius diserte professus sum, mihi antiquum exemplum illo antiquius e Bibliotheca Illustrissimi Principis & Palatini Electoris obtigisse, vetustiore stylo, scriptura, & forma. Ex hujus fide non voces solum aliquas ad antiquioris linguæ Syrorum normam revocavi, sed lacunas etiam aliquot explevi, quæ in Viennensi desiderabantur. Hoc tu ipse, ut cæcus vespertilio esses, oculis potes percipere. Itaq; Viennense exemplum non sum sequutus, Genebrarde, ne erres, sed illud cum vetustiore comparatum colui: quo nomine si tibi dolent oculi, apud bonos certe & a malitia tua abhorrentes aliquam gratiam inivero. Tu novam Syriacam præfers, ego antiquiorem. Hæc si non sapit palato tuo, sine alieno sapere.* Hoc dubio procul illud est exemplar Heidelber-

Gretseri dubium, col. 464.

Responsio.

delbergense, quod extare, ante annos lɔ ccc manu scriptum, præfatus in suam Grammaticam Arabicam Rutgerus Spey testatur.

CAPUT V.

DE VERSIONIBUS GRÆCIS.

I.

Versio Græca, quamante Alex. M. extitisse putat Bell. ficta creditur Baronio.

CRedit, Clementis Alexandrini inductus auctoritate, Card. Bellarminus, ante celebrem illam translationem τῶν LXX extitisse jam olim editionem Græcam, quæ scilicet, priusquam rerum potiretur Alexander Magnus, incertum quo auctore, prodierit, & ex qua Plato ceterique Philosophi non pauca hauserint.

II. Verum hanc editionem merũ commentũ esse, nec umquam fuisse in rerum natura, affirmare non dubitat Bellarmini Collega Card. Baronius, ad ann. Christi CCXXXI, 10. seqq. Et primo quidem urget testimonium Philonis, nominatissimi illius scriptoris Judæi, qui libro II de vita Mosis plane significat, ante perfectam versionem LXXviralem, Scripturam divinam, sine traductione in ullam aliam linguam, delituisse in penetralibus Hebræorum, eodem charactere & idiomate, quo initio fuerat scripta.

Testimonium Philonis.

Verba Philonis sunt: *Lex antiquitus scripta fuit lingua Chaldaica*, (Hebraicam eum linguam intellige-re, notaverat jam supra Baronius ad ann. CLXXX, 13. quod Abrãham Chaldæus fuerit, & Chaldaica illorum temporum lingua eadem esset cum Hebraica. Vide

& Hie-

& Hieronymum in Dan. 1, 4.) *manſitque longo tempore in ea, quamdiu legis ipſius pulchritudo non eſt intellecta ab externis hominibus. Poſtquam autem ex quotidiano ejus uſu etiam ad alienos ſenſus quidam permanavit, ſimul glorioſa quoque fama ubique terrarum increbuit, (nam honeſtis rebus ad tempus obeſſe poteſt invidia, illæ autem ſe proferunt tandem ſuapte felicitate ingenii) extiterunt, qui indigne ferrent, has leges parti tantum humani generis innotuiſſe, Græcas gentes nullum earum guſtum cepiſſe: dederuntque operam, ut verterentur per idoneos interpretes. Id opus quia magnum erat, & reipublicæ utiliſſimum, non privatis hominibus obvenit, non mediocribus iſtis Principibus & Regulis; ſed Regi omnium celebratiſſimo. Ptolemeus fuit Philadelphus cognomine, tertius ab Alexandro Ægypti Rex.*

III. Porro ad auctoritatem Ioſephi, itidem ſcriptoris inter Hebræos nominatiſſimi, provocat Baronius; cujus verba, lib. XII Antiquit. Jud. cap. II: *Cæpit* Ptolemeus Rex *conferre cum Demetrio, rogans, qui factum ſit, ut tam admirandarum legum nec Hiſtoricus ullus, nec Poëta mentionem fecerit. Tunc Demetrius reſpondit, meminem auſum eam attingere, quam conſtaret divinam eſſe, & omni veneratione digniſſimam: & punitos eſſe quosdam a cœleſti numine, qui illam temere attrectare non ſint veriti. Theopompum enim, volentem inde quædam ſuis ſcriptis inſerere, mente motum fuiſſe diebus triginta, & per intervalla inſaniæ Deum placaſſe, facile conjicientem, quæ morbi cauſa fuerit, atque etiam in ſomnis admonitum, hæc ideo pati, quod fuiſſet circa res divinas curioſior, eaque voluiſſet proferre*

Ioſephi teſtimonium.

proferre profanis hominibus: quare cum a cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam. Theodecti etiam Poëtæ, cum in quadam tragœdia vellet aliquid e sacris libris admiscere, oculos glaucomate suffusos caligasse: & cum erratum agnovisset, exorato Deo redditam sibi aciem. Hæc Josephus. Unde colligit Cardinalis, nullam antea translationem extitisse umquam, cum alioqui ea non caruisset Demetrius, quippe qui tam ingentem librorum molem collegerat, ut nullus pene eorum, quorum notitia haberetur, reliquus esset. Quod si alicubi Scripturarum versio extitisset, in Ægypto inprimis illam reperiri oportuisse; siquidem in Ægyptum peregrinatos Platonem aliosque Philosophos, ibique res Hebræorum cognovisse, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Eusebius, aliique scriptores affirment; ingentem etiam Judæorum multitudinem in Ægypto agere consuevisse, Philo testis sit.

Testimonium Aristæ.

IV. Tandem Aristææ etiam locum profert Baronius, quo ostendit, ea de causa initum esse consilium accersendi Ierosolymam Interpretes Ebræos, quod, licet libri Iudæorum innotuissent, nondum tamen, qui eos transtulissent, fuissent inventi. Aristææ verba sic habent: *Demetrius Phaleræus, cum Regiæ bibliothecæ præpositus esset, diligenti cura elaborabat, ut ex universo orbe, quoad fieri posset, volumina compararet, distributis per oportuna loca hominibus, qui libros & emerent & transcriberent: quo studio demum perfecit, ut, quantum in se erat, impleret Regis propositum. Nam præsentibus nobis, cum ab eo peteretur, quot librorum millia congregasset, inquit: Rex, supra ducenta millia jam in bibliothecam redacta sunt, brevique numerum*

merum adimplebo, ut ad quingentorum millium summam ascendam. Nunciatur quoque mihi, Judæorum leges transcriptione dignas esse, & quæ in Bibliotheca tua habeantur. Quid igitur obstat, ait, quod te hoc facere prohibeat? nonne omnia tibi in hunc usum prompta subjectaque sunt? Cum respondisset Demetrius, interpretatione opus, intercipiens Rex, scripturum se inquit ad Judæorum Pontificem, ut omnia perficiantur.

Quomodo Judæorum dogmata innotuerint Philosophis gentilibus.

v. Ad Philosophos quod attinet, qui ex vetustissima illa Alexandri M. ætatem antegressa Scripturarum versione nonnulla Judæorum dogmata hausisse creduntur, de iis ita judicat Baronius: *Quæ Philosophi ex Judæis accepisse noscuntur, traditione potius, cum quid rogarent Judæos, ab eis mutuatos esse putamus. Sicut, cum quidam ex illis apud Gymnosophistas versati, quæ ab illis audissent, didicerunt, non quidem quod ab eis libros accepissent; atque in Græcum sermonem convertissent. Sic igitur ex viva illos potius voce accepisse putandum, Judæo homine aliquid illis dictante & interpretante, quam ex aliqua scriptura Græce scripta, atque omnibus pervulgata. Quemadmodum Aristoteli accidisse tradit discipulus ejus Clearchus (ut refert Josephus) dum ait, ipsum usum fuisse Hebræo homine ad Scripturæ interpretationem: quæ si Græco sermone tradita antea fuisset, quorsum illi opus interprete? Hæc igitur me quidem magis permovent, quam Clementis Alexandrini auctoritas, asserentis, ante tempora Alexandri & regnum Persarum, Pentateuchum in Græcum sermonem fuisse conversum, ea nimirum tantummodo ratione, quod Philosophi ex Hebræorum scripturis aliqua accepisse noscantur. Sed hæc absque divinæ Scripturæ ver-*

lib. 1. contra Apion.

Strom. lib. 1.

sione aliter accidere potuisse, jam diximus. Pergit Cardinalis: Quin & affirmare possumus, Philosophos ex aliis scriptoribus, qui prosecuti sunt res Hebræorum, ea de Judæorum institutis mutuatos esse, ut ex Hecathæo Abderita, viro insigni, qui vixit temporibus Alexandri, & de ipsis Judæis integrum librum scripsit, ut tradit Josephus contra Apionem. Idem quoque testatur, historias Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum, atque Græcorum, meminisse rerum Judaicarum: idipsum præstitisse ait etiam complures Græcos auctores, quos nominatim recenset: ut non adeo mirum sit, si perpauca quædam Philosophi ex Judæis accepisse dicantur. Nam ea ipsa, vel ab illis tradentibus, vel ex Græcis ipsis de Judæis scribentibus, aut Ægyptiorum, vel Chaldæorum, vel Phœnicum historiis, absque aliqua divinæ Scripturæ versione vulgata, didicisse perfacile contigit: cum præsertim idem Hecathæus Abderita, quem citant Demetrius in Aristæa, atque Josephus, testetur, nullum Græcorum ausum fuisse attingere Scripturam Judæorum, quod sacrosancta esset, nec profano ore tractari deberet: adeo ut, qui ante eum usi essent divina Scriptura, alio quopiam edisserente Judæo, vel alio aliquo modo (ut dictum est) eam visi sint accepisse. Sed & Justinus Martyr nullam aliam, quam septuaginta interpretum, antea factam esse translationem affirmat. His igitur permoti rationibus, concludit tandem Baronius, Philonem, Josephum, Aristæum, aliosque secuti, primam omnium ac principem dicimus divinæ Scripturæ interpretationem, quæ a septuaginta duobus interpretibus, rogante Ptolemæo Philadelpho, fuit divino elaborata consilio.

lib. 12. Antiq. c. 2.

adversus Gentes.

VI. Hæc adversus Card. Bellarmini hujusque pro

propugnatoris Gretſeri opinionem Card. Baronius. cum quo heic porro confer Dominicum Bannes in I Thomæ, quæſt. I, artic. IIX, Joh. d' Eſpeires de LXX Interpretibus tract. II, diſp. II, dubio III, Ludovicum Capellum libro IV Critices ſacræ, cap. I, Brianum Waltonum proleg. IX in Biblia Anglicana, num. VI. Unde non erat cur ſcriberet Gretſerus: *Quis non potius fidem adhibeat Clementi Alexandrino, auctori vetuſtiſſimo, quam Witackero*, (qui ſcilicet & ipſe verſionem illam, quæ longe ante Philadelphi tempora extiterit, pro commento habet) *Novatori recentiſſimo?* Quaſi nimirum ſolus Whitakerus is eſſet, qui translationem iſthanc repudiaret, & non idipſum faceret ſimiliter Baronius. Cum quo idem heic ſentire *recentiores plerosque*, teſtatur ex ſchola Romana vir magnæ celebritatis Petr. Dan. Huetius, Demonſtr. Evang. propoſ. IV, cap. XII. ubi *ab eruditis in utramque partem multum diſputatam controverſiam* (ſic enim loquitur) an Scriptura S. jam ante Perſici imperii excidium Græca lingua fuerit donata? allatis utriusque argumentis, ita decidit tandem, ut mediam amplectatur ſententiam: puta, *non totum Pentateuchum, ſed partes tantum quasdam ante Alexandrum Græce redditas fuiſſe.* Quod quibus rationibus probare nitatur, apud ipſum auctorem legi poteſt.

CAPUT IV.

DE INTERPRETATIONE LXX SENIORUM.

I.

AGens de verſione LXXII Interpretum (quos LXX *Nam, quem.*

do apud veteres Legem vertisse dicuntur 70. do tota id Scriptura capiendum.

numero rotundo solemus appellare) Bellarminus, quæstionem inter alia movet, solumne Pentateuchum illi, an omnes V. T. libros verterint? affirmansque posterius, ad argumentum in contrarium afferri solitum, puta quod Aristæus libro de LXXII Interpp. Josephus præfatione in libros Antiquitatum, & libro XII Antiqu. cap. 11, Philo libro 11 de vita Mosis, solius Legis faciant mentionem, respondet, Aristæum nomine Legis non intelligere solum Patenteuchum, sed omes libros sacros; cum a Lege, quæ liber erat præcipuus, omnes libri fuerint denominati: cujus rei documenta in ipso etiam sacro Codice extent; v. g. Ioh. X, 34. XV, 25. 1 Cor. XIV, 21.

Gretseri sententia. col. 470.

11. Verum ingenue heic Gretserus, *Ut*, inquit, *Philoni, Aristeæ, & ipsi Josepho, lib. 12. Antiquit. cap. 2. & lib. 2. contra Apionem, quibus locis de septuaginta Interpretibus agit, hæc responsio accommodari queat, non video tamen, quomodo per eam satisfiat illi, quod Josephus scribit in proœmio seu capite primo libri Antiquitatum: ubi expressè dicit, non totam Scripturam, sed solam legem fuisse à 70. Interpretibus translatam. Ait enim, se imitari velle scribendis Antiquitatum libris, & quidem ex Hebræorum monumentis, Græce ab se conversis, liberalitatem & munificentiam summi Pontificis Eleazari; qui Ptolomæo Philadelpho Græcisq; aliis non inviderit, quo minus fruerentur utilitate, quæ ex Hebræorum libris percipitur; additque:* κἀμαυτῷ δὴ πρέπειν ἐνόμισα, τοῦ μὲν ἀρχιερέως μιμεῖσθαι τὸ μεγαλόψυχον, τῷ δὲ βασιλεῖ πολλοὺς ὁμοίους ὑπολαβεῖν καὶ νῦν εἶναι φιλομαθεῖς. οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἐφθηλαβεῖν τὴν ἀναγραφὴν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες τὴν ἐ-

ξήγη-

ξήγησιν περὶ τ ἀλεξανδρειαν. *Mihi quoque convenire duxi, ut & Pontificis imitarer magnanimitatem, & multos etiamnum Regi illi discendi cupiditate similes inveniri existimarem. Quanquam ille non totam Scripturam adeptus est, sed sola illa, quæ ad legem pertinent, tradiderunt ii, qui missi fuerant Alexandriam, interpretationis faciendæ gratia. Quibus verbis apertè satis testatur Josephus, non totam Scripturam, sed solam Mosaicam legem à 70. Interpret. fuisse versam. Et ita intellexit Josephum S. Hieronymus in Quæst. Hebraicis, his verbis: Accidit ad hoc quoq; quod Josephus, qui septuaginta Interpretum ponit historiam, quinque tantum ab eis libros Moysi translatos refert. Nec dubito, quin S. Hieronymus hæc scribens ad prædictum Josephi locum respexerit: qui in caput quintum Ezech. eandem sententiam non modo Iosepho, sed & Aristeæ, & universæ Iudæorum scholæ tribuit: quod etiam facit in cap. 2. Micheæ,* Hæc Gretserus. Vide & Waltonum, Prolegomeno Biblico IX, II.

III. Tametsi quæ de cellulis, quibus inclusi fuerint Interpretes, miraculosa memorat Justinus, quique ejus narrationi assentiuntur tum prisci tum recentiores scriptores non pauci, inprimis Pontificii, & inter hos, quamquam paulo timidius, ipse Card. Baronius, pro confictis habet Bellarminus, in illo nihilominus miraculum statuit, *quod tot homines, simul conferendo, tam brevi tempore potuerint convenire in singulis sententiis transferendis. Ubi enim est multitudo,* ait, *diversitas iudiciorum evitari non potest, & vel nunquam conveniunt, vel non nisi post longas disceptationes.*

An miraculum, quod 72. totidem dierum spatio suam confecerint Versionem.

IV. Verum non præter rem dubitari posse videtur, an miraculo imputandum necessario, quod a tot viris LXXII dierum spatio, V. T. libri ex Hebræo in Græcum traducti sint sermonem. Etenim vix probabile est, omnes simul in unaquaque sectione vel libro vertendo laborasse; sed videntur potius totum opus inter se fuisse partiti, aliis hanc partem assignando, aliis illam; cumque singuli pensum suum, vel ejus portionem aliquam, confecissent, statis horis vel diebus convenisse: ubi singulorum elucubrationes reliquorum judicio submissæ, &, si dubium aliquod occurebat, communi consilio explicatum, cunctisque mature perpensis & discussis, quod ab uno vel pluribus primo confectum fuerat, communi omnium suffragio approbatum, atque sic pro totius conventus versione receptum & evulgatum. Arridet hæc conjectura Iacobo Bonfrerio, Jesuitæ celeberrimo, cui, in Præloquiis Commentario in Pentateuchum præmissis, cap. XVI, sect. XVI, non fit verisimile, Interpretes *omnes simul eodē tempore & momento easdem Scripturæ sententias esse interpretatos.* Sed &, quod non eodem tempore, quo versionem adornabant, instituerint collationem, affirmat Nicolaus Serarius, itidem magni nominis Jesuita, Prolegom. Bibl. cap. XVI, quæst. X, *In una quadam Basilica*, scribens, *suas versiones rectè dicuntur contulisse; sed non eo tempore quo fiebant, verum postea quam factæ jam essent, ut significant Aristæus & Iosephus.* Hoc ergo si ponatur, quis non videt, potuisse viros illos LXXII intra totidem dierum spatium sine miraculo omnes V. T. libros transferre? Fac enim, singulos dimidium capitis

pitis singulis diebus vertisse, (quod utique nullo negotio fieri poterat) totum opus, quod CMXXV capitibus circumscribitur, singulis diebus capita XXXVI, interpretando, intra XXIIX dies absolvere potuissent; qui non multum superant partem tertiam dierum LXXII. Reliquum vero tempus impendi poterat lectioni & examini eorum, quæ a singulis erant confecta, coram omnibus & ab omnibus instituto: ut ita tandem, post disceptationem de iis quæ dubia visa, & deliberationem maturam, quod communi suffragio ratum erat, pro omnium LXX opere haberetur. Videsis, qui pluribus hæc persequitur, & simul dubiis, quæ contra moveri poterant, occurrit, celeberrimum Waltonum, loco paulo ante memoraro, num. X.

De auctoritate Versionis 70 Interpp.

V. In quæstione de auctoritate versionis τῶν LXX occupatus Bellarminus, *Certissimum esse debet*, ait, 70. *Interpretes optime transtulisse, & peculiari modo Spiritum S. assistentem habuisse, ne qua in re errarent, ut non tam* INTERPRETES *quàm* PROPHETÆ *fuisse videantur.* Quæ quidem si ita intellecta vult, ut eos, *More Scriptorum Canonicorum, non tam egisse, quam actos esse* credat a Spiritu sancto, ceu contendit ejus hyperaspistes Gretserus, nos opponimus hoc argumentum: *col. 48.*

Qui auctores debuerunt multum laborare in sua versione edenda, illi non adornarunt eandem more scriptorum canonicorum.

At vero LXX Interpretes debuerunt multum laborare in sua versione edenda.

Ergo non adornarunt eandem more scriptorum canonicorum.

Major est ipsius Bellarmini, ut qui, libro II de Conciliorum

ciliorum auctoritate cap. XII, *Scriptores sacri*, inquit, *non debuerunt multum laborare in suis libris edendis: satis enim erat, si laborarent scribendo, vel dictando, si edebant vaticinia, vel ad summum, revocando ad memoriam quæ viderant vel audierant, & cogitarent verba quibus ea scriberent, si scribebant historias, vel epistolas, vel aliquod simile.* Confer quæ hanc in rem a nobis allata tract. de Canone, cap. XV, 7. Minor itidem ex Bellarmino plana; ut qui fatetur, LXX, antequam convenire potuerint in transferendo, necessum habuisse inter se conferre & disputare de re qualibet: quod utique sine singulari labore ac industria fieri non potuit. Unde & Hieronymus, epist. CIII, sive præfatione in Pentateuchum, observat, quod Aristæas & Iosephus interpretes illos, *in una basilica congregatos, CONTULISSE scribant, non PROPHETASSE.* Adde, quod narrat Philo, Seniores illos, considerantes apud se, *quantum opus esset*, divinas leges interpretari, cum nihil liceret vel aufferre, vel apponere, vel transponere, sed primam ideam formamque servare, observasse insulam quandam sibi oportunam, ibidemque mansisse, quod hunc locum judicarent omnium esse optimum.

Resp. ad arg. 1 Bell. pro auctoritate versionis 70 virilis.

VI. Quæ pro sententia sua firmanda Cardinalis affert, parum habent roboris. Provocat nimirum primo ad testimonium Aristæi, Philonis, Josephi, Iustini, Irenæi, Eusebii, Clementis Alexandrini, Epiphanii, Chrysostomi, Cyrilli, Tertulliani, Augustini, Hilarii, ceterorum omnium, ipsiusque adeo Hieronymi.

VII. Verum utut prisci Doctores plerique, Spiritum

ritum sanctum peculiari quodam modo LXX Interpretibus adstitisse affirment, *more* tamen *scriptorum canonicorum* ab eodem illos fuisse actos non ajunt. Quin potius Augustinus, qui alias præ reliquis Patribus extollere hanc translationem satagit, epistola XIX, ad Hieronymum, *Ego*, ait, *solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. — Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili* (proba ac firma) *ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Quod si ita, si inquam, SOLOS librorum canonicorum AUCTORES & CONSCRIPTORES ab errandi periculo immunes credidit Augustinus, non potuit certe infallibilitatem tribuisse LXX Senioribus, ut qui non auctores fuere & conscriptores librorum canonicorum, sed eorumdem solummodo translatores. Ac notentur amplius, quæ eodem loco habet venerabilis Doctor: *Si aliquid in eis offendero literis* (sacris canonicis) *quod videtur contrarium veritati, nihil aliud, quam, vel mendosum esse codicem, vel* INTERPRETEM NON ASSEQUUTUM ESSE *QUOD DICTUM EST, vel me minime intellexisse, non ambigam.* Quinam, obsecro illi erant interpretes, de quibus suspicari potuit Augustinus, aliquando non fuisse assecutos quod dictum est, puta in fonte? annon utebatur etiam versione Græca τῶν LXX? Ergo & hos potuisse in transferendo aberrare credidit.

IIX. Ad Hieronymum quod attinet, tantum *Hieronymi*

sententia de 70. Interpp.

abeſt, ut ille ἀναμαρτησίαν in vertendo τῆς ἑβδομήκοντα tribuat, ut potius, humano eos more translationem ſuam adornaſſe, non ſemel conceptis quaſi verbis aſſeveret. Sane Epiſtola CIII, ad Deſiderium, ſive præfatione in Pentateuchum, totus in eo eſt ut hoc oſtendat. Reſponſurus videlicet ibi obtrectatoribus, qui ipſum, de Hebræo in Latinam linguam Scripturæ libros transfundentem, in LXX interpretum ſugillationem nova pro veteribus cudere cavillabantur, primum urget, quod multa prætermiſerint in ſua verſione LXX, quæ extent in Hebræo: cujus, inquit, *cauſas* ERRORIS *non eſt meum exponere.* Cum vero opponi poſſe animadverteret, quod pro divina & infallibili illorum translatorum auctoritate afferri ſolet de cellulis miraculum; *Neſcio*, ait, *quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit, quibus diviſi, eadem ſcriptitarint: cum Ariſteus, Ptolomæi ὑποθεωρητὴς, & multo poſt tempore Joſephus, nihil tale retulerint, ſed in una baſilica congregatos* CONTVLISSE *ſcribant, non* PROPHETASSE. *Aliud eſt enim*, inquit, *VATEM, aliud eſt, eſſe* INTERPRETEM. *Ibi Spiritus ventura prædicit; hic* ERUDITIO *& verborum copia* EA QUÆ INTELLIGIT, *transfert. Niſi putandus eſt Tullius Oeconomicon Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demoſthenis pro Cteſiphonte, afflatus Rhetorico ſpiritu transtuliſſe; aut aliter de eisdem libris per ſeptuaginta Interpretes, aliter per Apoſtolos Spiritus ſanctus teſtimonia texuit, ut, quod illi tacuerunt, hi ſcriptum eſſe mentiti ſint.* & mox, de iisdem rurſum Senioribus loquens, *Illi interpretati ſunt*, ſcribit, *ante adventum Chriſti, &* QUOD NESCIEBANT, DUBIIS PROTULERE SEN-

SENTENTIIS: nos vero, post passionem & resurrectionem ejus, non tam prophetiam, quam historiam scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrantur. QUOD MELIUS INTELLIGIMUS, MELIUS ET PROFERIMUS. Audi igitur, æmule, concludit tandem Hieronymus, *obtrectator ausculta. Non damno, non reprehendo Septuaginta, sed considenter CUNCTIS ILLIS APOSTOLOS PRÆFERO. Per istorum os mihi CHRISTUS sonat: quos ante Prophetas inter spiritalia charismata positos lego, in quibus ultimum pene gradum interpretes tenent.* Ubi vides, *errorem* LXX interpretibus tribuere Hieronymum, quod nimirum omiserint in sua versione nonnulla, quæ in Hebræo codice extent, & in N. T. citentur; vides, disturbare eundem LXX cellulas, (quod etiam facit præfatione CVII, in Paralipomena) quibus potissimum alioquin superstrui solet auctoritas illorum Seniorum; vides, affirmare ipsum, quod non *prophephetarint* LXX, cum *contuliſſe* dicantur Aristeæ & Josepho; quod *eruditionis* adminiculo translationem suam concinnarint; quod transtulerint *quæ intellexerint*; quod quædam *nesciverint*, illaque propterea *dubiis protulerint sententiis*; quod nos in N. T. *melius intelligamus* mysteria fidei, indeque & *melius proferamus*, quam in V. T. intellexerint & protulerint LXX. Vides porro, secundū Hieronymum, ni Spiritus sanctus a seipso dissensisse credi debeat, dum scilicet locutus per Apostolos, in V. T. scripta esse dixerit, quæ, locutus per LXX, ibidem scripta negaverit, προφητείαν illam stricte acceptam LXX tribui non posse. Tandem vides, non alio loco esse LXX Hieronymo, quam quo sunt interpretes, de quibus Apostolus 1 Cor. 12. 28. ff.

Cor. XII, 30. Quin observetur, quod eos comparet cum interpretibus profanis, qualis Cicero, translator Oeconomici Xenophontis. Et hucusque de isto Hieronymi loco: quo cum confer, quæ habet idem epistola CI, ad Pammachium, de optimo genere interpretandi. Notans nimirum ibi, verba Oseæ XI, I. aliter a LXX in Græcum sermonem fuisse traducta, quam leguntur in Hebræo, *Num omnino repudiandi sunt*, ait, *quia istum locum, qui ad* CHRISTI *maxime pertinet sacramentum, aliter transtulerunt? an danda potius venia ut hominibus, juxta Iacobi sententiam, dicentis: Multa peccamus omnes; & : Si quis in verbo non offendit, iste perfectus est vir, potens refrenare omne corpus.* Sic etiam alibi videmus eum libere errores & lapsus τῆς ἑβδομήκοντα objicere. v. gr. commentans in Os. IX, 6. *Quod*, inquit, *in LXX dicitur*: Sepeliet eos Machmas; *in Hebræo non habetur; sed* מחמד *quod appellatur* desiderabile. *Ex quo perspicuum est,* FALSOS EOS ESSE *similitudine literarum* ו & ד, *& pro* Machmad, *quod omnes* desiderabile *transtulerunt, putasse* Machmas, *Ægypti civitatem.* & mox, ubi iterum pro eo quod in fonte est, ירעו, LXX habent: ἐκακωθήσεται, *errorem* id vocat *solitum.* Similia legas passim alibi.

Iac. 3, 2.

Locus I. quo Hieronymum peculiarem Sp. S. assistentiam 70 tribuere putat Bell. expenditur.

IX. Sed objicit Bellarminus, Hieronymum tamen præfatione I in Paralip. scribere, *si versio LXX integra haberetur; ut ab eis edita fuit, frustra se laboraturum in Bibliis transferendis.*

X. Resp. Integer Hieronymi locus hic est: *Si Septuaginta interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superfluæ me, Chromati, Episco-*

Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari. Nunc vero, cum, pro varietate regionum, diversa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrii putas, aut e pluribus judicare, quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere. Quid hinc elicies, obsecro, pro ἀναμαρτησία & auctoritate Prophetica Seniorum? Dicit Hieronymus, si translatio LXXviralis pura suo tempore extitisset, & prout a primis auctoribus fuerat profecta, noluisse se versionem Latinam ex Hebræo adornare. Addit causam: partim, quod illi Seniorum interpretationi jam assuevisset populus; partim, quod eam reverentiam meruisset editio, quæ primorum Christianorum roboraverat fidem, ut præ ceteris interpretationibus cunctis in Ecclesia obtineret. Quod ideo versionem aliam concinnare noluisset, quia illa τῶν LXX interpretatio genuina viros Propheticos & falli nescios habuerit auctores, id nullo verbo innuit.

Considerantur loca.

XI. Porro urget Cardinalis, quod idem Hieronymus Præfatione 11 in Paralipomena dicat, *Septuaginta interpretes, Spiritu sancto plenos, quæ vera sunt transtulisse.*

XII. Ceterum nec inde, Prophetico more eos scripsisse, colligendum. Nam & Gaudentius, v. g. Brixiensis Episcopus, tractatu de ordinatione sua, de Ambrosio, qui tum aderat, *Loquetur*, inquit, *SPIRITU SANCTO, QUO PLENUS est, & flumina de ventre*

ejus fluent aquæ vivæ. Ac solent alias quoque Patres Ecclesiæ vetusti has similesque phrases: *a Spiritu sancto suggeri, dici, dictari, inspirari*, significatu interdum capere adeo laxo, ut de iis etiam, quos ex speciali θεοπνευσία scripsisse non credunt, illas usurpent. Videsis quæ hanc in rem notavimus Tractatu de Canone, capite IIX, 6.

Perpenditur locus 3.

XIII. Tandem & illud Bellarminus opponit, quod Hieronymus in Apologia contra Ruffinum libro II affirmet, *se nunquam LXX interpretibus detrahere voluisse.*

XIV. Sed an inde sequitur, eum divinam ipsorum translationi auctoritatem tribuisse? Certe in hac ipsa, ad quam Cardinalis provocat, Apologia cuncta verbotenus repetit probatque Hieronymus, quæ præfatione sua in Pentateuchum de versione LXX virali asseveraverat, supra in considerationē vocata. quibus tantum abest ut ἀναμαρτησίαν translationi huic adscribat, ut potius contrarium inde pateat manifesto. Protestatur in Apologia anti-Ruffiniana Hieronymus, se non (ut criminabantur ejus obtrectatores) *in Septuaginta condemnationem Scripturas sanctas interpretatum*, nec eosdem *mordere* & *fugillare*; addit tamen diserte, non tantam ipsorum esse auctoritatem, quanta Apostolorum; hosque & Evangelistas Hebræum textum sequi, non Græcum, quoties ab illo iste discrepat; quin ipsum Dominum atque Salvatorem, ubicumque Veteris Scripturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponere exempla.

Responsio ad argumen-

XV. Ex qua ipsa Hieronymi assertione, quæ sub finem Apologiæ habetur, simul responsio patere potest

test ad argumentum Bellarmini secundum, quod pro αὐθεντία translationis LXXviralis urget; inde videlicet petitum, *quod Apostoli hac versione frequenter utantur, ut ex eorum citationibus pateat.* Si enim ideo dicta translatione in citationibus suis uterentur Apostoli, quod divinæ illam auctoritatis esse credant, cur non semper & ubique ea uterentur? Id vero nequaquam fieri, testis est Hieronymus, eo ipso, de quo jamjam agebamus, loco. Sed dabimus illum nunc integrum. *Apostolici viri*, inquit, *Scripturis utuntur Hebraicis: ipsos Apostolos & Evangelistas hoc fecisse perspicuum est. Dominus atq; Salvator, ubicunq; Veteris Scripturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponit exempla; ut est illud:* Qui credit in me, sicut Scriptura dicit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *& in ipsa cruce:* אלי אלי למה עזבתני Eli, Eli, lamma azavtani *quod interpretatur:* Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? *non, ut à Septuaginta positum est,* Deus meus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti? *& multa his similia. Nec hoc dicimus, quod Septuaginta interpretes sugillemus; sed quod Apostolorum & Christi major sit auctoritas; & ubicunque Septuaginta ab Hebræo non discordant, ibi Apostolos de interpretatione eorum exempla sumpsisse; ubi vero discrepant, id posuisse in Græco, quod apud Hebræos didicerant.* Confer epistolam CI, ad Pammachium, de optimo genere interpretandi, epist. CLI, ad Algasiam, quæst. II, præfationem CVII, quæ est prior in Paralipomena, præfationem CIX, in Esdram & Nehemiam, præfationem in lib. XV & XVI Commentariorum Esaiæ, procœmium Quæstionum Hebraicarum in Genesin, Comment,

tum. Bell. V.

Ioh. 7, 38.

Psal. 22, 2.

ment. in Malach. III. 3. Non ergo propterea versione τῶν LXX in citatione V. T. usi sunt Apostoli, quod pro θεοπνεύστῳ illam habuerint, sed ut accommodarent se iis, quos instruendos susceperant. Cum enim Græce scriberent, facile usi sunt ea editione quæ tum sola Græcis erat cognita.

Resp. ad Bell. arg. 3.

XVI. Tertium Bellarmini argumentum, si in justa forma proponatur, hoc est:

Quam interpretationem Catholica Ecclesia multis seculis secuta fuit, illa authentica est & θεόπνευστος.

Atqui interpretationem LXXviralem Catholica Ecclesia multis seculis secuta fuit.

Ergo interpretatio illa authentica est & θεόπνευστος.

XVII. Resp. Majorem hujus argumenti non posse admitti, inde patet manifestissime, quod Catholica Ecclesia etiam secuta est interpretationem Theodotionis, saltim quantum ad Prophetam Danielem; uti passim inculcat Hieronymus. Vide inter alia ejus præfationem in Josue, Comment. ad Ezech. III, 14. Apolog. adversus Ruffinum lib. II, circa finem. Quam tamen Theodotionis versionem nemo propterea authenticam dixerit & θεόπνευστον, utpote profectam ab homine, qui primum Hæreticus fuit, ex impio nempe Marcionitarum grege, post ad Iudaismum accesit, & tum, Hebrææ linguæ notitiam nactus, Scripturis vertendis manum admovit. Unde simul patet, neque veram esse propositionem Minorem; Ecclesiam *multis seculis* secutam esse interpretationem LXXviralem, puta genuinam illam ac intemeratam. Nam, uti dixi, testatur Hieronymus, in Eccle-

Ecclesia Danielem fuisse lectum ex Theodotionis, non autem e LXX Seniorum editione. Quibus accedit, quod Origenes, versionem τῶν LXX cum Hebræo textu conferens, & non parvam discrepantiam animadvertens, Senioribus Theodotionem miscuerit, adhibitis asteriscis ac obelis, quibus & quæ minus fuerant indicabantur, & quæ superfluebant, jugulabantur; *ut*, ipsomet Bellarmino judice, *novam editionem fecisse videatur.* Quæ quidem tanta cunctorum approbatione est suscepta, ut brevi omnes Ecclesiarum bibliothecas repleverit; ceu rursum Hieronymus testatur, epistola LXXXIX, ad Augustinum. Adde, quod idem ille celeberrimus Doctor, prout Ecclesias Græcas trifariam distribuit, ita singulis suas editiones assignat, præfatione CVII, in Paralipomena; *Alexandria, scribens, & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudant auctorem: Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat: mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt: totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.* Applica porro huc quæ monemus infra cap. x, §. At satis tandem de versione τῶν LXX.

CAPUT VII.

DE TEXTU GRÆCO NOVI TESTAMENTI.

I.

DE auctoribus Græcæ N. T. editionis agens Bellar-

larminus, *Constat*, inquit, *Testamentum Novum Græcè scriptum esse ab iis Apostolis vel Evangelistis, quorum nomina in titulis singulorum librorum vel Epistolarum præfiguntur; exceptis duntaxat Evangelio Matthæi, & Marci, & Epistola ad Hebræos.*

De Evangelio Matthæi & Epistola ad Hebræos Hebraice scriptis.

II. Et sane Evangelium Matthæi ac Epistolam ad Hebræos sermone Hebraico primitus fuisse conscripta, veterum plerique affirmant. Neque tamen desunt, etiam ex ipsismet Pontificiis, quos in contrariam heic ire sententiam videas. Ita Martinus Martinez, Theologus Hispanus, libro 1 Hypotyposeon Theologicarum, capite VI, *Irenæus*, ait, *& innumeri alii autumant, Matthæi Evangelium Ebraice fuisse scriptum: Epistolam quoq; ad Ebræos Ebraico idiomate in lucem prodiisse, multi viri ingenio præstantes affirmant. Ab utrorumque judicio libenter discedere non verebor.* Similiter Stapletoni diserta vox est, in Relectione Principiorum, contr. V, art. IV: *Apostoli omnes non nisi Græce scripserunt.* & post: *Apostoli & Evangelistæ solum Græce scripserunt.* Adde, qui itidem Hebraica lingua Evangelium Matthæi primitus editum negat, Card. Cajetanum. Ut de Erasmo nihil dicam, qui & ipse ad Matth. IIX, non sibi fieri verisimile ait, Matthæum Hebraice scripsisse.

III. Et ne temere ac sine ratione de Hebræo textu dubitare videantur hi auctores, Cajetanus urget, quod voces Hebrææ apud Matthæum occurrentes, ut *Immanuel*, cap. 1, 23. *Eli*, cap. XXVII, 46. explicentur idiomate Græco; *Non poterat*, inquiens, *Hebraica editio interpretari; nec debuit ullus interpres, ut patet exemplo aliarum vocum.* uti Erasmum id movet, quod *nemo testetur,*

sc

se vidisse ullum illius Hebraici voluminis vestigium: siquidem illud quod Nazaræorum vocant, nec Hebraice scriptum testetur Hieronymus, sed Chaldaice, formulis dumtaxat Hebraicis, inter apocrypha censeatur.

IV. Et certe quæ pro αὐτοψία primo intuitu facere heic videntur testimonia, si attentius consideres, rem nullo modo conficiunt. Nempe Eusebius Histor. Eccl. lib. v, cap. x, ὁ Πάνταινος, inquit, καὶ εἰς Ἰνδοὺς ἐλθεῖν λέγεται· ἔνθα λόγος εὑρεῖν αὐτὸν προφθάσαν τὴν αὐτοῦ παρουσίαν, τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον παρά τισιν αὐτόθι τὴν χριστὸν ἐπεγνωκόσιν· οἷς Βαρθολομαῖον, τῶν Ἀποστόλων ἕνα, κηρύξαι· αὐτοῖς τε ἑβραίων γράμμασι, τὴν τοῦ Ματθαίου καταλεῖψαι γραφὴν· ἣν καὶ σώζεσθαι εἰς τὴν δηλούμενον χρόνον. Quæ ita transtulit Henricus Valesius: *Pantænus ad Indos usque penetrasse dicitur, ibique Evangelium Matthæi, quod adventum ipsius jam prævenerat, apud quosdam* CHRISTI *notitia imbutos reperisse: quibus scilicet Bartholomæus, unus ex duodecim Apostolis, olim, ut fama est, prædicaverat, & Evangelium Matthæi Hebraicis conscriptum literis reliquerat: quod quidem ad prædicta usque tempora servatum esse memoratur.* Ruffinus postrema Eusebii verba perperam sic accepit, quasi Pantænus, ex India reversus, illud Matthæi Evangelium Hebraicum Alexandriam secum detulisset. Quod ipsum etiam in suo scriptorum Eccles. catalogo affirmat, ubi de Pantæno agit, Hieronymus. At longe rectius Eusebii mentem assecutus est Nicephorus, Hebraicum istud apud Indos repertum Evangelium ἐς μακρὸν προελθεῖν τοῦ χρόνου τοῦ πρώτως γράψαντος ἀκριβεῖς διασῶζον τοὺς χαρακτῆρας appellans, lib. IV Historiæ Eccl. cap. XXXII.

v. Enimvero Alexandriam ex India translatum esse Hebræum Matthæi Evangelium ut testetur Eusebius tantum abest, ut ne quidem in India repertum illud fuisse, certo affirmet. Nimirum DICITUR, ait, Pantænus Evangelium Matthæi apud Indos reperisse, FAMA EST, Bartholomæum Hebraicis conscriptum literis Evangelium hoc ibi reliquisse. Ejusmodi vero ῥήσεις nihil indubitati præ se ferunt & quod exploratæ veritatis sit. Imo ne quidem, quod ad Indos umquam pervenerit Pantænus, ex Eusebii testimonio certum est. Et si pervenit, si Hebræum ibi Evangelium reperit, unde ipsi constare potuit de auctore Matthæo? Indi id dixerunt, inquies. At vero etiam Syri constanter affirmant, Marcum esse auctorem Novi Testamenti Syriaci. quod tamen pro falsissimo habet Bellarminus. Et si exemplar illud Hebraicum indubitanter fuit Matthæi auctoris, cur, saltem postquam a Pantæno repertum, & (quod Rufinus ac Hieronymus addunt) Alexandriam translatum est, nemo plane Catholicorum eo usus fuit pro authentico, ne ipse quidem Hieronymus?

VI. Nec minus mirum, si in Bibliotheca, quæ Pamphili martyris cura apparata est, Cæsarienſi γνήσιον extitit Hebraicum Matthæi Evangelium, ut memorat catalogus scriptorum, de Matthæo agens, Hieronymianus, quod ne verbo quidem de eo mentionem feciſſet Eusebius, Cæsarienſis Episcopus, idemque Pamphili intimus; qui tamen sæpius editionis Hebrææ meminit, & ne illud quidem annotare prætermisit, utut fama tantummodo acceptum, quod in India Pantænus eam repererit, ceu paulo ante dicebamus?

bamus? Quæras item merito: num exemplar istud Cæsarienſe ejusdem fuerit notæ cum eo quod habebant Nazaræi, an minus? Certe si fuit, Matthæo tribui non potest. Nazaræorum quippe editionem a textu Græco, quem pro ἑβραϊκῷ & authentico Ecclesia semper habuit, in multis diffidere, ipse passim annotat Hieronymus: ut commentario in Matth. XII, 5. 13. XXVII, 16. Ephes. V, 4. catalogo item Scriptorum ecclesiasticorum, in Ignatio. Unde ab ipsismet etiam Pontificiis in apocryphorum classem refertur, v. g. a Baronio, ad ann. XLI, 19. qui & absolute Nazarenorum Evangelium vocat, ad ann. XXXII, 4. Si non fuit, an ergo commatis probatioris? Utique vero simile non est, Hieronymum in Nazaræorum editione ex Hebræo vertenda maluisse operam ponere (quod feciſſe se testatur ad Matth. XII, 13. & libro de Scriptoribus, locis proxime citatis) quam in Cæsarienſi, si majoris hæc auctoritatis fuisset ac fidei.

VII. Patrum antiquorum testimonia non temere rejicienda fateor. Sed tamen & hoc considerandum, primum testem, qui pro Hebræo Matthæi Evangelio laudatur, esse Papiam, auctorem futilissimum, & qui, cum omnes traditionum fabellas mirifice amplecteretur, scriptisque mandaret, multis aliis Ecclesiæ Doctoribus, vetustate viri captis, errandi occasionem dedit; uti refert Eusebius libro III Historiæ Eccl. cap. ultimo. Et quis nescit, in talibus graviſſimos etiam ex ultima antiquitate Patres, & ipsos hallucinari nonnunquam, & aliis item magnis viris, ut a vero aberrent, auctores fieri? Exemplo sit Justinus Martyr, scriptor ille, ut Tatiano

audit, Ἰουμασιώθ. Refert is in Paræneſi ad Gentes, ubi de LXX illis divini Codicis Translatoribus agit, ſingulos interpretes ſingulis incluſos fuiſſe cellulis, & a ſingulis ſeorſum totam Veteris Teſtamenti Scripturam iisdem verbis eſſe redditam: ſeque oculis ſuis cellularum iſtarum veſtigia prope Alexandriam vidiſſe. Iuſtinum hoc ſecutos eſſe multos poſteriorum temporum Doctores eccleſiaſticos, Irenæum puta, Cyrillum Jeroſolymitanum, Clementem Alexandrinum, Auguſtinum, agnoſcit Bellarminus ſupra capite VI. ubi vero tantum abeſt, ut propterea recte ſe habeat iſthæc traditio, ut potius aperte illam rideat, præfatus in Pentateuchum, Hieronymus, *Neſcio*, ſcribens, *quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit*; ipſeque Bellarminus, quod pro fabula a Judæis conficta eam habeat, his aperte verbis profiteatur, l. c. *Quod Juſtino, Judæi fabulam à ſe confictam perſuaſerint, & quasdam ruinas oſtendentes, cellulas eſſe dixerint ſeptuaginta interpretum, facilè fieri potuit; nec minus facilè, ut Juſtino viro ſancto, fidem tribuerint aliqui poſteriores.* Sed de Matthæi Evangelio ſatis.

De Evangelio Marci Latino.

IIX. Quod porro ad Marci Evangelium Latine originaliter ſcriptum attinet, de eo profundum eſt in univerſa antiquitate ſilentium. Quod enim ad Damaſi Pontificale Bellarminus provocat, ipſemet ſibi reſpondeat ex opuſculo de Scriptoribus Eccleſiaſticis; ubi diſerte, *Liber ille*, inquit, *eſt Anaſtaſii Bibliothecarii, non Damaſi, ut notum eſt.* Anaſtaſio autem huic, ſcriptori noni ſeculi, opponimus duo illa antiquitatis lumina, Hieronymum & Auguſtinum: quorum

ad ann. 367. & 858.

rum ille, præfatione CXXIII, in quatuor Evangelia, ad Damasum, *De Novo*, ait, *nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo*; iste libro I de Consensu Evangelistarum cap. II: *Horum sane quatuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, ceteri Græco.* Imo hanc constantissimam apud omnes veteres opinionem esse, agnoscit Jesuita celeberrimus, Iohannes Maldonatus, Commentar. in Matthæum prolegom. cap. V. Unde Cardd. Bellarmini & Baronii de Latino Marci Evangelio sententiam rejicit ex ipsis Pontificiis Ludovicus de Tena, libro III Isagog. diffic. VI; & Martinez, loco paulo ante citato, errorem notat in Ioanne Cantacuzeno, (illo, qui, factus ex Imperatore Græco Monachus, IV pro fide Christiana Apologias ad Sampsaten Isphachanen Persam edidit) quod in Apologia IV Evangelium Marci Latine fuisse scriptum affirmet. Porro Sixtus etiam Senensis, libro I Bibliothecæ, de Marco testatur, quod, *rogatus Romæ a fratribus, juxta id quod Petrum referentem audierat, breve* GRÆCO SERMONE *scripserit Evangelium.* Idem statuunt Laur. Valla, & Card. Cajetanus, nec non Stapletonus, dum *omnes* Apostolos Græce scripsisse ait, loco paulo ante laudato; ac Iac. Ledesma, quando tractat. de Scriptura in linguas vulgares non transferenda, *Constat*, inquit, *Apostolos Græce tantum aut Hebraice Evangelium conscripsisse.* Sed & Menochius, præfatione Annotat. in Biblia, cap. IX, fatetur, non esse certissimum, quod Latine Evangelium suum Romæ Marcus ediderit, cum Romani Græcæ linguæ studiosi fuerint, ut nunc plerique Latinæ. Adde Benedictum Justi-

Justinianum, qui commentans in 1 Cor. x, 25. ostendit, quod *penitus nullo argumento nitantur ii, qui idcirco putant, Marcum Latine Evangelium scripsisse, quia voces Latinæ in eo leguntur*; (ut videlicet Baronius, ad annum XLV, 41.) cum *isto modo Latine scripserint Matthæus, Marcus, Johannes, Paulus.* Nec videtur ipse Bellarminus alibi huic opinioni multum tribuere. Nam infra cap. XV, §. *Probatur secundo*, ita loquitur: *Apostoli scripserunt tantum Hebraice, aut Græce, &, ut QUIDAM VOLUNT, Latine. SUNT ENIM QUI EXISTIMENT, Marci Evangelium Latine scriptum Romæ ab ipso Marco.* Ubi certe nihil affirmare audet; sed tantummodo, quid aliis nonnullis videatur, recenset. Quanto autem modestior in hac quæstione & timidior Bellarminus, tanto impudentior est ac audacior ejus Apologeta Gretserus. Ubi enim ursserat Hunnius, si unquam extitisset Evangelium Marci Latine ab ipso auctore scriptum, non permissuram fuisse Ecclesiam primitivam, ut interiret, sed, tamquam textum authenticum, majori cura id asservaturam quam editionem Græcam: ubi, inquam, ita noster ille, *Unde compertum Hunnio*, ait Gretserus, *primigenium Latinum exemplar penitus interiisse? Certè non desunt qui affirment, asservari Venetiis inter S. Marci cimelia, ut notat Genebrardus & Baronius.* Non erubescit, ecce, ad exemplar Latinum primigenium, quod Venetiis asservari credat qui cerebrum gerit in calcaneo, provocare audacissimus Bellarmini hyperaspistes, cum ipsiusmet Bellarmini aperta sit & rotunda confessio, loco jamjam citato: *Nullum exstat vestigium ullius scripti Apostolici, nisi Græce.*

col. 497.

IX. Quan-

IX. Quantumvis autem, ut ante memoravimus, Evangelium Matthæi & Marci, Epistolam item ad Hebræos, Græca lingua originaliter scripta esse heic neget Bellarminus, (etsi de Epistola ad Hebræos dubitanter mox loquitur, *Ab Ipso Paulo Græce scriptam esse* ajens, *vel certe ab Apostolico aliquo viro ex Hebraico sermone in Græcum esse translatam*) concedit tamen asseveratque diserte, quod *Græca editio Testamenti Novi* UNIVERSA *Apostolos & Evangelistas auctores habeat*, indeque *summæ sit auctoritatis*. Atque ita Collega suo Baronio consideratior est; qui de Evangelio Matthæi loquens, ad annum XXXIV, 172. *Dico*, inquit, *quod, Græcus textus cujus fidei sit, nisi collato cum Hebræo originali, affirmare non possumus.* Quam absurdam ejus assertionem erudite, ut solet, examinat Isaacus Casaubonus, exercit. XVI, 115. cujus & præcedens exercitatio XV, 12, (ubi comma 18 capitis XVI Matthæi expendit) in hanc rem videri potest.

Bell. Græcum N. T. textum corruptum esse contendit.

X. Utut autem, ceu modo dicebamus, Græcam Novi Testamenti editionem summæ auctoritatis esse scribat Bellarminus, addit tamen e vestigio quandam veluti ἐπανόρθωσιν, *nisi forte constet*, inquiens, *eam esse corruptam.* & pergit: *De qua re ita sentiendum censeo, ut supra de Hebraicis diximus; videlicet, non esse Græcos codices corruptos generaliter, nec tamen esse fontes purissimos, ut necessariò, quicquid ab eis dissentit, corrigendum sit, ut falsò existimant Calvinus, Major, Kemnitius, ceteriique hujus temporis hæretici,* itemque paulo post docet, *quod* Codices Græci *non sint ubique incorrupti, sed aliqui interdum errores irrep-*

serint, saltem negligentia librariorum, & non sit tutum, semper Latina ad Græca corrigere. Quoipso in faciem contradicit illi sacrorum fontium vindici dexterrimo, S. Hieronymo, ut qui epistola CII, ad Marcellam, Novi Fœderis textum Græcum diserte vocat *fontem purissimum*, ad quem Latini codices, tanquam ad originem, revocandi; & præfatione CXXIII, in quatuor Evangelia, ad Damasum, *De Novo*, inquit, *nunc loquor Testamento. — Hoc certe cum in nostro sermone discordat, & in diversos rivulorum tramites ducit, UNO DE FONTE quærendum*: contradicit porro magno illi Doctori S. Augustino; qui libro II de Doctrina Christiana, cap. XV, *Libros*, ait, *Novi Testamenti, quid in latinis varietatibus titubat, Græcis cedere oportere non dubium est.* Confer eundem epistola LIX, ad Paulinum, epist. CIIX, ad Seleucianam, tractatu III in Johannem; contradicit *excellenti* illi *Dei dispensatori* (ut libro I contra Julianum Pelagianum, cap. II, eum vocat Augustinus) S. Ambrosio; qui libro II de Spiritu sancto cap. VI, *Si quis*, inquit, *de Latinorum Codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsaverunt, Græcos inspiciat codices.* Confer librum de Incarnationis sacramento cap. IIX. contradicit denique ipsismet Doctoribus Pontificiis nominatissimis: Ludovico Vivi; cujus verba, comment. ad Augusti. ni librum XIV de Civ. DEI cap. IIX: *Otiosum nimis esset, ut puto, multis verbis persuadere velle, cum de sensu aut integritate verborum Evangelii Latini dubitatur, ad fontem ipsum recurrendum, ad Græca exemplaria, qua lingua Apostoli scripsere. Hoc Hieronymus clamat, hoc Augustinus hic admonet & præcipit exemplo*

suo

suo; Thomæ Moro, qui in epistola ad Dorpium: *Ecclesia credit translationi Latinæ, sed magis archetypo. Credit Evangelium in Latinis esse verum, quatenus cum Græcis consentit.* Addesis quæ jam tum notavimus supra capite II, 3.

Locus 1. Cor. 15. 47. expenditur.

XI. Sed age, videamus exempla, quibus planum fieri putat Bellarminus, quod non sit tutum, semper Latina ad Græca corrigere. Primus locus, quem producit, habetur 1 Cor. XV, 47. ubi legendum esse ait cum vulgato Latino: *Primus homo de terra, terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*; cum tamen Græci constanter legant: ὁ δεύτερος ἄνθρωπος κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Quam depravationem mansisse vitio scriptorum ex corruptionibus Marcionis, patere dicit ex Tertulliani libro V in Marcionem.

Tertulliani verba explicantur.

XII. Et sane negare non ausim, Tertullianum citato loco, capite X, Marcioni objicere, quod comma illud Paulinum depravarit. Postquam enim dixerat, stultissimum hæreticum (sic appellat Marcionem) ei, quod Apostolus habet comm. 45. *novissimus Adam*, (ἔσχατος Ἀδὰμ) substituisse: *Dominus novissimus*; hancque corruptionem redarguerat; e vestigio subjungit: *Eodem modo & in nomine HOMINIS revincetur. Primus*, inquit, *homo de humo terrenus, secundus, Dominus de cœlo. Quare secundus, si non homo, quod & primus? aut numquid & primus Dominus, si & secundus?* (ita legitur in omnibus, quas mihi quidem videre contigit, editionibus; ut mirari subeat Erbermanni oscitantiam simul ac imprudentiam, Amesium, postrema illa verba: *numquid & primus Dominus, si & secundus?* citantem, insimulantis, quod

Erbermanni ἀβλεψία, p. 57.

Tertullianum interpolare non dubitaverit) ubi nihil eum velle aliud res ipsa loquitur, quam, oppositionem Apostolicam id evincere, ut, siquidem in priori commatis membro mentio facta *primi* (non *Domini*, sed) *hominis*, mentio item in membro posteriori debeat fieri *secundi* (non *Domini*, sed) *hominis*. Unde palam est, quando verba Apostoli ad eum modum Tertullianus, ceu paulo ante ex eodem recitavimus, allegat, non ex propria mente id ipsum facere, (uti quidem heic volunt nonnulli) sed ex mente Marcionis. Et constat insuper ex aliis ipsius scriptis, quod, eundem locum ex sua mente cum producit, vocem *Dominus* prætermittat. Sic libro de Carne Christi, cap. IIX, *Legimus plane*, ait, *Primus homo de terræ limo, secundus homo de cælo*; libro de resurrectione carnis, cap. XLIX: *Primus, inquit* Apostolus, *homo de terra choicus, id est, limaceus, id est Adam; secundus homo de cælo, id est, sermo DEI, id est Christus.*

XIII. Utut autem hæc ita se habeant, utut, inquam, Tertullianus censeat, vocem *Dominus* ex Marcionis depravatione in textum Paulinum irrepsisse, num propterea certum id esse statim credemus? imo vero ne probabile quidem aut verosimile apparet, Marcionis tempore, ubi jam longe lateq; sparsa erant scripta Apostolica, tantam potuisse codicum corruptionem induci, ut nec unicum tandem exemplar Græcum ab ea intaminatum manserit. Etenim, quod Bellarminus fatetur ipsemet, codices *Græci* CONSTANTER *legunt*, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Quomodo etiam Erasmus ad hunc locum, *Græci*, ait, *lectionem habent a nostra* Latina *diversam*, *idque* CONSTANTER.

Simi-

Similiter Beza. Er sane, si lectio, quam Græci codices tam constanter exhibent, genuina non esset, sed Marcionis depravationi originem deberet, quis crederet, illam secuturos fuisse Chrysostomum, Theophylactum, Damascenum de Orthodoxa fide libro III, cap. XII, imo ex ipso seculo III, S. Methodium martyrem, in Catena Oecumenio tribui vulgo solita? Ut taceam, quæ itidem textum, ut in nostris hodie Codicibus is habetur, exprimunt, translationem Syriacam (de qua Franciscus Lucas Brugensis, scriptor apud Pontificios celeberrimus, præf. super N. T. comment. num VI, *Hoc teneo*, inquit, *indubitanter, Syriacum N. T. textum vetustissimi exemplaris Græci, & quidem ex primis, loco habendum ac venerandum esse*,) & Arabicam. Adde, quod Epiphanius, dum loca Scripturæ a Marcione corrupta recenset, hæresi XLII, nullam omnino hujus mentionem facit de quo in præsenti agimus. Videtur proinde codex, quo usus est Tertullianus, pro *Dominus*, exhibuisse *homo*, indeque nata ipsi fuisse suspicio, quasi Marcion, qui aliter heic legebat, textum depravasset. Quamquam non adeo insolens in tractandis Scripturæ S. locis Tertulliani oscitantia. Vide, speciminis ergo, lib. II ad Nat. cap. IIX, ubi historiam Josephi, ac lib. adversus Iudæos cap. V, ubi historiam Abelis & Caini narrat indiligentius.

Tertulliani in tractandis Scripturis oscitantia.

XIV. Excipit Gretserus cum Erasmo, quod *ita legant*, ut habet vulgata Latina, *Hieronymus & Ambrosius; & magis respondeat* illa lectio *ad id quod præcesserit: de terra terrenus.*

Gretseri exceptio. col. 497.

XV. Sed quantum ad prius exceptionis hujus

membrum attinet, nihil inde concludi potest aliud, nisi quod exemplaria, quibus usi Hieronymus & Ambrosius, ita legerint ut habet vulgata Latina, quodque adeo varia olim lectio hujus loci fuerit. Quantum ad posterius, observari merentur quæ heic annotat Beza, *Multo*, inquiens, *vehementior est antithesis Terreni & Domini, quam Terreni & Cœlestis: quum multi sint res cœlestes creatæ, Dominus autem dicatur qui summum in omnia imperium obtinet. Et si Paulus statim opposuisset Terrenum Cœlesti, non emineret illa tanta qualitatum diversitas, sed unius tantum loci situs videretur significari. Hoc vero semel explicato, tum demum licuit Cœlestem Terreno plane ac perspicue opponere, ut factum est duobus sequentibus versiculis.* Notetur præterea, quod Alphonsus Salmeron, Jesuita celeberrimus, illam vulgatæ Latinæ lectionem, quam Bellarminus propugnat, hæreticis Marcionitis horumque similibus favere, quin originem iis suam debere, aperte fateatur: idque in Commentariis, quos ipsummet Bellarminum recognovisse & censuisse, jam supra cap. 1, 4. monuimus. Adde insuper Jesuitam Alphonsum de Castro, libro IV adversus hæreses, tit. *Christus.*

Locus 1. Cor. 7. 33. seq. consideratur

XVI. Secundus locus, quem in fonte depravatum esse putat Bellarminus, extat 1 Cor. VII, 33. seq. ubi, cum vulgata Latina habeat: *Qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat, uxori, & divisus est: mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt;* in Græco est: ὁ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. Quam lectionem improbat Cardinalis, quod Hieronymus

nymus libro 1 contra Jovinianum affirmet, non esse eam Apostolicæ veritatis.

XVII. Sed neq; hæc ponderis habent quidquam. Etenim lectionem, quam Græcus noster textus exhibet, in omnibus vetustis suis codicibus, duobus tantum exceptis, se invenisse testatur Beza; nec aliam invenerunt in suis, e quibus variantes lectiones notarunt, Anglicani operis editores: eandem firmant Græca scholia, Chrysostomus, Basilius, Theophylactus, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Sedulius; uti Salmeron disp. XVI, Justinianus, Estius, Corn. a Lapide, ad h. l. observant & agnoscunt. Quin Hieronymus ipsemet ita legit ut Græci habent codices, epist. XXII, quæ est de Virginitate servanda, ad Eustochium, cap. IX, & libro adversus Helvidium cap. X. Quæ proinde loca duo opponimus uni illi quem Bellarminus urget ex libro 1 contra Jovinianum, ubi pro Virginitate Hieronymus disputat: in cujus favorem *multa* ei *excidisse coacta & violenta*, ex ipsismet Pontificiis fatetur Claudius Espencæus, libro 1 de Continentia cap. IX.

XIIX. Tertio Bellarminus urget, quod Rom. XII, 11. dum Latina vulgata legit: *Domino servientes*; Græci non habeant κυρίῳ, sed καιρῷ δουλεύοντες. Esse autem priorem lectionem certissimam, patere ait, tum ex Hieronymo, in epistola ad Marcellam, ubi dicat, in emendatis Græcis codicibus haberi, non καιρῷ sed κυρίῳ, tum ex Origene, Chrysostomo, Theophylacto, & aliis Græcis Patribus, qui sic legerint & explicaverint in suis commentariis. *De loco Rom. 12, 11.*

XIX. Huic objectioni ut occurratur, repetenda sunt, *Quo sensu*

Integritatem textus Græci asserant Protestantes.

sunt, & heic applicanda, quæ supra capite II, 15. in quæstione de ἀφθαρσία textus Hebraice V. T. circa controversiæ statum fuerunt monita. Ut enim ibi diximus, non controverti de uno alterove codice: ita *neque hic est quæstio, vel de lectionis varietate, vel de quorundam Codicum depravatione; sed de universali quadam corruptione, quæ authenticam Græci textus autoritatem labefactet*, scribente Gerhardo nostro, libro II Confess. Catholicæ, art. I, cap. II, th, III. cui consentiens ex Reformatis Rivetus, Isagog. cap. IIX, 38. *Non dicimus*, ait, *quod affingit Bellarminus Calvino, Majori, & Chemnitio, necessario, quidquid in Latinis à codicibus Græcis dissentit, corrigendum esse; id nempe intelligentes de unoquoq; exemplari Græco: sed in eo tantum, ubi Græca omnia exemplaria, quæ in Ecclesia hactenus servata sunt, aut plura & melioris notæ, inter se consentiunt.* Nempe cum Driedone, libro II de Translationibus Scriptur. *fidem habemus nostræ ætatis Græcorum codicibus his, quos comperimus a vetustissimis suis exemplaribus non discordare: quemadmodum & ipsis olim fidem habuit Hieronymus, taxans Helvidium, stultissime sibi persuadentem, quibusdam in locis Græcorum libros fuisse falsatos.* Censemus cum Sixto Senensi, libro VII Biliothecæ sanctæ, *non licere ex particulari aliquorum Codicum depravatione inferre universalem ac generalem codicum omnium corruptionem.* Nam secundum eundem, *Evangelicæ lectionis veritas, quæ in singulis & particularibus Ecclesiæ codicibus, pro temporumac scribentium diversitate, variata fuerat, in omnibus simul collectis exemplaribus integra semper & incorrupta permansit: ita volente Deo,*

ut ve-

ut veræ lectionis integritas, quam hominum vel malitia vel negligentia corruperat in partibus, in tota saltem Ecclesiasticorum codicum universitate servaretur; ne Ecclesia Christi per aliquod tempus divinarum Scripturarum integritate careret, utq; haberent semper pii & eruditi viri, unde corrigere & emendare possent, quod aut imperitorum insciti, aut iniquorum perfidia vitiasset, facta collatione multorum inter se exemplarium.

XX. Quibus observatis, nullo negotio ad supra propositam Bellarmini objectionem responderi potest. Nimirum monet ille, Hieronymi tempore emendatos codices habuisse κυρίω, observat, legisse quoque ita codices, quibus usi Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, aliique Patres Græci. Et testatur sane etiam Beza, in probatissimis quibusque codicibus vetustis hunc in modum legi. Quod item liquere potest ex variantibus lectionibus, quas operi suo πολυγλώττῳ inseruerunt Angli: qui insuper ad ipsum N. T. textum Græcum annotant, in celebri illo suo mscr. Alexandrino ita se scriptum reperisse. Exprimuntq; præterea lectionem istam versio Syriaca, Arabica, & Æthiopica. Si ergo probatissimi quique codices Græci habent κυρίω, aliis interim editionibus nonnullis exhibentibus καιρῷ, lectionis quidem heic diversitas est, absolutam autem textus originalis depravationem colligere inde non licet. Sufficere enim, ad ἀφθαρσίαν, qualem nos tuemur, salvandam, ut in probatis codicibus authenticis textus habeatur intemeratus, ex supra dictis liquet.

XXI. Atque ex eodem hoc fundamento ad cetera etiam, quæ præterea heic habet Bellarminus, *De omissis & superfluis*

Græci textus facile nunc potest responderi: quando nempe ait, in plurimis Græcis codicibus deesse multas veræ Scripturæ partes; ut historiam adulteræ, Joh. VIII, ultimum caput Marci, testimonium pulcherrimum Trinitatis, 1 Joh. V, & alia, de quibus supra disseruerit: quædam etiam in omnibus Græcis codicibus inveniri, quæ non sint partes divinæ Scripturæ; ut quod Matth. VI orationi Dominicæ addatur: *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula.*

De adultera Joh. 8, 3. seq. XXII. Ex eo videlicet, quod in *plurimis* Græcis codicibus aliquæ Scripturæ partes desunt, nondum universalis textus depravatio, sed codicum tantummodo patet varietas. Unde ad probatiora heic exemplaria recurrendum. Et speciatim quidem ad adulteræ historiam quod attinet, eam in antiquissimis & probatissimis exemplaribus Græcis extare, testis est Robertus Stephanus. Annotat quoque Beza, ex vetustis suis codicibus XVII unum dumtaxat illam non habuisse; in reliquis scriptam fuisse; (secus ac Gretserus heic refert, notasse eum, *ex septendecim Græcis codicibus unum dumtaxat historiam illam adulteræ habuisse*: cum tamen ipsemet supra, lib. I, cap. XVI, contrarium ex Beza testetur) imo & Angli, cum ex quadraginta amplius vetustis codicibus varietates textus in opere illo suo πλυγλώτῳ exhibeant, non nisi unum, qui ea careret, nominarunt. Porro Franciscus quoque Gomarus, in antiquo manuscripto codice Evangeliorum Græco-Latino, a Georgio Douza Constantinopoli allato, sibique monstrato, eandem historiam quæsitam se invenisse memorat. Quin Hieronymus etiam, libro II adversus Pelagianos,

col. 301.

col. 291.

In

In Evangelio, ait, *secundum Iohannem in multis & Græcis & Latinis codicibus invenitur de adultera muliere, quæ accusata est apud Dominum.* Sed & Maldonatus in commentario, Sixtusque Senensis libro VII Biblioth. hær. v, ad veterum codicum auctoritatem, & Ammonii Alexandrini, Athanasiii, Chrysostomi, Patrum Græcorum, testimonia heic provocant. sicut eosdem quoque Doctores hanc in rem citat Bellarminus ipsemet, libro I de Verbo Dei, cap. XVI. Quibus Jodocus Coccius, Tomo I Thesauri, art. XXI, jungit Clementem Romanum, Tatianum, & Gennadium (quem Gregorium alii vocant) Scholarium. Addi omnino debet Cyrillus Alexandrinus, qui pericopen hanc, ut revera Iohannis, sine ulla dubitationis significatione, distincte proponit, multisque explanat. Ex quibus liquet, ab ultima etiam antiquitate in codices optimos ut genuinam in Oriente historiolam illam fuisse receptam. Etenim Tatianus intra LXX ab ipsius Iohannis morte annum floruit, atque in Harmonia Evangeliorum periochen hanc e codicibus, quibus usus est, ut Johannis reliqua, expresse memorat, quemadmodum item Ammonius, qui vixit sub annum CCXX, aut circiter. Dein vero Evangeliorum secundum Harmonias istas usum in Oriente inolevisse, argumento est certissimo, quod Eusebius Cæsarienſis (qui sub annum CCCXX floruit) canones illos decem ex dictis Harmoniis construxerit, unde facile discerni possent, quæ in singulis Evangelistarum, quæ in tribus tantum, quæ solum in duobus, & demum quæ in unico aliquo haberentur. Atq; in decimi quidē canonis (in quo ea quæ unus habet) numeris ad Johan-

nem spectantibus, LXXXVitus pericopen historiæ, de qua agimus, indicat. Et procul dubio in codice Eusebiano ipso, cui canones illos is primus aptavit, lecta est ut satis ex sententia ipsius recepta, quoniam palam in Harmoniis, secundum quas (ut ipse in epistola ad Carpianum diserte monet) sunt constructi ab eo illi canones, adeo est expresse agnita. Nec dubitare licet, quin Tatiani, Ammonii, Eusebii, editiones hujusmodi, quippe eo instituto ab ipsis susceptæ, ut, quid revera Evangelicum esset, certius constaret, adornatæ fuerint secundum codices optimos, &, quos primis illis seculis nanciscí licuerit, selectissimos; indeque exemplaribus aliis, citra ejusmodi curam editis, longe sint præferendæ.

XXIII. Porro notetur, quod minus sincere Bellarminus soli textui Græco hujus historiæ defectum tribuat; cum ex eo, quod *in* MULTIS *&* GRÆCIS *&* LATINIS *codicibus* illam *inveniri* scribit Hieronymus, liquido constet, desideratam fuisse etiam in Latinis quibusdam exemplaribus. id quod fatetur quoque heic diserte Maldonatus. Observetur & hoc, etiamsi Beza notet, non extare illam periochen apud Syrum interpretem; idque verum sit de editionibus quas ipse videre potuit; in quibus etiam secunda Epistola Petri, secunda & tertia Johannis, Epistola Judæ, & Apocalypsis, desiderantur: postmodum tamen, uti hæc, quæ recensuimus, partim ab Evvardo Pocoke, Anglo, partim a Lud. de Dieu edita: ita etiam adulteræ historiam Syriace fuisse repertam. Vide, quem citabamus, de Dieu in h. l. qui eam ex Jacobi Usserii, Archiepiscopi Armachani, luculenta & orientalibus

bus libris instructissima bibliotheca se accepisse ait; unde etiam depromptam in opere suo μολυγλώττῳ exhibent Angli. Legitur quoque pericope isthæc apud Arabem, Æthiopem, ac Persam.

De capite ultimo Marci.

XXIV. Quantum porro ad ultimum caput Marci spectat, in omnibus id vetustis codicibus, quos sibi videre contigerit, inveniisse se testatur Beza; neq; ex tot antiquis exemplaribus, unde variantes lectiones conquisivere, ullum nominarunt Angli, quod eo careret. Sed &, annotante Salmerone, Tomo XI, tract. XII, *Victor Antiochenus, antiquissimus Pater, in commentariis in Marcum scribit, se reperisse in emendatissimis exemplaribus pluribus, legiq; omnia in Evangelio Marci Palæstino.* quemadmodum & Maldonatus in h. l. ait, *non esse quenquam antiquum & Catholicum scriptorem, qui hujus capitis tanquam veræ legitimæque Scripturæ testimoniis uti recusaverit*; ac nominatim adducit Irenæum, Doctorem Græcum vetustissimum. Præter quem Coccius, loco jamjam laudato, allegat heic Clementem Romanum, Prochorum, Tatianum, Ammonium, & Dionysium Alexandrinos, Eusebium, Athanasium Cyrillum Ierosolymitanum, Gregorium Nyssenum, Procopium Gazæum, Anastasium Sinaitam, Damascenum, Theophylactum, Simeonem Metaphrasten, alios: qui si illud Marci caput agnoscunt, in Græcis utique codicibus ipsorum id tempore extitisse oportet.

De loco 1 Ioh. 5, 7.

XXV. Sed & locum 1 Ioh. v, 7. in antiquissimis codicibus Græcis repertum fuisse, fidem faciunt quæ in prologo Epistolarum canonicarum ad Eustachium (legitur in editionibus Bibliorum vetustis, Po-

ſtillam Lirani & gloſſam ordinariam una cum interlineari conjunctam exhibentibus) habet Hieronymus: *Hæ Epiſtolæ, ſi, ut ab eis* (Græcis auctoribus) *digeſtæ ſunt, ita quoque ab Interpretibus fideliter verterentur in Latinum eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec ſermonum ſeſe varietas impugnaret; illo præcipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Johannis Epiſtola poſitum legimus; in quo etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum eſſe a fidei veritate comperimus, trium tantummodo vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis, & ſpiritus, in ipſa ſua editione ponentibus, & Patris, Verbique ac Spiritus teſtimonium omittentibus, in quo maxime & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, & Spiritus ſancti una Divinitatis eſſentia comprobatur.* Ex quibus eruditiſſimi ſcriptoris verbis non ſolum apparet, ejus tempore locum iſtum in Græcis codicibus extitiſſe: cum alias Latinos interpretes non potuerit infidelitatis poſtulare, quod eum omiſiſſent ſed & extitiſſe communiter in omnibus codicibus: cum alioquin obvertere potuiſſent interpretes, non fuiſſe eum repertum in exemplaribus quibus ipſi ſint uſi. His porro addimus, legi pericopen, de qua agimus, in editione Complutenſi; (de qua Card. Ximenius, præfatus ad Leonem x, *Id*, inquit, *aperte teſtari poſſumus, maximam laborum partem in eo præcipue Juiſſe verſatam, ut caſtigatiſſima omni ex parte vetuſtiſſimaque exemplaria pro archetypis haberemus: quorum quidem, tam Hebræorum, quam Græcorum ac Latinorum, multiplicem copiam variis ex locis non ſine ſummo labore conquiſivimus. Atque ex ipſis quidem Græca Sanctitati Tuæ debemus, qui ex Apoſtolica Bibliotheca anti-*

antiquissimos tum Vet. tum Nov. Testamenti Codices perquam humane ad nos misisti, qui nobis in hoc negotio maximo fuerunt adjumento) lectam fuisse insuper in novem antiquis codicibus Roberti Stephani, in codicibus aliquot vetustissimis unde variantes lectiones annotarunt editores operis Anglicani πολυγλώττου, in codicibus, quibus usus Hervagius, qui Græca Biblia Veteris ac Novi Test. anno superioris seculi XLV Basileæ edidit; in codicibus quos Ben. Arias Montanus in edito anno LXXI opere Regio secutus; in codicibus Laurentii Vallæ; ut qui, in suis ad hunc locum annotationibus, nullius inter Græcos codices meminit discrepantiæ, moniturus haud dubie, more suo, si quid heic dissidere comperisset. Confer Sixtum Senensem libro VII Bibliothecæ sanctæ, hæresi IX. qui plus heic dat, quam nos etiam postulamus. Observa etiam porro, non in solis Græcis exemplaribus quibusdam comma, de quo agimus, Johanneum desiderari, (quod quidem Bellarminus lectori audet persuadere) sed etiam in aliquibus codicibus vetustissimis mss. editionis vulgatæ Latinæ. Vide quæ notamus Tract. de Canone cap. XVI, 2.

De sudore Christi sanguineo, & Angelica corroboratione, Luc. 22, 43. seq. fletu item Salvatoris, ibid. v. 19, 41.

XXVI. Quæ præterea in Græcis deesse codicibus Bellarminus ait, supra a se expensa, haud dubie illa sunt, de quibus libro I de V. D. capite XVI agit, dum nempe ex Hilario, lib. X de Trinitate, & Hieronymo, libro II contra Pelagianos, quosdam in dubium vocasse refert historiam de sudore Christi sanguineo, & Angelica apparitione atque consolatione, Luc. XXII. ne videlicet Christo infirmitatem & animi dolorem tribuere viderentur. Qua etiam de causa Catholicos

tholicos nonnullos præpostero zelo e suis codicibus, ex illis verbis, Luc. XIX, *videns civitatem flevit super illam*, abrasisse verbum, *flevit*, testetur Epiphanius in Ancorato.

XXVII. Verum quæ Cardinalis incogitantia est, obsecro, ac imprudentia, ut in Græcis magis quam in Latinis Codicibus ista defuisse affirmet? Annon Hieronymi, ad quem provocat, diserta sunt verba: *In quibusdam exemplaribus, tam Græcis quam Latinis, invenitur, scribente Luca: Apparuit illi angelus de cœlo, confortans eum?* Si hinc recte colligitur, quod in quibusdam exemplaribus Græcis Hieronymi tempore ista defuerint, quidni æque recte inde elicias, defuisse in quibusdam etiam Latinis? Porro a quibusdam codicibus minus recte se habentibus ad universalem textus corruptionem, de qua heic sermo, perperam concluditur.

De Verbis Matth. 6, 13.

XXIIX. Tandem quod ad clausulam orationis Dominicæ, Matth. VI, 13. attinet, cur addita potius ea Græcis codicibus censeri debeat, quam detracta Latinis? quod posterius Laurentio Vallæ visum. Reperit sane eandem in codice, qui, unico tantum excepto, inter omnes ipsius codices antiquissimus erat, Rob. Stephanus: nec fuere inter tot vetustissima exempla, unde variantes lectiones notarunt Angli, nisi tria duntaxat, in quibus abesset. Unde & Hier. Emserus in glossis ad N. T. Grermanicum absolute de Græco textu affirmat, quod epilogum isthunc agnoscat. Habent quoque Syrus, Æthiops, ac Persa. Quod Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, dum Orationem Dominicam exponunt, nullam horum

horum verborum mentionem faciunt, inde nihil aliud licet concludere, quam, vel secutos eos heic esse textum Latinum; vel, si Græcum, aliquot exemplaria clausulam istam olim non habuisse, & sic variasse codices. Nam quod in aliis lecta fuerit, patet tum ex jam dictis, tum præterea ex Chrysostomo, Theophylacto, & Euthymio, qui interpretantur.

XXIX. At, dicit Bellarminus, Græci in sua Liturgia recitant quidem hæc verba: sed non continuant cum oratione Dominica. Inde vero, inquã ego, non magis sequitur, Dominicæ orationis partem illa haud esse, quam ex eo, quod v. g. Ministro Ecclesiæ dicenti: *Invoca me in die tribulationis*; Chorus respondet: *Eruam te, & honorificabis me*; colligere licet, posteriora illa verba, quippe haud continuata a Ministro cum præcedentibus, non esse partem Psalmi quinquagesimi. Adde, ne quidem verum esse, quod Græci Dominicæ orationis epilogum a præcedentibus semper divellant. Etenim in Basilii Anaphora, (quam ex vetustissimo codice Syriaco Latine edidit Andreas Masius, quæque extat in Bibliotheca Patrum, Tom. VI, editionis Parisiensis, ann. clɔ lɔ CLIV) sic legitur παραφραστικῶς ejus orationis finis: *Domine Deus & Servator noster, ne inducas nos in tentationes difficiles, aut necessitates amaras: nec inducas nos in laqueos adversarii hostiumq; animarum nostrarum: neque destituas nos, ut incidamus in manus aspectabilium grassatorum, & qui vitam nostram lædere cupiant: sed libera nos ab omnibus tentationibus, occultis & manifestis, cunctis diebus vitæ nostræ: atque exime nos ab omnibus malis, quæ propter iniquitatem nostram incurrunt in nos. Quia tuum est*

regnum, & unigeniti filii tui, ac sanctissimi tui Spiritus, boni, adorandi, vitam largientis, & tibi in substantia æqualis, nunc, & semper, & in secula seculorum.

Gretseri conjectura, col. 501.

XXX. Gretserus cum Maldonato & Erasmo conjectat, irrepsisse verba, de quibus agimus, in textum sacrum ex more Græcorum; quibus, cum preces terminare soleant aliqua laudatione DEI, (quomodo Psalmis addiderint illud: *Gloria Patri*; salutationi Angelicæ istud: ὅτι σὺ ἔτεκες τὸν σωτῆρα ἡμῶν. *quia tu peperisti Salvatorem nostrum*; & sermones suos ad populum plerumque finiant illis verbis doxologicis: ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία, καὶ δόξα, ἡ βασιλεία) simili doxologia orationem Dominicam claudere visum sit, quæ postea, incuria hominum, ipsum textum occuparit. Unde perinde facere ait hæreticos, cum hæc verba, partem sacræ Scripturæ esse contendant, ac si contenderent, illam doxologiam: *Gloria Patri & Filio*, esse partem Psalmorum, quia terminet Psalmos.

Refellitur.

XXXI. Sed si conjecturis agere heic licet, quidni vero sit similius, contextum orationis Dominicæ ansam præbuisse isti Græcorum consuetudini, quam morem hunc dedisse originem illi contextui? Certe absurdi nihil habebit, si dixeris, Græcos, quod a CHRISTO ipso viderint orationem tam solennem doxologia concluſam, putasse, non inutiliter & reliquas omnes similiter claudi. At irrepsisse in textum Scripturæ istam coronidem ex dicta consuetudine, quam parum probabile sit, agnoscet, opinor, qui consideraverit, etiamsi in publicis privatisque pietatis exercitiis Psalmos & Angelicam salutationem doxologiis finiant Græci, has tamen textui Biblico nusquam invenir

veniri apud eos additas : Id enim cur aliter factum esset in Oratione Dominica? Atque hinc simul patet, quam frivolum sit, quod ait Gretserus, perinde facere hæreticos (sic pro modestia Jesuitica loquitur) cum verba, de quibus agitur, partem Scripturæ esse contendunt, ac si contenderent, illam doxologiam: *Gloria Patri & Filio*, esse partem Psalmorum, quos terminat. Qui enim par eorum sit ratio; cum controversa ista verba in ipso Scripuræ textu originali inveniantur, altera vero illa doxologica nequaquam?

CAPUT IIX.

DE LATINIS TRANSLATIONIBUS GENERATIM.

I.

Bell. fugillat recentiorum Scripturas in linguam Lat. transferendi studium.

DE Latinis Scripturæ editionibus generatim agens Bellarminus, ubi recitasset illa Augustini, ex libro II de Doctrina Christiana cap. XI : *Qui Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt linguam, numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari*; subjungit paulo post : *Hoc nostro seculo iterum ad illam ætatem rediisse videmur, in qua omnes, qui aliquid poterant, continuo sacros libros transferebant : siquidem recentiorum, ac præsertim hæreticorum, Latinæ interpretationes numerari vix possunt.* Quibus verbis ut Cardinalis recentiorum, eorum præsertim qui eum

Romana ecclesia non faciunt, impensam translationi Biblicæ industriam sugillat: ita propugnator ejus Gretserus peculiari tractatu, defensioni libri Bellarminiani de variis Scripturæ editionibus subjuncto, novorum Interpretum versiones haudquaquam tolerandas esse, sed omnino contemnendas & rejiciendas, lectoribus suis persvadere nititur.

Vsus diversarum Scripturæ versionum.

11. Verum longe aliter de variis sui temporis translationibus Latinis olim judicavit Augustinus. Cum enim scripsisset, quæ Bellarminus ex eo citat, statim subjungit: *Quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quam impedivit, si modo legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpe manifestavit inspectio. Sicut illud Esaiæ Prophetæ unus interpres ait:* Et carnem tuam ne despexeris; *alius*: Et domesticos seminis tui ne despexeris. *Uterque sibimet invicem attestatur. Namque alter ex altero exponitur. Quia &* caro *posset accipi proprie, ut, corpus suum quisq; ne despiceret, se putaret admonitum; &* domestici seminis *translate Christiani possent intelligi, ex eodem verbi semine nobiscum spiritualiter nati. Nunc autem, collato Interpretum sensu probabilior occurrit sententia, proprie de consanguineis non despiciendis esse præceptum, quoniam,* domesticos seminis *quum ad* carnem *retuleris, consanguinei potissimum occurrunt. Item aliud ejusdem Esaiæ Prophetæ:* Nisi credideritis, non intelligetis; *alius interpretatus est:* Nisi credideritis, non permanebitis. *Quis horum vera sequutus sit, nisi exemplaria linguæ præcedentis legantur, incertum est. Sed tamen ex utroq; magnum aliquid insinuatur scienter legentibus. Difficile est*

Is. 58, 7.

cap. 7, 9.

est enim, ita diversos a se interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant. Ita de utilitate diversarum translationum Augustinus. Quæ de recentioribus non minus quam priscis versionibus valere, in propatulo est.

III. Interim nequaquam eorum probamus temeritatem, qui vel illotis manibus rem tantam aggrediuntur, & idoneis necessariisque adminiculis non satis instructi, Scripturas e fontibus in alias linguas traducendi provinciam sibi imponunt; vel eam sibi in vertendo sumunt licentiam, ut *pro arbitrio suo vel addant vel subtrahant quod videtur*: de cujusmodi perversoribus verius quam conversoribus Hieronymus queritur, præfat. in Josue.

CAPUT IX.

DE AUCTORE VERSIONIS VULGATÆ LATINÆ.

I.

An inter Pontificios sint, qui Vulgatam totam tribuant Hieronymo.

NOn parvam esse quæstionem, ait Bellarminus, de vulgata Latina editione, sitne illa antiqua, quæ erat ante Hieronymum, an vero ipsius Hieronymi, an mixta ex utraque. Non esse Hieronymi, arbitrari, vel certe suspicari, Sancten Pagninum & Paulum Foro-Sempronienſem Episcopum: contra, esse Hieronymi, contendere Augustinum Eugubinum, & Joannem Picum Mirandulanum, in libris hac de re editis, aliosque nonnullos: at mixtam esse ex vetere & nova, docere Joannem Driedonem & Sixtum Senensem.

11. Quæ quidem si observasset Ebermannus, p. 58. non ita inconsiderate scripsisset: *Quis Catholicorum Vulgatam totam tribuit S. Hieronymo?* nec Amesium *splendidissimi* postulasset *mendacii*, quod hujusmodi quid de Pontificiis affirmet. Habebit enim, opinor, Erbermannns Eugubinum & Picum pro Catholicis, p. 61. 62. id est, Papistis. Et quid? annon ipse mox Erbermannus ex Sfortia Card. Pallavicino, pro auctoritate Latinæ vulgatæ, in sua Tridentini Concilii historia, Petro Soave Polano, sive Paulo Sarpio Veneto, opposita, disputante, laudat hæc verba: *Quis arroget sibi majorem notitiam linguarum* Hebrææ & Græcæ, *majusque judicium, & correctiora exemplaria, quàm habuerit S. Hieronymus: qui vel author, vel, ut aliqui malunt, emendator extitit nostræ Vulgatæ?* Quibus utique manifesto indicat Cardinalis, secundum aliquos Pontificios Hieronymum esse auctorem translationis vulgatæ, & quidem totius. Neque enim de parte aliqua Vulgatæ ibi agit, sed de versione tota, ut in aprico.

Bell. sententia de auctore Versionis Vulgatæ.

111. Suam ipsius sententiam Bellarminus quatuor propositionibus complectitur. Prima est: *Testamentum Novum Latinum editionis vulgatæ ex antiqua versione habemus, quam tamen B. Hieronymus emendavit.* Secunda: *Psalterium vulgatæ editionis Latinæ non est illud, quod D. Hieronymus transtulit ex Hebræo, neque illud, quod transtulit ex versione Græca* LXX *Interpretum; sed illud, quod ipse emendavit, translatum ab antiquo Interprete ex editione S. Luciani Martyris.* Tertia: *Probabile nobis est, librum Sapientiæ, & Ecclesiastici, & Machabæorum, nos non habere ex versione Hieronymi, sed ex antiqua translatione, cujus auctor ignoratur*

ratur. Quarta: *Reliqua omnia ex Hieronymi versione ex Hebræo habemus in editione vulgata.*

Examen. De Novo Testamento.

IV. Verum quod ad vulgatam Testamenti Novi translationem attinet, non videtur hæc eadem illa esse per omnia, quam Hieronymus emendavit; cum passim in ipsa legantur quæ in commentariis suis corrigit aliterq; vertenda monet laudatus Pater. Nec sufficit dicere cum Bellarmino, fateri ipsummet Hieronymum, præfatione Evangeliorum ad Damasum, se non omnia correxisse quæ corrigenda esse putabat, ne nimis multa immutasse videretur. Diserte enim ibi ait sanctus Doctor, se correxisse ea, *quæ sensum videbantur mutare.* Jam vero, annon in ipso illo exemplo, quod Cardinalis affert, mutatur sensus, quando scilicet pro eo, quod Vulgata hodierna habet, 1 Cor. XIII, 3. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam*; legi vult Hieronymus: *ita ut glorier?* Mitto similia plurima. Unde ipse mox Bellarminus aliter isti difficultati occurrendum censet; posse fieri, inquiens, ut, dum sua in Epistolam ad Galatas, Ephesios, Titum, commentaria (in quibus passim reprehendit & corrigit vulgatam Latinam) Hieronymus scriberet, existimaret illa esse mutanda, quæ tamen postea, cum Testamentum Novum susciperet emendandum, re melius considerata, judicaverit non esse mutanda. Nam quod prius scripserit ista commentaria, quam Testamentum Novum emendaverit, colligi ex libro de viris illustribus. Sed neque hæc aliquid habent roboris; cum hypothesis, qua nituntur, scripsisse videlicet Hieronymum prius sua illa commentaria, quam Novum Testamentum emendaverit, nullo modo certa

certa sit. Quod enim ex libro de Viris illustribus hoc colligi dicit Cardinalis, id quo pacto ostendet? Num inde forsan, quod, dum opera sua & lucubrationes ibi enumerat doctissimus Pater, Testamenti Novi emendationem postponit commentariis in memoratas Pauli Epistolas? Atqui hac ratione dicendum foret, etiam commentarios illos in Prophetas, quos sub manibus se habuisse ait Hieronymus, & necdum fuisse expletos quando suum de Scriptoribus catalogum concinnavit, prius fuisse ab eodem editos quam v. c. libros adversus Jovianum, (jamtum illo tempore emissos) quia nempe & hos istis dicto loco postponit. Quod autem Bellarminus urget, multa loca, quæ Hieronymus reprehendit in antiqua Testamenti Novi versione, in Vulgata hodierna inveniri ita correcta, ut ipse affirmet esse corrigenda; inde non evincitur, Vulgatam istam esse puram Hieronymianam; sed, non esse forsan omnino aliam ab Hieronymiana, verum *mixtam quandam editionem, partim ex veteri vulgata editione, partim ex nova quadam Hieronymi castigatione in Novum Testamentum, collecta*: quæ est sententia Sixti Senensis, libro VII Bibliothecæ sanctæ, hæresi 1. Confer infra num IIX.

De Psalterio. v. De Psalterio editionis vulgatæ Latinæ Bellarminus affirmat, ut vidimus, non esse illud quod Hieronymus transtulit ex Hebræo, neque illud quod transtulit ex versione Græca LXX Interpretum; sed illud quod ipse emendavit, translatum ab antiquo Interprete ex editione S. Luciani Martyris, sive Græca illa communi & vulgata.

VI. Verum si hæc ita se habeant, quid igitur Cardi-

Cardinalis capite mox sequenti XIII, tum quoque in commentariis suis in Psalmos, (vide inter alia quæ notat ad Ps. II, 6.) toties ponit tamquam omnino certum, haberi Psalterium vulgatæ Latinæ ex versione τῶν LXX, quando videlicet loca in Psalmis a Vulgato male reddita eo excusat, quod interpres iste secutus sit LXX, qui sine dubio habuerint codices Hebræos accuratissimos, in quibus aliter interdum videatur fuisse lectum, quam in nostris hodie legitur; quique aliis omnibus interpretibus anteponendi sint, præsertim cum eorum versionem Catholica Ecclesia tam longo usu approbaverit? Certe editionem κοινὴν, ad quam vulgatam Latinam in Psalmis expressam esse Bellarminus censet, maximopere discrepasse a genuina LXXvirali, in confesso est, & ipse exemplis aliquot hoc loco ostendit. Cur ergo id alibi, ut Vulgatæ suæ auctoritati velificetur, dissimulat, & de τῇ κοινῇ ita loquitur, ac si intemerata esset ipsorummet LXX translatio, nec quidquam inter hanc & illam daretur discriminis? Equidem certum est, mixtam fuisse τὴν κοινὴν ex versione LXX & Theodotionis. Sed unde hodie, vel Bellarmino, vel alii cuicumque, constabit, utrum ea, in quibus Psalmi vulgatæ Latinæ ab Hebræo textu discrepant, ex translatione LXXvirali, num vero ex Theodotionis versione, sint expressa? Cum enim asterisci, quibus, quæ Theodotionis erant, ab his quæ transtulerant LXX, in Græca communi olim discernebantur, jam ante tot secula exciderint, *inde necessario orta est confusio, ut jam nemo judicare possit, quid sit LXX, quid vero Theodotionis*; scribente ipsomet Bellarmino supra in fine capitis VI. Quin ex

Hieronymo constat, lecta fuisse quædam in editione illa communi, quæ *nec Septuaginta* habuerint, *nec Aquila*, *nec Symmachus*, NEC THEODOTIO; *sed* κοινὴ *editio.* Vide epistolam CXXXV, ad Suniam & Fretelam.

De ceteris V. T. libris

VII. Quantum ad libros V. T. canonicos, qui præter Psalterium in vulgata Latina habentur, eos omnes e versione Hieronymi ex Hebræo supersesse dicit Bellarminus. Verum argumenta, quibus suæ isti assertioni fidem facere laborat, rursum nihil aliud probant, quam quod & horum translatio non sit omnino alia ab ista, quam diximus, Hieronymi versione. Et notari potest, quod in argumento suo tertio falsissime scribat Cardinalis, in epistola XXCIX, ad Augustinum, Quæstionibus Hebraicis in Genesin, ac alibi, ea loca, quæ Hieronymus aliter se vertisse monet quam LXX verterint, in vulgata editione *omnia* inveniri, ut ipse se vertisse dicit. Etenim quod non omnia ibi ita inveniantur, ἀπορία ipsa ostendit. Sic, v. g. in Quæstionibus Hebraicis corrigit Hieronymus illa: *Et Spiritus DEI ferebatur super aquas*, Genes. I, 2. *Pro eo*, inquiens, *quod in nostris codicibus scriptum est, ferebatur; in Hebræo habet, merahefeth*, מרחפת, *quod nos appellare possumus, incubabat, sive, confovebat, in similitudinem volucris ova calore animantis.* At vulgata Latina habet: *Spiritus DEI ferebatur super aquas.* Similiter Gen. II, 15. Vulgata: *Tulit ergo Dominus Deus hominem.* Hieronymus citato loco: *Et sumpsit Dominus Deus hominem.* Gen. III, 8. Vulgata: *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem.* Hieronymus

ronymus, ubi supra: *Et audierunt vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso ad vesperam*; addens: *In plerisque codicibus Latinorum, pro eo, quod hic posuimus, ad vesperam, post meridiem, habetur.* Ibidem commate 14. Vulgata: *Et terram comedes.* Hieronymus: *Pro terra, aphar* עפר *scriptum est, quod favillam possumus dicere & pulverem.* commate 15. Vulgata: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Hieronymus: *Ipse conteret caput tuum, & tu conteres ejus calcaneum.* Plura adducere supervacaneum. Et annon Bellarminus ipse paulo post, eodem hoc capite, non omnia ita inveniri in vulgata, ut Hieronymus vertenda censuit, aperte satis fatetur, quando ad objectionem: *Multa inveniuntur in editione vulgata, quæ B. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in commentariis in Prophetas, & in Ecclesiasten, docet aliter fuisse vertenda; igitur fieri non potest, ut editio vulgata sit illa translatio, quam Hieronymus fecerat ex Hebræo;* quando, inquam, ad objectionem hanc responsurus, nequaquam negat, verum esse, quod multa inveniantur in Vulgata, quæ Hieronymus dictis locis aliter vertenda doceat; sed id tantummodo agit, ut rei huius reddat causas. Nec etiam Gretserus diffiteri *col. 52. seq.* potest, quædam aliter haberi in Vulgata, quam reddenda docuit Hieronymus. Unde excusaturus suum Bellarminum, ridicule satis, *Non vult*, inquit, *omnia, quæ sanctus Hieronymus aliter vertenda censuit, apud nos inveniri; sed ex omnibus ejusmodi locis, quæ inveniuntur non pauca, colligi, nos Hieronymi editionem habere.* Quasi vero non essent omni luce clariora Cardina-

dinalis verba : Præter Psalterium, librum Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum, reliqua V. T. omnia ex Hieronymi versione ex Hebræo haberi in editione vulgata, *probatur ex iis locis, quæ B. Hieronymus monet se aliter vertisse quam 70. verterint, quæ in nostra editione* OMNIA *invenimus ut ipse se vertisse dicit.*

Hier. Versio ex Hebræo accurata, non item Vulgata Lat.

IIX. Ceterum etsi, ut diximus, Bellarmini argumenta id facile evincunt, quod vulgata translatio non sit omnino alia ab Hieronymiana; quod tamen nec simpliciter eadem cum illa sit, nullo negotio ostenditur. Nempe Hieronymus Vetus Testamentum rranstulit e textu Hebræo accurate; & suam illhanc versionem ubique ad fontem diligentissime contulit & accommodavit. Testatur id ipsemet in suis operibus passim. *Certe*, inquit epistola CXXXIII, ad Sophronium, *confidenter dicam, & multos huius operis testes citabo, me nihil duntaxat sententiæ de Hebraica veritate mutasse. Sicubi ergo editio mea a veteribus discreparit, interroga quemlibet Hebræorum, & liquido pervidebis, me ab æmulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri præclara, quam discere.* Similia leguntur præfatione in Pentateuchum, Esdram & Neemiam, librum Hester, in Prologo Galeato, & alibi. Sed & Augustinus, libro XIIX de Civit. Dei, cap. XLIII, ita hanc in rem scribit : *Non defuit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium Scripturas converteret. Ejus tam literatum laborem Judæi fatentur esse veracem.* Confer quæ præterea ex Gregorio, Isidoro

doro, aliisque affert Bellarminus ipse cap. x. Fuit ergo Hieronymi versio exacte conformis textui Hebræo. Jam vero Latina translatio librorum, de quibus agimus, *in multis locis ab Hebraica veritate dissentit*; uti Paulus Foro-Sempronienſis Sanctesque Pagninus, scriptores Pontificii, heic apud Bellarminum agnoscunt, & res ipsa abunde loquitur. Relinquitur proin, vulgatam Latinam nequaquam esse puram ac meram Hieronymi versionem ex Hebræo.

Responsio Bell. ad argumentum præcedens examinatur.

IX. Respondere quidem conatur ad hoc argumentum Bellarminus, duplici de causa accidisse dicens, ut vulgata Latina ab Hebraico textu aliquando dissentire videatur: unam esse, incuriam librariorum; alteram, quod sæpe Hieronymus non tam verba, quam sensum, exprimere studuerit; ut faciendum esse ipse doceat in libro de optimo genere interpretandi. Verum neutra ratio aliquid habet roboris.

X. Quantum enim ad prius, etsi mendis librariorum scatere Vulgatam haud imus inficias, præter hæc tamen leguntur in eadem discrepantia ab Hebræo loca plurima, in omnibus codicibus, antiquis & recentioribus, eodem modo extantia, quæ librariorum incuriæ nemo sanus imputaverit. Quantum ad posterius, studuisse Hieronymum, non tam verba, quam sensum exprimere, dum Scripturam transtulit, tantum abest ut ex laudato de optimo genere interpretandi libro, sive epistola ei, ad Pammachium, possit probari, ut inde contrarium potius manifesto liceat ostendere. Ita quippe affirmat ibi eruditissimus Pater, se in interpretando non verbum e verbo, sed

sensum exprimere de sensu, ut diserte id faciat cum exceptione sacrarum literarum, in quibus convertendis istam sibi licentiam minime se sumere innuit; *Ego*, inquiens, *non solum fateor, sed libera voce profiteor, me in interpretatione Græcorum, ABSQUE SCRIPTURIS SANCTIS, UBI ET VERBORUM ORDO ET MYSTERIUM EST, non verbum e verbo, sed sensum exprimere de sensu.* Verterat, Eusebii Cremonensis rogatu, Epiphanii epistolam quamdam e Græco in Latinum, *raptim celeriterque*: non ut publici juris ista fieret translatio; sed *ut domi haberet* Eusebius, *nec facile in vulgus proderet.* Quæ tamen cum nihilominus emanaret, inque malevolorum manus incideret, fiebat, ut male apud nonnullos audiret versionis auctor, & tamquam falsarius traduceretur; quia nempe verbum non expresserit de verbo; sed pro *honorabili* dixerit *charissimum*; & ista: ἀιδέσιμον ὡσὶν ἁπάντων, noluerit transferre. Ad hæc in dicta illa epistola respondet Hieronymus, causasque exponit, cur in ejusmodi translationibus non verborum præcise rationem habeat, sed sensus. De suis Scripturæ sacræ versionibus ibi non agit, sed, uti diximus, eas ab hac disputatione expresse segregat.

Vulgata sæpe aliter habet, quam transferendum docuit Hier.

xi. Porro Bellarminus sibi objicit, multa inveniri in editione vulgata, quæ Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in Commentariis in Prophetas, ac alibi, doceat aliter fuisse vertenda; indeque fieri non posse, ut editio vulgata sit illa translatio, quam Hieronymus fecerat ex Hebræo. Respondet autem; quatuor de causis accidisse, ut quædam in textu Vulgatæ

Bell. Responsio.

sint

sint quæ Hieronymus reprehendit. Primam causam esse errorem & negligentiam librariorum; secundam, variam significationem vocabulorum Hebræorum: aliquando enim hanc, interdum aliam significationem Hieronymum esse secutum; tertiam, quod ipsemet postea mutarit sententiam, & loca sua correxerit; quartam deniq; causam esse, quod, etsi Hieronymus interdum senserit, quædam mutanda in sua versione, & ea notaverit in suis Commentariis, tamen Ecclesia postea magis judicaverit veram primam versionem, illamque retinere maluerit in editione vulgata.

XII. Sed neque hæc alicujus sunt ponderis. De librariorum enim mendis applica huc quæ paulo ante, num. x, monebantur. Quod Hieronymus vocis ambiguæ jam hunc, jam alium elegerit significatum, id uti semel iterumque factum esse haud inciamur, sic ad alias, quæ magno numero supersunt, discrepantias nihil facit. Sententiæ mutatio in locis adeo multis tanto auctori non sine temeritate tribuitur. Tandem, quod Ecclesia suum judicium interposuerit, verioremque censuerit versionem quam Hieronymus rejecit, & additis etiam fundamentis improbavit; id quomodo intellectum vult Cardinalis? an, quod publica Ecclesiæ auctoritate edita fuerit, post Hieronymi tempora, translatio Latina, quæ maximam quidem partem ex hujus genuina versione ex Hebræo esset concinnata, non tamen illa ipsa pura & mera, sed certo consilio interpolata? Ita sane videntur innuere quæ mox subjungit. Ubi namque dixerat, non videri casu factum, quod aliqua in-

in vulgata Latina hodie legantur quæ Hieronymus reprobaverit, sed judicio posteritatis, vel potius ipsius Ecclesiæ; *Editio enim vulgata*, addit, *quamvis maxima ex parte Hieronymi sit, tamen non est illa pura, quam ipse ex Hebræo convertit, sed est aliquo modo mixta, additis non paucis ex versione 70. quæ in Hebræo non inveniuntur. atque id potissimum perspicitur in lib. 1 Reg. & Proverb.* Quibus gemina habet libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ad ann. cccxc. Disputans nempe ibi de Commentariis Hieronymi in Psalmos, *Ego existimo*, ait, *commentaria, de quibus agimus, vere esse sancti Hieronymi; sed non pura. Videtur enim aliquis longe posterior scriptor adjunxisse multa de suo. Quod idem accidit versioni Scripturarum ex Hebræo quam habemus in editione vulgata. Est enim versio ipsa sancti Hieronymi, exceptis Psalmis, in editione vulgata, sed multis additis.* Quidquid autem sit; illud certe ex modo citatis apparet, ipsum tandem Bellarminum deserere thesin, quam demonstrandam susceperat & ab impugnationibus τῶν ἀντιλεγόντων vindicandam. Proposuerat nempe sibi, ostendere, præter Psalterium, & libros quosdam nobis Protestantibus apocryphos, *reliqua* OMNIA *ex Hieronymi versione ex Hebræo haberi in editione vulgata:* at, quando jam concluSurus est disputationem, fatetur ultro, haberi in iis *non pauca*, quæ in Hebræo nequaquam inveniantur, sed addita sint ex versione LXX. Ut ita desinat fere ipsius sententia in illam Sixti Senensis, qua credibile esse ait, libro IIX Bibliothecæ, hær. XIII, *Vulgatam editionem ex duabus Hieronymi editionibus constare: videlicet ex ea, quam Hieronymus secundum Hebraicam ve-*

Bell. fatetur, Vulgatam Lat. V. T. non esse puram Hier. versionem ex Hebræo,

p. m. 110.

veritatem edidit, & ex ea, quam ipse ex Græca editione septuaginta Interpretum transtulit. Dixerat paulo ante: *Sicut* Vulgata Latina *non videtur esse Hieronymi, ob causas ab adversariis inductas: ita ob easdem causas non omnino alia videtur ab interpretatione Hieronymi. Nam sicut illi ex multis locis, qui in editione nostra aliter habentur, quam Hieronymus emendavit, arguunt, editionem hanc non esse eam, quam Hieronymus de Hebraica veritate transtulit: ita & nos eodem argumento ostendere possumus, eam non esse prorsus ab illa D. Hieronymi interpretatione diversam, quia in illa multa loca habentur sicut Hieronymus se emendasse testatus est.* Mirari autem subit, tribui a Bellarmino, sub initium hujus capitis, Sixto Senensi, quod statuat, vulgatam Latinam esse mixtam ex versione Hieronymi & antiqua illa Itala quæ ante Hieronymum vulgo obtinuit. Contrarium quippe docent, quæ dedimus, ipsius Sixti verba. Quamvis alias certum sit, esse auctores magni nominis qui illam sententiam defendant. Quos inter ipse Card. Baronius; cujus verba, ad ann. ccxxxi, 47. *Accidit post Gregorii tempora, (quoto vero potissimum anno, quove auctore, incertum remanet) ut, quoniam dua simul vulgatæ editiones, vetus & nova, dissensionum ac contentionum interdum ministrarent occasionem, in diversa studia fideles ea in re distraherentur ab invicem; dum alii veterem, novam alii sequerentur, & quisque pro sua (ut assolet) contentiose dissereret, turbas cieret, alteramque defendens, in alteram minus digne invehetur; esset que ea diversitas veluti seminarium jurgiorum, ac turpem redderet Ecclesiæ faciem; dum in divi-*

Baronii sententia de Vulgata Latina.

vinis laudibus, ceterisq; sacris officiis, alii aliam psallendo, legendo, concionando, tractando, confectarentur: ut hac ex parte pene divisa schismate Ecclesia videretur. Sed divino affante numine provisum est, optimeque consultum, ut ad Ecclesiasticum communem usum una ex duabus, quæ usui omnibus esset Ecclesiis, conflaretur, quæ communis omnibus atque Vulgata uno nomine a cunctis diceretur, explosa illa Veteris & Novæ nomenclatura. Resque evenit ex sententia, ut, eam unam occidentali Ecclesia usu recipiente, omnis mox ea de re cessaverit controversia, omnesque, sicut una fide compaginati, ita uno spiritu unoque ore Christum Dominum una cum Patre & Spiritu sancto laudibus assidue celebrarent. Hæc, inquam, Baronius, more suo, ita confidenter & secure, ac si e probatissimis antiquitatis scriptoribus hausisset: cum tamen apud eos profundum de hac publica auctoritate facta mixtione sit silentium, & res tota meris conjecturis nitatur, uti palam est.

Bell. hypotheses Concilium Tridentinum erroris convincunt,

XIII. Sed mittamus tandem hanc de auctore versionis vulgatæ disquisitionem. Quamquam enim supersunt in Bellarmini textu, quæ censuram mereri adhuc possint, quia tamen ad ipsum controversiæ caput parum illa faciunt, nolumus in iis examinandis nos detinere. Unum interim, priusquam ad alia progrediamur, monendum ducimus. Videlicet Bellarmini assertio est, ut supra vidimus, *editionem vulgatam, quamvis maxima ex parte Hieronymi sit, tamen non esse illam puram, quam ipse ex Hebræo convertit, sed esse aliquo modo mixtam, additis non paucis ex versione 70. quæ in Hebræo non inveniantur.* Conferan.

ferantur hæc paululum, obsecro, cum aliis nostri Cardinalis hypothesibus. Statuit ille, ut ex cap. VI hujus libri patet, genuinam τῶν LXX interpretationem accurate respondisse textui Hebræo, nec quidquam habuisse quod in eo non reperiretur. *Scio quidem*, ait, *Epiphanium, Hieronymum, & Augustinum, scriptum reliquisse, septuaginta Seniores industria quadam omisisse, QUÆDAM ADDIDISSE, & quædam aliter vertisse, quia sic eis dictabat Spiritus sanctus. Sed isti Patres pie quærebant rationes excusandi & defendendi eam versionem, qua tunc Ecclesia utebatur. Cæterum si ita esset, quomodo Philo diceret, summam fuisse consonantiam rerum & verborum? quomodo etiam assereret Aristæus, omnes, qui eam initio viderunt, acclamasse, singula esse bene & fideliter versa? quomodo non admirati fuissent, tam multa contrario sensu reddita?* Hæc ergo si ita sunt, si, inquam, nihil in editione τῶν LXX extitit quod non fuerit translatum ex Hebræo, irrefragabiliter sequitur, illa, quæ in vulgata Latina ex LXX addita scribit Bellarminus, cum in Hebræo textu haud inveniantur, non esse adjecta ex genuina ista ac intemerata LXXvirali: ni dicere forte velis cum Pontificiis quibusdam, fontes Hebræos iis locis, ubi versio vulgata plus habet aut minus quam ipsi, non esse sinceros, sed id, quod in vulgata extat, in Hebræo autem non, excidisse perfidia Judæorum: quod tamen commentum operose noster refellit Cardinalis capite II. Si autem ista vulgatæ Latinæ additamenta neque ex prima τῶν LXX translatione, neque ex fonte Hebræo sunt deprompta, quod canonica esse non possint & authentica, oppido quam est manifestum.

stum. idque fatetur ipse Bellarmini hyperaspistes Gretserus; cujus hæc sunt aperte verba: *Cum ea, quæ in versione 70 Interpretum verè diversa erant ab Hebræo textu, non manaverint à 70. Interpretibus; quandoquidem illorum interpretatio examussim cum Hebræo textu congruebat, ut supponit hæc* (Bellarmini) *opinio; Hebræus itidem textus non sit mutilatus aut depravatus; necessario sequitur, talia, quæ ex 70. Interpretibus desumpta, & in vulgatam Latinam editionem translata dicuntur, non esse Canonica; cum fuerint 70. Interpretibus olim superaddita, quando puritas illius versionis ab Origene & aliis additione & detractione contaminari cæpit. Quis autem dicat, canonica & authentica esse, quæ nec sint in Hebræo textu, nec in prima 70. Interpretum versione exstabant?* col. 506.

XIV. Inde ergo nunc argumentor:

Quæ Synodus Canonicum & authenticum pronunciauit, orbique Christiano sub anathemate pro tali agnoscendum obtrusit, quod in se canonicum & authenticum non est, ea gravissime erravit.

Atqui Tridentina Synodus id fecit. E.

Major evidens est, nec poterit ejus veritas a quoquam in dubium vocari, nisi forte ab his, qui tantam Ecclesiæ tribuunt auctoritatem, ut possit de non-canonico facere canonicum, de non-authentico authenticum: quam tamen sententiam rejicit Bellarminus libro I de Verbo Dei cap. X, adeo quidem, ut (licet præter omne meritum, velut suo loco ostendimus) impudentissimæ calumniæ Chemnitium nostrum postulet, quod Pontificiis eam tribuat: quemadmodum & Gretserus col. 537. & 541.

ſerus fatetur diſerte, Concilium non poſſe aliter authenticum quid facere, niſi declarando ac promulgando, non conſtituendo. Nam ſi antea authenticum in ſe non ſit, nequaquam Concilium vim authenticam ei indere poſſe, quippe quam acquirere debeat a DEO. Minor itidem manifeſta. Sic nimirum habet decretum Concilii ſeſſ. IV: *Si quis libros* Scripturæ *CUM OMNIBUS SUIS PARTIBUS, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & IN VETERI VULGATA LATINA EDITIONE HABENTUR, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* Quibus mox ſubjicitur decretum, quo ſtatuit eadem Synodus, *ut hæc ipſa vetus & vulgata editio in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* Jam vero Bellarminus fatetur, haberi in Vulgata iſta *non pauca*, quæ in Hebræo haud inveniantur, indeque nec in prima τῶν LXX translatione extiterint, quæque idcirco, largiente & affirmante ipſomet ejus propugnatore Gretſero, minime canonica ſint & authentica. Evidens proinde eſt, quod, per ipſius Card. Bellarmini hypotheſes, ſæpius dicta Synodus canonicum & authenticum pronunciaverit, orbique Chriſtiano ſub anathemate pro tali habendum & agnoſcendum obtruſerit, quod reapſe non eſt canonicum & authenticum. Junge his, quæ afferimus capite X, 19. XI, 4.

CAPUT X.

DE AUCTORITATE VULGATÆ LATINÆ.

I.

Bell. ineptus discursus de Vers. authent.

DIsputationem de auctoritate versionis Latinæ vulgatæ incipiens Bellarminus, *Hæretici*, ait, *nostri temporis quanquam inter se non parum dissentiant in authentica editione Latina eligenda, tamen adversus Ecclesiam mirifice omnes consentiunt. Siquidem Lutherani volunt, solam Lutheri versionem habendam esse authenticam; ut patet ex decreto quodam Lipsiensi, cui Melanchthon, Pomeranus, Major, aliique permulti subscripserunt. De quo decreto vide Staphylum in tertio topico prædicamento Lutheranæ Theologiæ. At Zvvingliani, quibus Anabaptistæ & Calvinistæ consentiunt, nullam esse volunt authenticam versionem; ut ex præfatione Tigurinæ editionis patet: ubi docent, non debere Ecclesiam alligari ad unam aliquam versionem. Nihilominus tamen tam Lutherani quam Zvvingliani in eo conveniunt, ut editio Latina vulgata non sit habenda pro authentica, cum innumerabiles errores in ea deprehendantur.*

II. Quæ quidem pauciſſimæ lineæ, ſi dicendum quod res eſt, non paucis ſcatent vitiis: λοιδορίαις puta, falſitatibus, ineptiis. Ait, hæreticos, id eſt, qui Papam negant eſſe *Dominum Deum noſtrum*, non parum diſſentire in authentica editione Latina eligenda; idque probat inde, quod Lutherani velint, ſolam Lutheri verſionem habendam eſſe authenticam,

Zvvin-

Zvvingliani vero, Anabaptistæ, & Calvinistæ, nullã esse velint authenticam versionem. Ubi primo nequaquã apparet, quî Lutherani dici possint non parum dissentire, in authentica editione *Latina* eligenda, a Zvvinglianis, Anabaptistis, Calvinistis, propterea quod velint, Lutheri versionem habendam esse authenticam. An enim Lutheri versio est versio Latina? Deinde, quid hoc sibi vult, quod distinctionem facit Cardinalis inter Zvvinglianos & Calvinistas, quasi diversæ essent sectæ? Ait quippe, Calvinistas consentire Zvvinglianis in controversia de versione authentica. Quomodo sane nemo loquitur de illis qui eandem plane profitentur fidem. Ecquis enim diceret, v. c. Pontificios consentire Romano-Catholicis in quæstione de Purgatorio? Nescio proinde, quid in mentem veneritBellarmino, ut ita Calvinianos a Zvvinglianis, & quidem interjectis Anabaptistis, quasi minus ab his distantibus, sejungeret. Vulgus quidem diversas heic sibi sectas fingere solet. Quam in rem Becanus, præfat. opusculi de titulis Calvinistarum, *Omnes norint*, inquit, *unam eandemque sectam diversis sæpe nominibus ac titulis significari. In quo non pauci a VULGO decipiuntur. Putant, alios esse Calvinistas, alios Puritanos, alios Picarditas, alios Hugonotos* (par Zvvinglianorum ratio. conf. tit. v.) *ERRANT. Nomina diversa sunt, secta eadem.* At quis vulgi hunc errorem errasse credat Bellarminum, tantum Controversistam? Nempe interdum viri etiam docti, quando cœlesti se veritati opponunt, intelligendo faciunt ut nihil intelligant. Denique, annon crassissimum commentum est, impudensque calumnia, quod Lutherani velint, solam Lutheri versionem habendam

Distinctio Bell. inter Zvvinglianos & Calvinistas.

bendam esse authenticam ? Si ullo alio, hoc certe testimonio mendacii convinci potest aperti Bellarmini (apud Fuligattum, in vita ipsius, lib. VI, cap. I,) jactantia, *toto vitæ spatio se mendacium nullum dixisse.* Producatur pro facienda fide assertioni isti testis vel unicus, sed ἀξιόπιστος, non Staphylus; cujus fatuitatem cavillandique pruritum vel sola prodit libri inscriptio quem Cardinalis laudat. Sane Lutherus ipsemet de versione sua, toties quoque recognita & emendata, longe aliter judicavit, quam ut pro authentica cuiquam censuerit obtrudendam. Ait enim, si quando in transferendo hallucinatus forte fuerit, gratias se habiturum ei qui errores monstraverit. Neque enim mirum, si ipse non semper acu rem tetigerit, cum & Hieronymus toties heic sit lapsus. **Ob man müste mich angreiffen und tadeln** / inquit, **der ich zuweilen in der Dolmetschung gefeilet hätte** / **das wil ich mit danck annehmen. Denn wie offt hat Hieronymus gefeilet?** libro de Schemhamphoraſch, anno XLIII, & sic triennio ante summi viri obitum, edito, Tom. IIX Jen. f. 135.

Argum. Bell. I. pro auctoritate Vulgata.

III. Sed age, ipsum controversiæ caput aggrediamur, & argumenta Bellarmini, quibus ἀυθεντίαν vulgatæ Latinæ firmare nititur, expendamus. *Primum*, inquit, *est argumentum ipsius Concilii. Ait enim Synodus Tridentina, eam à se probari sacrorum librorum Latinam editionem, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est. Nec enim temere per annos fere mille, hoc est, a tempore B Gregorii, omnis Ecclesia Latina hac una editione usa est, omnes Concionatores hanc explanaverunt & populis proposuerunt, omnia*

omnia Concilia ex hac editione testimonia protulerunt ad confirmanda dogmata fidei. Porro Ecclesiam totis octingentis vel nongentis annis germana Scripturæ interpretatione caruisse, atque in iis, quæ ad fidem & religionem pertinent, errores Interpretis nescio cujus pro verbo DEI coluisse, mirum est si cui mirum & absurdum non esse videatur; præsertim si ex Apostolo didicerit, 1. Tim. 3. eam esse columnam & firmamentum veritatis. Quod quidem argumentum si scopum ferire debeat, (quæritur enim heic, non, an reverentia aliqua ob antiquitatem & diuturnum usum debeatur Vulgatæ: imo ne hoc quidem, an plus ea vel minus aberret quam translationes aliæ; sed, an sit authentica) ad syllogisticam formam revocatum habebit ita:

Quæ Scripturæ versio longo multorum seculorum usu in Ecclesia viguit, illa est authentica.

Atqui versio vulgata Latina longo multorum seculorum usu in Ecclesia viguit.

Ergo eadem est authentica.

Quo pacto concludere heic velle Cardinalem, agnoscit ejus Apologeta Gretserus. Cum enim dixisset Hunnius: *Ratio a tot seculorum usu petita hoc tantum evincit, Ecclesiam diu utiliter ea editione usum, cum non extaret melior translatio*: subjicit ille: *Plus evincit hæc ratio, o Prædicans: nimirum, hanc editionem vere esse authenticam.* col. 5. 6.

IV. Ceterum quis non videt in argumento isto infirmitatem propositionis majoris? Si enim longus Ecclesiæ usus αὐθεντίαν conciliare valet translationibus, qui factum, quod authentica non fuerit, quæ ante Gregorii tempora tot seculis obtinuit, editio Latina Responsio.

Latina communis & vulgata? An forte major heic vis Ecclesiæ posterioris, quam priscæ illius ac primitivæ?

v. Quæ pro argumenti sui confirmatione affert Robertus, parum sane habent roboris. Ait nempe, mirum videri & absurdum, *Ecclesiam totis octingentis vel nongentis annis germana Scripturæ interpretatione caruisse, atque in eis, quæ ad fidem & religionem pertinent, errores Interpretis nescio cujus pro verbo DEI coluisse.* Verum primo, si vel maxime concederetur, versionem vulgatam esse interpretationem *germanam*, hoc est, tanta fide ac industria expressam, quantam requirit genuina & accurata translatio, nondum tamen inde sequeretur, quod sit *authentica*, & talis, a qua *nullo pratextu* liceat recedere. Quantacunque enim cura versio aliqua sit adornata, si non nisi ab humano profecta studio, numquam tantæ perfectionis est, ut extra omne erroris periculum sit posita. Deinde non erat, cur grande adeo videretur Cardinali nostro paradoxum, Ecclesiam, in qua alioqui conservatur veritas fidei & morum, carere interpretatione germana, sumpta hac voce ita ut jamjam exponebamus. Annon enim id contigit primis illis ac purioribus seculis, dum in usu erat translatio quam Hieronymus improbabat, imo quam ipsa tandem ac paulatim improbavit Ecclesia? & annon ipse Bellarminus supra capite VI agnoscit, versionem LXXviralem, quam *Catholica Ecclesia multis seculis secuta*, jam ante Justini Martyris tempora *a Judæis multis in locis fuisse corruptam*, ad hoc *primis trecentis* post CHRISTUM natum *annis tot maculas*

las contraxisse, ut necesium fuerit, eam *sæpe sæpius emendari ab Origene, Luciano, Hesychio, Hieronymo?* Si ergo absurdum non est, affirmare de primæva illa ac intemerata Ecclesia, quod editionem secuta fuerit tot modis depravatam & vitiatam; an erit absurdum, dicere de Ecclesia posteriorum temporum, quod versione fuerit usa, quæ non fideliter ubique & curate fontes exprimeret, sed multos haberet errores interpretis, multas maculas?

VI. Et mirari subit, adeo indubitatum esse Bellarmino, quod vulgata Latina sit germana versio, cum ipsemet capite præcedenti IX diserte scribat, habere illam *non pauca, quæ in Hebræo non inveniantur*: quemadmodum & alii ex Pontificiis ingenue fatentur, quod in ea reperiantur *multa incommode admodum versa, nonnulla superaddita, aliqua omissa & immutata, quædam minus bene ac vere transfusa, multoque aliter quam veritas Hebraica habet, quædam a genuino sensu deturbata, & a scriptoris sensu aliene translata*; (vide infra num. XIX) qualia certe de germana & fideli Scripturarum interpretatione nemo prudens affirmaverit.

VII. Porro falsum est, quod, ut Bellarminus ait, *a tempore B. Gregorii omnis Ecclesia Latina HAC UNA editione* vulgata *usa* sit, *OMNES Concionatores hanc explanaverint, & populis proposuerint.* Etenim Interpretes & Tractatores non semper solitos, ne quidem post Gregorium, sic verba Scripturæ recitare, quemadmodum in Vulgata leguntur, ipse Gretserus inficiari nequit. Etiamsi nihil aliud id arguere scribat, quam *varias vulgatæ editionis lectiones, natas ex manuscri-*

Gretseri Cana effugia, col. 553.

nuscriptorum exemplarium diversitate. Quod tamen vanum esse effugium nullo negotio patebit, si Vulgatæ hodiernæ textum cum translationibus quibus veterum nonnulli utuntur conferas. Ita, cum Vulgata habet, v. c. Gen. 1, 2. *Terra erat inanis & vacua*; Albinus Alcuinus, qui Caroli M. tempore vixit, Quæstionibus in Genesin, legit: *Terra erat invisibilis & incomposita.* quando ibidem cap. II, 2. habet Vulgata: *Requievit* Deus *die septimo ab omni opere quod patrarat.* & comm. 17. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* comm. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem.* Alcuinus legit: *Requievit die septimo ab omnibus operibus suis.* — *Si manducaveritis ex eo, morte moriemini.* — *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem.* Sic porro cap. III, 16. Vulgata: *Sub viri potestate eris.* Alcuinus: *Sub te erit appetitus tuus.* cap. IV, 15. Vulgata: *Septuplum punietur.* Alcuinus: *Septuplum vindicabitur.* cap. X, 11. Vulgata: *Ædificavit Niniven, & plateas civitatis.* Alcuinus: *Ædificavit Niniven, & Roboot civitatem.* cap. XVI, 12. Vulgata: *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum; & e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula.* Alcuinus: *Manus ejus super omnes, & manus omnium super eum; & contra faciem omnium fratrum suorum habitabit.* cap. XVII, 4. Vulgata: *Pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* Alcuinus: *Ecce, testamentum meum tecum, & eris pater multitudinis gentium; & non vocabitur nomen tuum Abram, quia patrem gentium posui*

posui te. cap. XX, 6. Vulgata : *Custodivi te, ne peccares in me.* Alcuinus: *Peperci tibi, ut non peccares in me.* Ubi lectionis tantummodo varietatem esse, non translationes diversas, nemo dixerit qui quidem mentis sat est compos. Sed & evanescit hinc exceptio ejusdem Gretseri altera, dum videlicet ait, *Tractatores sententias Scripturæ frequenter allegasse prout occurrebant memoriæ, certos de sensu, de verbis minime solicitos.* Annon enim sensu discrepant ista, v. g. *Ædificavit Niniven, & plateas civitatis*; ac: *Ædificavit Niniven, & Roboot civitatem?* Sed nolumus his immorari diutius. Tantum igitur de argumento Bellarmini primo. Nam de verbis Apostoli ex I Tim. III, 15. agere non est hujus loci. *l. 4. c.*

IIX. Argumentum Bellarmini secundum ita habet: *Vel hæc nostra versio est Hieronymi vel, certe illa antiqua communis, quam Augustinus vocat Italam. Si est illa antiqua, magnum testimonium habet ab Aug. l. 2. de doct. Christ. c. 15. ubi dicit, eam omnibus esse præferendam: si autem est Hieronymi, ut nos supra probavimus, habet testimonia omnium veterum, qui eam videre potuerunt.* Ubi nominatim adducit testimonium Augustini, dicentis, Judæos fateri, translationem Hieronymi ex Hebræo esse *veracem*, ejusdemque emendationem Novi Testamenti *omnibus probari*; & Gregorii, perhibentis, versionem isthanc *cuncta verius transfudisse*; Isidori item, (cui subscribere notat Rabanum) de eadem affirmantis, quod *merito ceteris anteponatur*; provocatque, porro ad Anselmum, Bernhardum, Rupertum, Haymonem, Hugonem, Richardum, & alios omnes, quos satis *Arg. Bell. 2.*

ostendere ait, *se hanc editionem præ cæteris probasse, cum eam solum explanandam susceperint*: ac tandem addit, quod non solum Latini *versionem hanc probarint*, sed etiam Græci, qui *quædam divina volumina, a Hieronymo in Latinum ex Hebræo conversa, ex Latino in Græcum transfuderint.* Ex quibus omnibus talis nascitur sylloge:

Quæ versio, priscis Ecclesiæ Patribus præ ceteris probatur, cunctisque translationibus aliis præfertur, est authentica.

Sed versio vulgata Latina priscis Ecclesiæ Patribus præ ceteris probatur, cunctisque translationibus aliis præfertur.

Ergo est authentica.

IX. Ubi primo, quod ad Majorem attinet propositionem, facile patet, non posse illam admitti. Qua enim vel specie veri ostenderetur, esse versionem statim authenticam, quam probarunt veteres Ecclesiæ Doctores, ceterisque translationibus prætulere? cum possit sane versio Scripturarum una palmam præripere aliis, quod minus quam illæ a fonte recedat, sermone magis proprio & perspicuo res sacras exprimat, similibusque præ ipsis polleat virtutibus; quæ tamen idcirco non est anthentica necessario, tantæque auctoritatis, ut nullo ab ea prætextu liceat abire. Nam, uti jam supra diximus, quantacunque etiam cura translatio aliqua sit adornata, si non nisi ab humano profecta studio, numquam tantæ perfectionis est, ut extra omne erroris periculum sit posita. n. 3.

X. Porro nec Minor supra propositi argumenti certæ veritatis est. Supponit enim, Vulgatam hodier-

diernam esse vel antiquam illam Italam, vel Hieronymianam versionem. quorum utrumque falsum esse, capite præcedenti IX, etiam ex ipsomet Bellarmino, patuit. Deinde in prodducendis veterum testimoniis admodum imprudens est Cardinalis. Nempe ubi ex Augustino probasset, antiquam Italam omnibus aliis versionibus esse præferendam, mox probat ex Isidoro, quod Hieronymiana merito ceteris anteponatur. Quæ simul consistere nequeunt. Nam si Itala omnibus translationibus præferenda, ergo & Hieronymianæ; ac similiter, si Hieronymiana ceteris anteponenda, ergo & Italæ. Erit proinde eadem eidem & præferenda & postponenda: quod absurdum. Et fac, Vulgatam hodiernam esse antiquam Italam, (liberam enim heic electionem facit Bellarminus, ut pronuncietur in utramvis partem, vel Italam esse, vel Hieronymianam) annon auctoritati ejus detrahent, quæ Cardinalis citat, Gregorii, Isidori, Rabani, ceterorumque pro Hieronymiana facientium testimonia? fac e contrario, esse eandem Hieronymi, nonne ipsius auctoritati aliquid decedet per judicium Augustini, Italam cunctis versionibus, & sic etiam Hieronymianæ, præferentis? Utra ergo sententia eligatur, semper arma suppeditat Bellarminus quibus impugnetur. Ita si dicas, ut heic dicit Bellarminus, Vulgatam hodiernam esse Hieronymi, in proclivi est argumentari:

Quæ translatio cedit antiquæ Italæ, ea minus recte a Concilio Tridentino declarata est authentica.
Atqui translatio Hieronymi cedit antiquæ Italæ.
Ergo minus recte a Concilio Tridentino declarata est authentica.

Major

Major patet. Ut enim versio aliqua pronuncietur authentica, *OMNIUM optimam & fidelissimam divini Spiritus interpretem esse oportet*, tantæque perfectionis, ut cudi non possit *quæ Spiritus sancti mentem verius ac melius explicet*; ceu Gretserus indicium facit. quemadmodum & Bellarminus ad auctoritatem editionis alicujus authenticam requirit, ut anteponatur ceteris; velut ex supra dictis liquet. col. 540. Minor e testimonio Augustini, quod, ex libro ejus II de Doctr. Chr. cap. XV, huc laudat Bellarminus, evidens est. Si enim *omnibus* versionibus, (intellige Latinis) præferenda est Itala, ergo & Hieronymianæ. Amplius notetur, quod speciatim ad Augustini attinet ex libro XIIX de Civ. Dei cap. XLIII citatum testimonium, tantum abesse, ut pro dignitate translationis Hieronymi authentica id faciat, ut potius eandem diserte impugnet. Ita nimirum habet locus integer: *Non defuit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus; qui non ex Græco, sed ex Hebræo, in Latinum eloquium Scripturas converteret. Ejus tam literatum laborem quamvis Judæi fateantur esse veracem, LXX vero Interpretes in multis errasse contendant, tamen Ecclesiæ Christi tot hominum autoritati, ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, NEMINEM JUDICANT PRÆFERENDUM. Quia, etsi non in eis unus apparuisset spiritus sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suæ LXX docti more hominum contulissent, ut, quod placuisset omnibus, hoc maneret, NULLUS EI UNUS INTERPRES DEBUIT ANTEPONI.* Ubi vides, postponi Hieronymianam versionem etiam translationi LXX virali, quam tamen illo tempore multis modis

deprava-

depravatam fuisse, toties inculcat Hieronymus, agnoscitque noster supra capite VI. Tandem & hoc observetur, ne ipsos quidem Tridentinos ad illa Patrum testimonia, quæ Bellarminus citat, attendisse. Si enim cum Gregorio judicassent, Hieronymi *translationem ex Hebræo CUNCTA verius transfudisse*, eandemque cum Isiodoro absolute *ceteris antepositam*, quod esset *veracior in sententiis, & clarior in verbis*; non prætulissent utique in determinatione versionis authenticæ Psalterii interpretationem antiqui interpretis ex Luciano. Si censuissent cum Augustino, antiquam Italam simpliciter *omnibus esse præferendam*, non prætulissent in reliquis, præter Psalterium, libris V. T. ὁμολογουμένοις translationem Hieronymianam. Quod tamen eos fecisse asseverat supra cap. IX Bellarminus. Et hactenus etiam de argumento secundo.

XI. Tertium, (quo, teste in Historia sua P. Sarpio, lib. II, in ipso etiam Tridentino Concilio quidam usi sunt) illud est: *Habuerunt Hebræi sua lingua authenticam Scripturam, Græci quoque habuerunt Græcè authenticam Scripturam, id est, Testamentum Vetus ex versione 70. & Testamenti Novi ipsos primos fontes; igitur æquum fuit, ut Latina Ecclesia, in qua sedes Petri est, & in qua perpetuò fides Christiana mansura erat, haberet sua lingua authenticam Scripturam. Non autem habuit aliam fere à mille annis, quàm istam; igitur ista authentica censenda est.* *Arg. Bell. 3.*

XII. Cujus argumenti primum negatur consequentia; negatur, inquam, si Hebræi sua lingua Scripturam habuerint authenticam, sua Græci, huic consequens esse, quod oporteat etiam Latinos authenticam *Responsio.*

habere Scripturam lingua sua. Neque enim necesse est, ut ratione istiusmodi singularium beneficiorum omnes Ecclesiæ particulares ejusdem sint conditionis; sed fieri potest, ut uni præ altera heic aliqua prærogativa contingat. Sic v. g. Ecclesia Hebræorum intuita est coram docentemque audivit CHRISTUM in carne manifestatum; quod aliis non æque contigit: nonnullæ Ecclesiæ ab ipsis primum Apostolis fundatæ sunt, eosdemque vivos habuerunt magistros; id quod de aliis dici non potest, quarum tamen cetera haud fuit inferior dignitas. Et si ejusmodi accidentariarum prærogativarum ratione Ecclesia Latina deberet per omnia par esse Hebrææ, etiam sua lingua Scripturas habere ipsam oporteret immediate θεοπνεύστους, uti sua lingua Ecclesia habet Hebræa: cum tamen, ipsomet Bellarmino largiente, nulla extet Scriptura Latina, quæ, ut talis, ex θεοπνευσία sit profecta.

XIII. Deinde, si recte rem expendas, causa quamobrem Hebræi habuerunt Scripturam sua lingua authenticam, sua lingua Græci, (puta ex parte, & ratione Testamenti Novi. nam quod ait Cardinalis, habuisse Græcos sua lingua authenticum quoque Testamentum Vetus ex versione τῶν LXX, id falsum esse supra capite VI evicimus) proprie non est, quod hinc dignitas aliqua peculiaris eorum deberet Ecclesiis accedere: sed placuit Spiritui sancto, ut Scriptura V. T. traderetur Hebræis sua lingua, quod tunc temporis non erat alius in toto orbe populus, cui DEUS se revelasset, quodq; præter vernaculam Hebræam nullam aliam linguam illi intelligebant: Testamentum autem Novum Græce ab auctoribus suis θεοπνεύστοις scriptum est, (non certe solis

te solis Græcis, ut de singulari privilegio illi heic gloriari possint, sed etiam Latinis; cum Græce suam ad Romanos Epistolam scripserit Paulus,) quia scopus Apostolorum erat, Evangelium per universum orbem disseminare: id quod commodius fieri non potuit quam lingua Græca, quæ tunc erat communissima, &, ceu Tullius habet pro Archia, *in omnibus fere gentibus legebatur*; cum *Latina*, dicente eodem, *suis finibus exiguis contineretur*. Atque hoc agnoscit Bellarminus ipsemet infra capite XV, §. *Sed accedat*; ubi diserte ait, Apostolos Græce scripsisse, *quia tunc lingua Græca erat omnium communissima*. Confer Tract. de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis, num. XX, XXXII, XXXIV, XXXV. Quamquam vero postea usus Latini sermonis latissime patere inciperet, atque hinc universa Scriptura in eundem a multis certatim transfunderetur, numquam tamen scriptor extitit θεόπνευστος, qui Latinam versionem adornarit; sed humana concinnatæ sunt industria quotquot ea lingua umquam prodiere translationes, indeque auctoritatem authenticam, ut quæ ἀναμαρτησίαν in auctore necessario supponit, obtinere illarum nulla potest.

XIV. Quartum Bellarmini argumentum sic habet: *In Conciliis generalibus Ecclesiæ, aut pauciſſimi, aut interdum nulli inveniuntur linguæ Hebraicæ periti: male igitur provisum esset Ecclesiæ, si in rebus gravibus non posset fidere Latinæ editioni, sed deberet recurrere ad Hebraicos codices, & mendicare à Rabbinis, hostibus suis, veritatem. Idem dicere possumus de Græca lingua. Nam etsi nunc ut cunque multi inveniuntur qui Græce noverint, tamen non semper ita fuit. Nam si Ruffino credimus, lib. Histor.* Arg. Bell. 4.

10. cap. 21. ex sexcentis Episcopis, qui ad Concilium Ariminense convenerunt, nemo fuit, qui sciret, quid sibi vellet ὁμοούσιον. Et propterea, cum callidi quidam haretici Ariani proponerent Synodo, an vellet Christum colere, an ὁμοούσιον, omnes clamaverunt, se nolle ὁμοούσιον, sed Christum.

Responsio. xv. Resp. Aut intelligit heic Cardinalis per Concilia generalia, recentiora solum ista, quæ talia Pontificiis esse putantur; & sic negamus, ea vere esse generalia: aut respicit simul antiqua illa Ecclesiæ primitivæ, (quod posterius persuadet allatum ab ipso exemplum Synodi Ariminensis, quarto seculo habitæ) atq; ita absurdus est, si affirmat, non potuisse vetera illa Concilia sine magno incommodo carere versione authentica Latina, quod in iis pauciſſimi aut nulli inventi sint Hebraicæ & Græce linguarum petiti. Quid enim? an omnes in priscis illis Synodis congregati Episcopi periti fuerunt linguæ Latinæ? Imo vero in Ephesinæ actis, parte II, act. II, legimus, literas a Celestino, Episcopo Romano, ad Concilium scriptas, oportuisse in Græcum transferri, quod non pauci congregatorum ibi Episcoporum Latine nescirent. Sic in œcumenico primo Niceno, in CCCXIIX illis, ex universo Oriente & Occidente, ipsa etiam Persia & Scythia, extra imperium Romanum, congregatis Patribus, vix octo fuisse legimus Latinos. Ut proinde invertere liceat Bellarmini argumentum, & ita concludere: In Conciliis generalibus priorum seculorum paucissimi inventi fuerunt linguæ Latinæ periti; male igitur provisum fuisset priscæ illi ac puriori Ecclesiæ, si editio Scripturæ Latina esset authentica. Et de quanam heic versione Latina loquitur

conf. Tr. de Lect. Script. in lingg. Vulg. n. 75.

Vid. Euseb. l. 3. de Vita Constant. c. 7.

tur Bellarminus? an de Vulgata, de cujus auctoritate in præsenti controvertitur? Atqui nimis ineptus est, si hanc authenticam fuisse vult tempore veterum Conciliorum, Niceni, Constantinopolitani, & (quod ipsemet in exemplum adducit) Ariminensis, ante celebratorum, quam Vulgata ista (posito nempe, quod ea sit Hieronymi, ut censet Bellarminus) lucem adspexisset. Si vero de alia quadam editione loquitur Cardinalis, Vulgata hodierna vetustiore, extra oleas ipsum ferri, nemo non videt. Unice enim nunc quæritur de editione Latina, quam authenticam pronunciarunt Patres Tridentini.

XVI. Quod ait Bellarminus, *male provisum esse Ecclesiæ, si in rebus gravibus non posset fidere Latinæ editioni, sed deberet recurrere ad Hebraicos codices, & mendicare à Rabbinis, hostibus suis, veritatem*; id nauci est. Esse enim e re Ecclesiæ, ut ortis dubiis & controversiis, ad Hebraicos codices recurratur, identidem inculcant magna illa Christiani orbis lumina, Hieronymus & Augustinus; docent Hilarius, Cassiodorus; quin ex ipsismet Pontificiis Cardd. celeberrimi, Ximenius & Cajetanus, Josephus item Acosta, Iesuita, Arias Montanus, Ioh. Driedo, Marcus Marinus, verbis ac locis supra cap. II, 3. laudatis. Neque hoc est, a Rabbinis, Ecclesiæ hostibus, mendicare veritatem. Numquid enim auctores Hebraicorum Scripturæ codicum sunt Rabbini, ut ab his veritatem mendicare sit censendus quisquis textum sacri codicis Hebræum consulit? Aut num forte id vocat Cardinalis mendicare a Rabbinis veritatem, si linguam ab iis discas & idioma Hebræum? Hoc vero si quid absurdi habet & incommodi, quod-

que minus deceat Christianos, cur Hieronymus, tantus & tam sanctus Ecclesiæ Doctor, Rabbinis usus est Præceptoribus, & ab iis Hebræi sermonis peritiam, (non mendicavit quidem, sed) mercede ingenti didicit? cur Bellarminus ipsemet a Rabbinis veritatem emendicare non dubitat? ut infra capite XIII, §. *undecimus*: cur ibidem col. 666. diserte ejus hyperaspistes Gretserus, *A quo*, inquit, *usus Hebraicarum vocum petenda* (petendus) *est? à Prædicantibus, an à Rabbinis?* Quamquam, si tempus spectes quo Latina vulgata authenticam apud Pontificios auctoritatem nacta est, omnino falsum sit, oportuisse tunc, qui Hebræum consulturus esset textum, ejus a Rabbinis sensum mendicare Grammaticum: quod non defuerint illo ævo (sicut nec hodie desunt) etiam inter Christianos viri linguæ sanctæ peritissimi, a quibus addiscere talia liceret.

Arg. Bell. 5. XVII. Ultimum Bellarmini argumentum est hoc: *Videmus, novos hæreticos, qui, contempta antiqua editione, novis interpretationibus student, adeo diversas & inter se dissentientes editiones cudere, ut nihil ferè certi ex eorum editionibus haberi possit. Quare Martinus Lutherus, in libro contra Zvvinglium de veritate corporis Christi in Eucharistia, Si diutius, inquit, steterit mundus, iterum erit necessarium, ut propter diversas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.*

Responsio. XIIX. Resp. Qualis vero hæc argumentatio: Novæ Scripturarum translationes sunt diversæ inter se & dissidentes; ergo Vulgata vetus est authentica? Imo sic debebat concludi: Omnes omnino versiones, tum recentes,

centes, tum antiquæ, variæ sunt & diversæ inter se, igitur *Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas*; sicut probe monet Augustinus lib. II de Doctr. Christ. cap. XI. cui suffragatur heic Hieronymus, aliique præterea supra cap. II, 3. & VII, 10. citati magni nominis auctores. Extabant Augustini tempore Scripturarum tot Latinæ versiones, ut numerari nullo modo possent, ceu testatur ipse loco paulo ante memorato: & præferendam quidem inter illas censebat doctissimus Antistes translationem Italam, quod esset *verborum tenacior, cum perspicuitate sententiæ*, ibidem cap. XV; interim pro authentica ne hanc quidem habebat, sed juxta cum aliis ad fontes judicabat exigendam. Etenim *qua sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate conentur eloqui, non apparere* ait, *nisi in ea lingua inspiciatur quam interpretantur*, cap. XIII.

XIX. Gretserus cum Sacroboscо suo putat, esse Bellarmini argumentum satis efficax & validum, modo ejus verba fideliter referantur. *Nam*, inquit, *si hæretici, qui, contempta antiqua editione, aliter, quam illa, reddere student, malè omnino vertunt, experientia teste, ex Lutheri ingenua confessione manifestum indicium est, recessum ab antiqua editione ad corruptionem tendere, &, è converso, accessum ad eam tendere ad perfectionem; quodque consequens est, oportere ut illa vera sit, fidelis, ac syncera.* *Gretseri insane effugium, col. 551.*

XX. At esto hæc argumenti Bellarminiani sententia

tentia (quamvis ego id non credam) num efficax ita id erit validumque? Neutiquam profecto. Primo enim consequentia nihili est: Si, qui ab antiqua vulgata recedunt, & aliter, quam illa, reddere student, male vertunt, sequitur, recessum a Vulgata ad corruptionem tendere, & accessum ad eam, ad perfectionem. Potest enim aliquis & a Vulgata recedere, & male vertere, ut tamen causa malæ versionis non sit ille a Vulgata recessus. Ita, v. g. Dan. IX, 26. in Vulgata legimus: *Post hebdomades sexaginta duas occidetur* CHRISTUS; *& non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Pro quibus habet Sebastianus Munsterus: *& nihil supererit de eo.* Ubi male vertit Munsterus; non sane ideo, quod a Vulgata recedit, quæ heic mire hallucinatur ipsa; sed quod recedit a fonte Hebræo, in quo est וְאֵין לוֹ, quæ voculæ commodissime redduntur: *& non sibi,* (quomodo etiam heic Vulgatam emendat Osiander) *non sua causa*; ut sententia emergat elegantissima, CHRISTUM videlicet passurum ac moriturum esse, non sua causa, sed nostra; adeoque locus hic geminus sit illi Isaiano: *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit*; item: *Propter prævaricationem populi mei plaga ei*; cap. LIII, 4. 8. Porro potest aliquis ad Vulgatam accedere, & tamen male vertere; quippe cum Vulgata sæpe vertat pessime: id quod ipsimet cordatiores Pontificii, etiam illi qui post Tridentinam Synodum scripsere, inficiari nequeunt. Ita Sixtus Senensis, sub finem Bibliothecæ sanctæ, *Ingenue fatemur*, ait, *in hac nostra nova editione* (de Vulgata hodierna loquitur) *nonnullas inveniri mendas, solœcismos, barbarismos, hyperbata, & multa parum accommo-*

Dan. 9, 26. obiter explicatur.

date

date versa, & minus Latine expressa, obscure & ambigue interpretata, itemque nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita, immutata, ac vitio scriptorum depravata. Ad eundem modum Guilielmus Lindanus, Episcopus Ruræmundensis, tractatu de optimo Scriptur. interpretandi genere, agnoscit, in translatione ista *non pauca incommode admodum versa*, libro I, cap. XI; *quædam minus plene, adeoque minus bene ac vere transfusa*, lib. III, cap. I: agnoscit, eandem *Interpretis, si non ignorantia, certe oscitantia, a plano sensu ac genuino deturbatam* esse, ibid. cap. II; & loca habere *a scriptoris sensu aliene translata*, cap. III. Sed & Petrus Galatinus, libro III de Arcanis Catholicæ veritatis, cap. VI, scribit: *Author nostræ editionis æquivocatione vocabulorum deceptus, multa longe aliter transtulit, quam veritas Hebraica habeat.* Adde, qui vulgatam Latinam ex Hebræo Veteris & Græco Novi Testamenti textu corrigunt, observatos Gerhardo, lib. II Confess. Cathol. part. I, art. I, cap. II, thes. VI, pag. 147. seqq. & Chamiero, Tom. I Panstratiæ, lib. XIV, cap. IX, 17. seqq.

XXI. Ad Lutheri locum quod attinet, ex tractatu, cujus inscriptio: **Daß diese Worte Christi (das ist mein Leib/etc.) noch fest stehen/** Tom. III Jen. G. f. 338. petitum, adeo is affertur inepte, ut suspicer, Bellarminum non evolvisse opus ipsum, ex quo depromptum illud testimonium, sed ab aliis citatum huc transtulisse. Nam quod Gretserus causatur, laudasse Cardinalem verba ut in versione Latina invenerit; nullatenus ipsum heic excusat: quandoquidem ita clarum est e contextu, non loqui Lutherum de in-

De loco Lutheri, quem Bell. citat.

Gretseri exceptio. col. 552.

terpretatione verborum, sed rerum; nec culpare varias Scripturæ versiones, sed dissidentes ejusdem expositiones, ut nemo sanæ mentis de hoc possit dubitare, sive Germanico idiomate librum legat, sive Latino. Ubi enim dixerat, cum olim in sensus adeo varios raperentur Scripturæ textus, ut quivis illos hæreticus, sectarius quivis, pro se laudaret Patres, obicem tantæ discordiæ posituros, Scripturis adjeciſſe Conciliorum decreta & statuta; subjungit, quandoquidem & nunc eo sit deventum, ut pro suo quisque arbitrio & commodo sacras literas pervertat ac torqueat, fore, ut tandem ad humana similiter consilia & decreta redeatur. Verba sunt: **Wo die Welt solt lenger stehen/ wird man wiederumb/ wie die alten gethan haben/ umb solch Zwitracht willen/ auch Menschliche anschläge suchen/ und abermal Gesetze und Gebot stellen/ die Leute in Eintracht des Glaubens zuerhalten. Das wird den auch gelingen/ wie es zuvor gelungen ist.** *Si mundus diutius steterit, iterum, ut fecere veteres, propter istas discordias, humana etiam consilia quærentur, & denuo leges ac decreta condentur, quibus in fidei unitate serventur homines. Quod quidem negotium æque cedet ut antea feliciter.* Ubi nulla versionum sive translationum mentio. Et quid? annon ipse Bellarminus alibi, nempe libro III de Verbo DEI, cap. I, §. *Accedat*, diserte locum hunc de interpretatione rerum accipit?

Nova exceptio Gretseri, col. 553.

XXII. Gretserus quidem heic, *Sed unde potissimum*, inquit, *variæ istæ expositiones Scripturæ, nisi ex diversis translationibus? Nunquam enim magis dissonæ explanationes exstiterunt, nisi postquam adeo diversæ versiones in lucem prodierunt.*

XXIII.

XXIII. Verum quis non videt, quam frivola sit hæc exceptio? Quæstio est, num Lutherus memorato loco in diversas Scripturæ translationes fuerit invectus. Negaverat Hunnius, & dixerat, *non loqui* ipsum *de versionibus integris integrorum Bibliorum, sed de varia interpretatione locorum Scripturæ, sive glossis, quibus hæretici Scripturas ad suum institutum detorquere soleant.* Putat Gretserus, nihilominus Luthero recte adhuc tribui, quod reprehenderit citatis verbis diversas Bibliorum translationes, siquidem culpaverit varias eorundem expositiones, quæ diversis istis versionibus originem inprimis debeant. Quid ineptius? Primo falsum, varias Scripturarum translationes potissimam esse causam dissidentium expositionum. Aliud docet Augustinus, libro II de Doctr. Christ. cap. XI, XII. Ubi enim dixerat, tot fuisse suo tempore versiones Latinas, ut numerari non potuerint; subjungit: *Quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quam impedivit, si modo legentes non sint negligentes.* Confer supra cap. IIX. Deinde esto, quod versiones variantes discordantium causa sint explanationum, an propterea idem sunt variæ versiones & discrepantes expositiones, ut, qui de his loquitur, recte dicatur loqui de illis? *refellitur.*

XXIV. Atque sic expendimus argumenta, quibus ἀυθεντίαν vulgatæ versionis stabilire satagit Bellarminus: restat, ut *aperta* illa *mendacia*, quæ Martinum Kemnitium & Joannem Calvinum suis contra Vulgatam argumentis admiscuisse idem hoc capite scribit, paucis nunc etiam consideremus.

XXV. Primum ergo Calvini mendacium esse ait *De 1. menda.*

eie Calvini objectio.

ait Bellarminus, quod dicat, *nec judicio, nec recto delectu factum esse, ut ex interpretationibus diversis una obtinuerit inter indoctos.* Etenim, ait Cardinalis, *cum, omnibus interpretationibus abolitis, hæc nostra supra mille annos in usu totius Latinæ Ecclesiæ fuerit, aut nulli fuerunt totis mille annis in Ecclesia docti, aut impudenter mentitur Calvinus. Deinde* (ita pergit) *Sophronium, Augustinum, Gregorium, Isidorum, Bedam, Anselmum, Rupertum, Bernardū, aliosq; tam multos insignes viros non existimo inter indoctos numerandos esse: & tamē isti omnes editionem nostrā aut inter cæteras, aut etiam præter cæteras laudarunt*

XXVI. Resp. Mirum vero, quod Bellarminus, dum Calvinum mendacii reum agit, ipse sibi a mendacio non temperet. Ait nempe, omnibus interpretationibus abolitis, Vulgatam supra mille annos in usu totius Latinæ Ecclesiæ fuisse. Id quod longe falsissimum esse, supra num. III evidenter ostensum. Deinde Calvinus, quando unam Vulgatam tandem obtinuisse dicit inter indoctos, non intelligit indoctos simpliciter, sed imperitos linguarum. Ita nimirum ejus habent verba, in Antidoto Concilii Tridentini, ad sess. IV: *Factum est, nescio quibus modis, certe nec judicio, nec recto delectu, ut ex interpretationibus diversis una obtinuerit inter indoctos, saltem qui, nulla linguarum notitia instructi, qualecunque ignorantiæ suæ subsidium quærebant.* An vero negare sustinebit Bellarminus, homines illorum temporum, quando ex interpretationibus diversis una obtinuit Vulgata, linguarum fuisse rudes? De Hebræa certè & Græca lingua nullum potest esse dubium, puta quarum ignorantiam paulo antea, Vulgatæ *αὐθεντίας* demonstraturus, prætexebat Cardinalis ipsemet.

met. Sed de Latina quoque res in aprico. Utut enim hanc non penitus ignoraverint, stylo tamen utuntur deformi adeo & corrupto, ut quemvis alium potius quam nativum sermonem Latinum audire te existimes, eorum scripta si legas. Sophronium, Augustinum, Gregorium, huc non pertinere, ex se liquet: cum de iis tantum loquatur Calvinus, inter quos una obtinuit Vulgata, in horum autem numerum non veniant, ipsomet fatente Bellarmino, jamjam memorati Patres. Sed & Isidorus, Beda, Anselmus, Rupertus, Bernardus, aliique multi insignes viri, qui editionem vulgatam aut inter ceteras, aut etiam præter cæteras laudarunt, cur opponuntur Calvino? An forte idem sunt, versionem aliquam a Doctoribus laudari, &, eam unam sive solam inter illos obtinere?

XXVII. Secundum Calvini mendacium, censente Bellarmino, illud est, quod scribit, *decrevisse Tridentinos Patres, minime esse audiendos eos, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falsum coarguunt. Hoc ideo mendacium voco*, ait Cardinalis, *quod nihil ejusmodi in decreto Concilii legatur. Nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt; sed solum ex tot Latinis versionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam ceteris anteponerent, & (quod Ecclesiæ gravitatem & constantiam decebat) antiquam novis, probatam longo usu recentibus adhuc, ac, ut sic loquar, crudis, denique, unam multis inter se dissidentibus & pugnantibus prætulerunt.* Quibus Bellarminianis gemina plane habent Alph. Salmeron lib. 1, proleg. III in Evangelia, Simeon de Muis, præfat. in Psalmos, Philippus Gamachæus ad 1 Thomæ, quæst. 1. *De mendacio Calvini 2,*

XXIIX. Respondet autem Hunnius noster: *Quamvis Patres Tridentini Concilii fontium non faciant mentionem explicitam, tamen, dum versionem Latinam faciunt authenticam, & omni ex parte sacrosanctam haberi jubent, sponte jam sequitur id, quod Calvinus eis tribuit. Nam si maximè versio Latina vulgata ab Hebræis fontibus dissentiat, (sicut facit frequentissime) tamen, si Latina jubetur omni ex parte haberi authentica, jam consequens est, audiendos eos non esse, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, & certa veritate (Hebraica) translationis Latinæ falsitatem coarguunt.*

Gretseri exceptio. col. 553.

XXIX. Ad quæ Gretserus, *Negamus*, ait, *hoc sequi. Nam, si quid purum adferatur ex fontibus, id nunquam dissentiet à latina editione vulgatæ; si autem dissentiat, jam hoc ipso purum non erit. Impudenter igitur mentitur Calvinus, Patres Tridentinæ Synodi statuisse, minimè audiendos esse alios, etiamsi ex fonte ipso purum liquorem adferant. Si purus sit, obviis ulnis acceptabitur, quia non divertet ab ea editione, quam Tridentini Patres authenticam esse declararunt. Si autem divertat, jam liquor purus non erit.* Quæ eo unice tendunt sane, ut translatio norma constituatur textus originarii. quod ipsi rerum indoli totique antiquitati adversatur: quæ cum Hieronymo, epist. XXIIX, ad Lucinium, statuit, *ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda: ità novorum Græci sermonis NORMAM desiderare;* & cum Augustino, libr. XV de Civ. Dei cap. XIII, ut, *quum diversum aliquid in utrisq; codicibus invenitur, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.* Vide supra cap. II, 2.

XXX.

XXX. Notetur porro, quod ait heic Gretserus, si purus sit Scripturarum fons, obviis ulnis acceptatum iri, id ex animi sententia ipsum haud loqui, ut cujus diserta verba sunt, supra cap. II: *Licet fons ille numquam lutulentus, sed semper & ubique limpidus flueret, adhuc tamen, omnia ad Hebraicum textum jam post tot secula corrigenda & exigenda esse, non persuaderet.* Quibus si jungas illa Ludovici de Tena, ex Professore Complutensi Episcopi Dertusiensis, Isagog. ad Scriptur. lib. I, diff. VI, sect. III: *Licet essent nunc incorrupti codices Græci & Ebræi, tamen, cum eorum voces habeant tam varias significationes, nec Ecclesia hactenus definierit, quæ earum sint retinendæ, bene tamen in Vulgata; hinc est, istam esse priori loco venerandam, ad eamque, ut Lydium lapidem, seu, ut clarius loquar, tanquam ad authenticam regulam fidei, semper esse recurrendum, etiam in levibus:* hæc, inquam, & similia, si ipsius Gretseri ingenuæ, quam supra dabamus, confessioni jungas, liquido patet, vanum esse illud de fontium puritate ac impuritate effugium, & Pontificios, decreto Tridentino innixos, simpliciter Vulgatam suam textui præferre originali; indeque frustra Bellarminum mendacii postulare Calvinum, quod tale quid Tridentinis tribuat; frustra quoque eundem dicere, Patres illos *solum ex tot Latinis versionibus unam delegisse, quam cæteris anteponerent.* Quasi nempe Vulgatam nude tantum antepositissent versionibus Latinis ceteris, (quod etiam sine collato αὐθεντίας axiomate fieri potuisset) & non ipsis quoque eam prætulissent fontibus, tamquam *priori loco venerandam*, atq; ut *authenticam regulam fidei, etiam in levibus*; ceu loquitur de Tena.

col. 447. *Vulgata Latina simpliciter fontibus præfertur a Pontificiis.*

XXXI.

XXXI. Et si mendacii reus est, qui dicit, Concilium Tridentinum vulgatam Latinam prætulisse fontibus, mendax quoque erit ille, ipsomet Pontifice Clemente IIX judice, *Doctor Doctorum*, Gregorius de Valentia, ut qui in epistola ad Nicol. Serarium, XVI Octobr. anni XCVI data, diserte scribit, *authoritate & definitione Concilii Tridentini vulgatam editionem Latinam, OMNIBUS EDITIONIBUS, CUJUSCUNQUE SINT IDIOMATIS* (ergo sane editionibus etiam Hebraicis & Græcis, atque sic ipsis fontibus) *fuisse prælatam.* Quibus adde quæ habet Michael le Jay, præfatus in opus Biblicum Parisiense, de quo infra: *Pro certo & indubitato apud nos* (Pontificios) *esse debet, Vulgatam editionem, quæ communi Catholicæ ecclesiæ lingua circumfertur, verum esse ac genuinum S. Scripturæ fontem: hanc consulendam ubique; inde fidei dogmata repetenda.*

Vid. Ad. Conzen. 5. Pol. 1.

De 3. Calvini mendacio.

XXXII. Tertium Calvino imputatum mendacium est, quod scripserit, *adeo nullam esse in vulgata editione integram paginam, ut vix tres sint continui versus non insigni aliquo errore fœdati.* Ad quod Bellarminus, *Si ita est*, inquit, *cur ibidem Calvinus, cum suscepisset notandos locos in Psalmis perperam versos, nihil omnino in primi Psalmi translatione notavit? Nin habet fortasse primus Psalmus tres continuos versus?*

XXXIII. Verum non loqui heic Calvinum exquisite, sed ὑπερβολικῶς, per se patet. Et nulla est consequentia: In primo Psalmo vulgatæ editionis nihil omnino notavit Calvinus; igitur apertum est mendacium, quod idem ait, in editione vulgata *vix* esse tres continuos versus non insigni aliquo errore fœdatos. Hocenim si procederet, aperte etiam mendax fuerit Juvenalis, scribens sat. XIII, 26. *Ra-*

Rari quippe boni; numero vix sunt totidem, quot Thebarum porta, vel divitis ostia Nili.

Atque tantum de mendaciis, quæ Calvino improperat Bellarminus.

De 1. mendacio Chemnitio objecto.

XXXIV. Quod ad illa nunc porro attinet, quæ Chemnitio nostro idem objicit, eorum primum esse ait, quod dicat, *Concilium Tridentinum decrevisse, ut pro iis, quæ Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit, ea recipiamus, quæ à librariis mutata, mutilata, vel addita sunt. Hoc esse mendacium manifestum,* inquit, *nemo non intelligit. Quis enim, non dico Catholicus, sed sanæ mentis homo, unquam diceret, librariorum vitia suscipienda pro Spiritus sancti verbis? Deinde, nonne Concilium eodem loco jubet, ut sacra Biblia, quam emendatissime fieri poterit, imprimantur?*

De emendatione Vulgatæ Sixtinæ & Clementinæ.

XXXV. Resp. Ita est: decrevit hoc Tridentina Synodus. Utque decreto illi fieret satis, Sixtus V, Romanus Pontifex, Vulgatam hanc non tantum per viros aliquot eruditos castigari ac emendari jussit, sed &, (ut in bulla editioni suæ præfixa testatur) quo res magis incorrupte perficeretur, sua ipse manu correxit si qua prælo vitia obrepserant: indeque omnes Bibliorum codices secundum illud suum exemplar in posterum imprimendos esse sanxit, ne minima quidem particula mutata, addita, vel detracta. Verum elapso vix biennio post Sixti mortem Clemens VIII novam editionem adornavit, usque adeo a Sixtina diversam, ut Thomas Jamesius in peculiari libro de hoc argumento sub titulo *Belli Papalis* emisso, duo millia circiter notarit loca, quibus posterior hæc a priori discrepat. Tametsi autem, plurima, quæ in

Sixtina editione fuerant, errata, in Clementina sublata fuisse, recteque emendata, negare non licet; interim neque hanc talem esse, quæ dici possit omnibus numeris absoluta, & quædam in ea, quæ mutanda videbantur, consulto relicta esse immutata, præfatio fatetur eidem præmissa. Cujus auctor quod sit Bellarminus, ex Correctoribus Clementinis unus, annotat in ipsius vita Jac. Fuligattus, lib. II, cap. IX. Vide etiam epistolam ad Jacobum Blasæum, quam alteri suo de variis Latinæ vulgatæ lectionibus libello præmisit Fr. Lucas Brugensis. Quin hoc ipso, quem nunc examinamus, libro II de Verbo Dei, supra cap. II, ait noster, *Ecclesiam pati* in editione vulgata *nonnullos errores Typographorum*, quod longo tempore ibi fuerint, ideoque sine turbatione & scandalo populi non possint auferri. Quibus plane gemina habet, sub finem libri IIX Bibliothecæ sanctæ, Sixtus Senensis, & Commentar. in IV Regg. XIV, 18. Gaspar Sanctius. Unde manifesto patet, quidquid etiam decreverit Synodus Tridentina, in hunc usque diem, ipsismet fatentibus Pontificiis, versionem vulgatam haud fuisse ita emendate editam, ut non relicta in ea sint, etiam de industria, quædam typographorum menda. Sed & hoc inde liquet, non mentiri, quisquis Pontificiæ tribuit Ecclesiæ, quod pro iis, quæ Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit, illa proponat recipienda quæ a librariis mutata sunt.

XXXVI. Ecce enim argumentum evidens:

Quæ Ecclesia sine ulla exceptione ut authenticam recipi jubet editionem Bibliorum, in qua data opera patitur errores typographorum, ea pro his, quæ

quæ Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit, illa proponit recipienda, quæ a librariis & typographis mutata sunt.

Jam vero Ecclesia Pontificia sine ulla exceptione ut authenticam recipi jubet editionem Bibliorum, in qua data opera patitur errores typographorum, E.

Major plana. Etenim qui sine ulla exceptione ut authenticam recipere jubet Bibliorum editionem, in qua habentur, & quidem consulto, tamquam genuina Scripturæ sacræ pars, errores typographorum, is ipsos illos typographorum errores jubet recipere: & qui istos jubet recipere errores typographorum, is utique recipere jubet pro iis, sive loco eorum, quæ Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit. Quid manifestius? Porro & Minor certissimæ est veritatis. Jubet nimirum Tridentina Synodus ita Vulgatam habere pro authentica, *ut nemo illam rejicere QUOVIS PRÆTEXTU audeat vel præsumat.* Et ne quis causaretur, laborare eam mendis librariorum, sancitur mox eodem loco, *ut quam emendatissime imprimatur.* Cui decreto cum satisfactum esse editione Clementina testetur, quæ eidem præmissa, Bellarmini præfatio, hanc editionem talem esse oportet, quam, si suum debeat constare robur Concilio Tridentino, nemo rejicere possit ullo prætextu, adeoque nec illo, quasi librariorum typographorumque habeat errores. Quod tamen hujusmodi erroribus laboret, eosdemque consulto & data opera Ecclesia Romana toleret, rursum ex ipsiusmet Bellarmini confessione constat. Diserta namque ejus sunt verba; in præfatione quidem editionis Clementi-

næ: *In pervulgata lectione, ſicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta ſunt*; in epiſtola autem quam citat Lucas Burg. præfatione ad Blaſæum: *Scias velim, Biblia vulgata non eſſe a nobis*, qui, juſſu Clementis IIX, correctioni præfuimus, *accuratiſſime caſtigata: multa enim de induſtria, juſtis de cauſis, pertranſivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Atque hæc capienda eſſe, non de verſione in ſe, ſed de mendis librariorum depravatorumque erroribus, docent, quæ mox, num. XXXVI, ſumus producturi. Confer quæ habet huc facientia ex Jeſuitarum ſocietate Joannes Mariana, libro pro editione vulgata cap. XXII, & Johannes Morinus, Congregat. Oratorii Pariſ. Presbyter, in epiſtola ad Card. Barberinum, quæ inter Diſſertationes Epiſtolicas de Eccleſiæ Or. antiquitatibus eſt LXXXIII.

De mendacio Chemnitio tributo.

XXXVII. Secundum, quod Chemnitio Bellarminus imputat, mendacium eſt: *In Indice librorum prohibitorum à Paulo IV. edito, damnari omnes editiones Bibliorum, etiam veteris interpretis, in quibus vel manifeſtiſſima quæda m vulgatæ editionis errata correcta ſunt. Hoc etiam craſſiſſimum mendacium eſt*, ait Cardinalis. *Non enim damnantur in eo Indice niſi editiones quædam ab hæreticis vel ſuſpectis impreſſoribus factæ, & omnes aliæ permittuntur.*

XXXIIX. Reſp. Dupliciter dici poteſt editio vulgata corrigi, (1) ut menda tantum, quæ ex librariorum & typographorum incuria in textum irrepſere, tollantur, ipſa verſione antiqua in ſeſe relicta per omnia immutata; (2) ut ipſa translatio, ſicubi a textu originali enormi-

normiter deflectat, emendetur, ac, ubi & quousq; impegerit vetus interpres, indicetur. De posteriore corrigendi ratione haud dubie loquitur Chemnitius. Et ita certissimum est, non a Paulo IV tantum, sed omnibus etiam aliis Pontificibus, eorumque assectis, damnari editiones quotquot hoc pacto vulgatæ Latinæ textum corrigunt. Neque enim hujusmodi emendationem, sed illam tantum, qua librariorum errores similesque maculæ auferuntur, Tridentina Synodus permittit. Unde supra memorata editionis Clementinæ præfatio protestatur, *sacræ Congregationi Amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc* Vulgatam castigandi *opus à sede Apostolica delectis, propositum non fuisse, antiquum Interpretem* ULLA EX PARTE *corrigere vel emendare; sed ipsam veterem ac vulgatam editionem Latinam, à mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus, repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quoad fieri potuerit, restituere, eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur, juxta Concilii œcumenici decretum, pro viribus operam dare.*

XXXIX. Tertium Chemnitii mendacium esse ait Bellarminus, *Concilium Tridentinum sess. 21. c. 2. ut probet, Ecclesiam habere auctoritatem dispensandi in Sacramentorum substantialibus contra institutionem Christi, abuti æquivocatione veteris versionis, ubi 1. Corinth. 4. ministri Christi vocantur dispensatores ministeriorum Christi.* Atque heic exclamat Cardinalis: *Bone Deus! quanta est hominis hæretici impudentia, ut crassissima mendacia pro veritate obtrudere non vereatur.* Nam (ita pergit) *Concilium ibidem diserte testatur,* *De 3. quod Chemnitio objicitur mendacio.*

statur, Ecclesiam non posse mutare substantialia Sacramentorum, sed tantum statuere modum & ordinem, quo Sacramenta administrari debeant. Deinde Concilium non abutitur voce dispensatoris, ut Kemnitius somniat: non enim dicit, Ecclesiam posse dispensare in Sacramentis, quomodo dispensat in votis, & legibus; sed posse dispensare Sacramenta, id est, administrare, porrigere, tradere fidelibus, & instar fidelis ac prudentis œconomi, in dispensandis bonis domini sui, & familia alenda, certam rationem & modum posse præscribere, modo, nihil fiat contra leges & mandata Principis.

XL. Resp. Duo heic Chemnitio objicit Bellarminus. Unum est, quasi Patribus Tridentinæ Synodi tribuat, quod statuerint, Ecclesiam posse mutare ea, quæ, ex ipsorum mente, Sacramentis sint substantialia: alterum, quod eosdem abuti dicat voce *dispensationis*, quæ habetur 1 Cor. IV, 1. Verum quod ad prius, quando Concilium Tridentinum id agere scribit Chemnitius, ut probet, Ecclesiam habere potestatem dispensandi in Sacramentorum substantialibus, nihil aliud intendit, quam, Tridentinos probare velle, Ecclesiam potestatem habere dispensandi in iis, quæ (licet non ex ipsorum opinione, tamen) secundum rei veritatem ad Sacramentorum substantiam pertinent; v. g. quod possit sancire communionem sub una specie, cum tamen Christus instituerit duas. Quantum ad posterius, non profecto id agunt citato loco Patres, ut decernant, & ex Apostolo probent, Ecclesiam posse Sacramenta dispensare, hoc est, administrare, porrigere, tradere. Quorsum enim & contra quos tale condidisset decretum? quidque heic probatione

batione opus erat? Sed declarant, Ecclesiam posse *in sacramentorum dispensatione*, id est, administratione (heic enim tali significatu *dispensationis* vocabulo illos uti, largimur) *ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorũ veneration*i, *pro rerũ, temporũ, & locorũ varietate, magis expedire judicet*. Utq; hoc probent, ad Pauli testimonium provocant, dicentes: *Id Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ubi si dispensatorem esse mysteriorum Dei, seu dispensare mysteria Dei, ex mente & sententia Tridentinorum idem est quod illa administrare, probatio ipsorum erit hæc: Ecclesiæ est, docente Apostolo, Sacramenta administrare & porrigere; ergo eadem in administratione hac pro ratione circumstantiarum aliquid mutare potest. Nugæ! Quidquid ergo dicat Bellarminus, certum est, Synodum ludere homonymia vocabuli *dispensationis*.

XLI. Postremum Chemnitii mendacium esse ait Bellarminus, *Concilium Tridentinum ideo voluisse vulgatam editionem esse authenticam, quia tota transformata est ad dogmata Pontificia.* *Quod mendacium*, inquit, *non solum est hominis impudentis, sed etiam imprudentis; siquidem contra suum auctorem maxime pugnat. Si enim Pontificia dogmata habentur in editione vulgata, sequitur, Pontificia dogmata esse antiquissima, & ipsorum dogmata contraria plane esse recentia: nam editionem vulgatam etiam ipsi fatentur esse vetustissimam. Præterea, si editio vulgata facta esset post Lutheri tempora, esset aliqua ratio suspicandi, eam esse accommodatam de industria ad Pontificia dogmata. At facta est ante*

De 4. mendacio Chemnitio afficto.

mille-

mille annos; & omnia, quæ illi reprehendunt in vulgata editione, nos ostendemus sic esse citata ab antiquissimis Patribus, & semper sic fuisse in vulgata editione.

XLII. Resp. Viderit vero rursum Bellarminus, ne mendacii reus fiat ipsemet, dum id alteri impingere satagit. Ubi enim dicit Chemnitius, TOTAM versionem vulgatam transformatam esse ad dogmata Pontificia? Verba ejus sunt: *Nonnulla est causa, quare tam acriter & pertinaciter* Papistæ *pro erratis vulgatæ editionis dimicent. In* MULTIS *enim* LOCIS *tranformata est ad dogmata Pontificia.* Nec est, ut excipiat Gretserus, *licet Kemnitius non dixerit, totam simpliciter Scripturam vulgatæ versionis ad dogmata Pontificia esse concinnatam; quandoquidem non habuerit omnia dogmata, quæ in vulgata editione traduntur, pro Pontificiis: non esse tamen dubium, quin totam censuerit conformatam ad illa dogmata confirmanda, quæ nos inter & illos* (inter Protestantes ac Pontificios) *controversa sunt.* Falsissimum namque est, quod Chemnitius censuerit, totam editionem vulgatam esse conformatam ad illa dogmata confirmanda quæ Protestantes inter & Pontificios controversa sunt; cum ipsemet, in præcipuis etiam quæ cum Papistis nobis intercedunt controversiis, Scripturæ loca, quibus nostram sententiam contra eosdem firmat, plerumque ita recitet ut in vulgata Latina habentur; quod vel ex ipso Tridentini Concilii Examine patet. Sed neque illud ejusdem Gretseri procedit effugium, Bellarmini locutionem συνεκδοχικῶς accipiendam; cum nihil usitatius, quam dicere: *totus es niger*, si parte aliqua niger sis. Licet enim talis loquendi ratio inusitata non sit, inusitatissimum tamen

Gretseri exceptiones refelluntur, col. 559.

meenſt ſinceri pectoris ſcriptoribus, verba auctorum ita citare, ut propriæ illorum locutiones transformentur in improprias.

XLIII. Sed videamus cetera Bellarmini. Ait, aſſertionem Chemnitii contra ſuum auctorem maxime pugnare. *Si enim*, inquit, *Pontificia dogmata habentur in editione vulgata, ſequitur, Pontificia dogmata eſſe antiquiſſima, & ipſorum* (Proteſtantium) *dogmata contraria plane eſſe recentia: nam editionem vulgatam etiam ipſi fatentur eſſe vetuſtiſſimam.*

XLIV. Ubi initio non eſt contra Chemnitium, vel nos, quod quædam Pontificiorum dogmata ſint antiquisſima; ut qui haud inviti largimur, conſpirare Papiſtas in erroribus non paucis cum vetuſtiſſimis etiam hæreticis. Vide inter alios id demonſtrantem Andr. Rivetum in Catholici ſui Orthodoxi proœmio, quæſtione 1. Deinde haud ſequitur, ſi Pontificiorum dogmata nonnulla ſunt antiquiſſima, quæ iis oppoſita, dogmata Proteſtantium, plane eſſe recentia. Nam & v. g. pſeudapoſtolorum illud dogma, quod circumciſio & Leviticarum ceremoniarum obſervatio converſis gentibus ad ſalutem neceſſaria, Act. xv, 1, 6. antiquiſſimum eſt, neque tamen idcirco Apoſtolorum dogma contrarium est valde recens.

XLV. Si obvertas: Bellarminum id velle, quod dogmata Pontificia, cum in Vulgata editione habeantur, ſint antiquisſima Eccleſiæ dogmata; reſpondemus, non ſtatim id habendum eſſe pro dogmate Eccleſiæ, quod inſinuare videtur prava aliqua Scripturæ translatio. Nam &, v. c. in Græca τῶν LXX verſione, Proverb. IIX, 22. Sapientia hunc in modum loqui in-

troducitur: κύριος ἔκτισέμε ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ. in quibus verbis potissimum suæ causæ robur olim collocabant Ariani, filium DEI creaturam esse docentes. Nec poterat sane pro ipsorum sententia plausibilius quid dici. Absit autem, ut ideo antiquissimum Ecclesiæ dogma censeri debeat, filium DEI (sensu Ariano) esse creaturam. Quin potius id egerunt veteres Ecclesiæ Doctores, Hebraicæ linguæ (cujus alioquin subsidio facile nodum hunc solvere potuissent) non satis gnari, ut ostenderent, non posse hujus loci eam esse sententiam, quæ filio DEI æternitatem, quam tot ipsi clarissima Scripturæ testimonia alias tribuunt, negatum eat, sed aliam ejus interpretationem constanti sacri codicis doctrinæ analogam esse quærendam: quemadmodum inprimis ex Athanasii scriptis notum.

XLVI. Ulterius ita noster Cardinalis: *Si editio vulgata esset facta post Lutheri tempora, esset aliqua ratio suspicandi, eam esse accommodatam de industria ad Pontificia dogmata. At facta est ante mille annos; & omnia, quæ illi (*Protestantes*) reprehendunt in Vulgata editione, nos ostendemus sic esse citata ab antiquissimis Patribus, & semper sic fuisse in vulgata editione.*

XLVII. Ubi Chemnitio tribuitur, ac si statueret, esse vulgatam editionem de industria accommodatam ad Pontificia dogmata: quod tamen ille non dicit; ut qui, ceu e contextu patet, hoc tantummodo vult, ita multis in locis transformatum sive translatum esse textum sacrum a Latinæ veteris conditore, ut specioſe satis dogmata sua nonnulla inde stabilire possint Pontificii: nequaquam addens, quod hujusmodi errorum fultu-

ram.

ram intenderit primus versionis auctor. Et tantũ etiam de mendaciis Chemnitio affictis.

XLIIX. Tandem, concluſurus præſens caput Bellarminus, *Adverſarii*, inquit, *quod ipſi faciunt, idem etiam ab aliis fieri credunt. & quia Martinus Lutherus Biblia peſſima fide convertit, ut patet ex Johanne Cochlæo, in vita & actis Lutheri, anni 1522. ubi legimus, in nova translatione Teſtamenti Novi per Lutherum facta, fuiſſe notata ad mille loca immutata, id eſt, addita, vel detracta, vel depravata: idcirco putant, etiam Catholicos hoc facere. Sed certè falluntur. Fides enim Catholica non eget præſidiis mendaciorum, ut illorum figmenta.* *Calumnia Bell. de Verſione Lutheri Germ.*

XLIX. Ubi, quod de Lutheri verſione affert Cardinalis, quoniam nudo mendaciſſimi Cochlæi teſtimonio id firmat, nullam reſponſionem meretur. Sane nec ipſe Emſerus, qui Lutheranæ ſe translationi ex profeſſo objecit, eo impudentiæ eſt progreſſus, ut mille ejusmodi loca ſe notaſſe auſus ſit profiteri, ſed vel dimidium ſufficere heic poſſe ad denigrandum Lutherum cenſuit; (ni forte jactatis illis depravationibus annumerare velis loca, ubi, ceu quidem Emſerianæ verſionis editori viſum, verbis minus verecundis in transferendo uſus Lutherus; ut quando, e. g. Matth. 1, 23. Græca: ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, reddit: Eine Jungfraw wird ſchwanger ſeyn. pro quo in Emſeriana editione eſt: eine Jungfraw wird im Leib haben; pudica ſcil. emendatione.) Septem enim dumtaxat & ſexcenta numerat; quæ tamen ipſa non Lutheri malitiam, ſed Emſeri manifeſto teſtantur, aut imperitiam, aut cavillandi pruritum. Simulac nempe omittitur aliquid in illa verſione quod extat in vulgata Latina, aut aliquid ibi habetur quod *conf. c. 26. n. 18.*

heic prætermittitur, vel alias translatio Latino ex asse non respondet, malæ fidei postulatur Lutherus, (vide infra cap. XIV, 26. seqq.) quasi videlicet Latinum potius textum, quam ipsum fontem Græcum, versione sua exprimere is voluisset! Sed de his alibi agitur.

Pontificii quomodo aliorum scripta adulterent.

L. Quod porro Bellarminus ait, fidem Catholicam, id est, Papisticam, non egere præsidiis mendaciorum, indeque suspicionem, ac si scripta dogmatibus ipsorum non satis conformia, immutent ac depravent, a Pontificiis suis amoliri satagit, nimis frivolum est. Ecquis enim ignorat, quanta sit eorum, qui Romano Pontifici adhærent, in castrandis corrumpendisque veterum monumentis impudentia, quanta temeritas? Audi, quid hac de re narret, in præfatione quam Indici expurgatorio præfixit, Fr. Junius. *Rem meis oculis visam*, ait, *ad exemplum afferam. Ante annos viginti septem, quum Lugduni agerem, (egi autem M. D. LIX. & sequente,) correctore quodam typographico usus sum familiariter, cui Ludovico Saurio fuit nomen. Habitabat ille non procul à Mercuriali vico, in ædibus conjunctis trium columbarum signo. Cum ad salutandum hominem veniissem, casu, vel potius singula Dei providentia, accidit, ut versantem eum offenderem in recognoscendis D. Ambrosii operibus, quæ tum Frelonius excudebat. Variis autem sermonibus ultrò citroque habitis, quum me avocamento esse ab opere nolle ostenderem, ille redorsus lectionem unius paginæ, videsne, inquit, hanc formam Ambrosianæ editionis nostræ, quam sit elegans, accurata, & in speciem omnibus anteponenda aliis quæ adhuc in lucem prodierunt? Postea contuenti opus, & probanti elegantiam ejus, dixit: ego vero, si quod exem-*

exemplum Ambrosiani operis mihi emendum esset, quodvis exemplum aliud potius, quam hoc, quod vides, compararem. Scisciratus sum huius dicti causam. tum ille de forulis sub mensa sua latentibus aliquot paginas promens, (erant autem paginæ, ut loquuntur Græci, κεχιωμένα, sive cancellatæ, aliæ ex parte, & aliæ universæ) hæc est, inquit, prima forma paginarum, quas his paucis diebus ad exemplum veteris & certi exemplaris optima fide expressimus; Franciscani autem duo pro auctoritate has omnes paginas dispunxerunt, ut vides, & illas substitui in locum priorum curaverunt, præter omnem nostrorum librorum fidem.

LI. Gemina iis sunt, quæ in dedicatione partis Theologiæ suæ Zachariane habet Dorscheus noster; dum videlicet Serenissimum Wurtembergensium Ducem Eberhardum sic inter alia affatur: *Placuit Tuæ Serenitati spectare Bibliothecam* Argentoratensem. *Ego Bibliothecarius, quæ visu digna & oculis Principibus observanda dijudicavi, humiliter Tuæ Serenitati obtuli. Inter cætera è Bibliotheca Patrum codices aliquot lustrandos dedi, qui ex audacissimis Jesuitarum manibus non sine litura & sectione evaserant. Tertullianus cumprimis & Hieronymus, ambo Parisinæ editionis, notas incredibilis temeritatis Tuæ Serenitatis oculis obtulerunt. Vidisti, Celsissime Princeps, vocabula, lineas integras, periodos integras, columnas totas, aut excisas, aut ita inductas litura, ut nullius oculi acrimonia penetrare possit, aut etiam planè aliena charta oppicatas & agglutinatas. Et quidem egregii facinoris consilium Hieronymo his verbis inscriptum est: a Patre Johanne Cremerio approbatus Ann. 1580. Liber Societatis Jesu. Treviris.*

LII. Expende porro quæ in sua, quam ipsimet Bellarmino opposuit, defensione, anno hujus seculi VI, Venetiis, apud Robertum Mejettum, cum licentia superiorum edita, p. 331. habet Johannes Marsilius Venetus, homo Pontificius. *Notum est omnibus*, scribit ille, *e Conciliorum, Canonum, aliorumve Doctorum libris, ex ipsis etiam Breviariis & Missalibus, ablata esse & adhuc aufferri ea quæ Principibus Laicis favent; ut periculum fiat, num sensim & progressu temporis stabiliri possit opinio de illimitata potestate Pontificis in temporalibus, adeo ut, qui libros anno 1530. & 1550. editos cum hodiernis conferet, sive Concilia, sive alia describant, vindemiam manifeste deprehendat. Unde mirum non est, nos post vindemiam paucos aliquot racemos in Serenissimi nostri Principis defensionem invenisse. Hæc est ratio, qua successu temporis fides scripturis omnibus derogabitur, & Ecclesia DEI evertetur. Quod per occasionem mihi a Domino Cardinali notam dictum sit, & charitatis gratia: tum quod inprimis optem, ne amplius hoc modo scripturæ depraventur. Quod itidem cum omni humilitate & reverentia dictum sit.*

LIII. Jungantur his Widdringtoni isthæc, Apolog. pro jure Principium §. 450. *Tam ipse Pontifex, quam locorum Ordinarii, atque hæreticæ pravitatis Inquisitores, satis sunt soliciti, ne libri aliqui, qui potestati Pontificiæ ullo modo derogare videntur, in publicum prodeant, &, si prodierint, vel omnino supprimantur, vel a nemine absq. facultate speciali, eaque in scriptis habita, perlegantur, donec expurgati fuerint. Atque ita difficillimum est, hisce præsertim temporibus, aut in libris Catholicorum clausulam ullam reperire, quæ temporalem Pontificis potesta-*

testatem in controversiam vocandi vel tantillam speciem habeat, aut certo cognoscere, quid librorum auctores circa eiusmodi potestatem senserint: sed potius, quam opinionem librorum censores secuti fuerint; cum illi non semper propriis, sed istorum verbis loqui, suamque sententiam proferre, quamvis inviti, sæpissime compellantur.

LIV. Hæc, & similia (quæ apud Jacobum Kimedontium lib. II de Script. auctor. cap. VI, Henr. Boxhornium, Theologum Lovaniensem, Harmon. Eucharist. lib. III, aliosque legi possunt) consideranti judicare in proclivi est, qua fronte jactet Bellarminus, fidem suam Catholicam, seu Romanam hodiernam, non egere præsidiis mendaciorum, neque Pontificios aliorum scripta immutare, id est, iis addere aliquid vel detrahere.

CAPUT XI.

DE ROBORE INVICTO ARGUMENTORUM, QUIBUS VULGATÆ LATINÆ AUCTORITATEM AUTHENTICAM IMPUGNANT PROTESTANTES.

I.

REfutaturus argumenta Bellarminus, quibus vulgatæ Latinæ auctoritas impugnatur, ad tria illa revocat. Primum esse ait, quod Hieronymus multa aliter vertat quam Vulgata habeat, & in ea multa reprehendat. Cui cum jam supra a se responsum putet capite IIX, nos quoque ad illa, quæ ibi hanc in rem a nobis dicta sunt, lectorem remittimus. *Bell. responsio ad arg. nostrum I.*

II. Ar-

Ejusdem responsio ad arg. nostrum 2.

II. Argumentum secundum ita proponit: *Magis credendum est esse verbum DEI quod habetur in fontibus Hebraicorum & Græcorum codicum, quam quod habetur in rivulis versionum: nam Hebræi & Græci codices Prophetarum & Apostolorum sunt, qui errare non poterant. Nam aliud esse Interpretem, aliud Prophetam, docet Hieronymus præfatione in Pentateuchum. Et idem Hieronymus passim reprehendit veterem Interpretem in suis commentariis, & lib. 5. contra Jovinianum. B. Augustinus autem non solum in genere dicit, Interpretes posse errare, lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 12. & epist. 19. & 59. sed etiam epist. 8. ad Hieronymum asserit, Hieronymum in sua interpretatione errare potuisse.*

III. Respondet vero: *negari non posse, quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum, quando constat, fontes non esse turbatos: nunc autem, fontes multis in locis turbidos fluere, jam ante,* inquit, *ostendimus. Et certè* (ita pergit) *vix dubitari potest, quin, sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinenda, quàm Græca, ita etiam vigilantior fuerit in suis codicibus à corruptione defendendis. Quod enim olim Hieronymus scripsit ad Damasum in epist. de nomine* hypostasis, *nunc maxime habet locum, videlicet, profligato à Græcis patrimonio, apud Latinos tantùm incorruptam Patrum hæreditatem servari. Ad illud autem,* ait amplius, *quod objiciebatur, Interpretes interdum labi potuisse, non desunt qui respondeant, veterem interpretem Novi Testamenti, & etiam B. Hieronymum, interpretem Testamenti veteris, peculiari Spiritus sancti lumine illustratos, errare non potuisse. Sed non est opus eò confugere. Admittimus enim, Interpretem non esse Prophe-*

phetam, & errare potuisse; tamen dicimus, eum non errasse in illa versione, quam Ecclesia approbavit. Nam Vulgata editio non est unius auctoris; sed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam interprete innominato: stultum autem videtur, dicere, Theodotionem hæreticum non petuisse errare, & etiam Hieronymum nusquam errasse, cum ipse in c. 19. Isaiæ dicat se errasse, & Ecclesia correctionem ejus receperit. Non igitur auctores illos canonizavit Ecclesia, sed tantùm hanc versionem approbavit: nec ita tamen approbavit, ut asseruerit, nullos in ea librariorum errores reperiri; sed certos nos reddere voluit, in iis præsertim quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata. Ita, inquam, Bellarminus.

Examen.

IV. Ubi quod ait, fontes non posse anteponi rivulis versionum, cum multis in locis fluant turbidi, inane est effugium. Etenim primo, falsum esse, quod fontes fluant turbidi, supra capp. II & VII patuit. Deinde Bellarminus ipse supra, capite II, disputans de corruptione textus Hebræi, non nisi leves quosdam errores agnoscit, & qui, illius judicio, *non tanti momenti sunt, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritas desideretur. Plerumque enim,* ait, *tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quæ sensum aut parum, aut nihil mutant.* Quomodo etiam de N. T. textu Græco sentit capite VII. Inde jam argumentor: Si fons Hebræus Veteris & Græcus Novi Testamenti ita est purus, ut ratione eorum, quæ ad fidem & mores pertinent, non sit turbatus, nec cetera errores habeat sensum.

Bell. ex seipso refellitur.

mutantes & veritati officientes, summo jure anteponitur rivulo vulgatæ Latinæ. Atqui prius verum est, ipsomet agnoscente Bellarmino; ergo quoque posterius. Consequentia probatur. Etenim si textus Hebræus & Græcus intemeratus est ratione eorum quæ ad fidem spectant ac mores, hactenus, ex Bellarmini hypothesi, æqualis est auctoritatis cum vulgata Latina, quam & ipsam scilicet in iis, quæ ad fidem moresque pertinent, non impingere censet. Quod si vero progrediamur amplius, & comparationem instituamus ratione eorum quæ ad fidem & mores proprie non pertinent, ipsimet scriptores Pontificii ingenue fatentur, in vulgata Latina, præter librariorum errata, (quorum non pauca hodieque, post tot licet tentatas correctiones, etiam in ipsa editione Clementina superesse, observavit Fr. Lucas Brugensis, nec diffitetur Bellarminus, qui & data opera talia retineri ait; ceu jam supra monuimus, cap. x, 35.) inveniri multa, incommode admodum, obscure, ambigue, a scriptoris sensu aliene, adeoque minus vere translata, nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita & immutata: uti ex Sixti Senensis, Lindani, Galatini, supra cap. x, 20. productis verbis liquet: de textu autem originali nec ipse Bellarminus concedit, quod habeat, quæ a Spiritus sancti, principis illius Scripturarum auctoris, mente aliena, atque sic minus vere sint dicta: quin potius affirmat, si qua irrepserint menda, ea *sensum aut parum aut nihil mutare*, & *nihil omnino veritati officere*. Unde evidenter liquet, si vel maxime admitterentur in textu Hebræo & Græco nævi, quales comminiscitur Bellarminus, non tamen propterea illum posse postponi vulgatæ

gatæ Latinæ, ut quæ, ex ipsorum met Pontificiorum confessione, longe tetrioribus vitiis est inquinata. Adde, Pontificios ideo fontes postponere versioni suæ vulgatæ, quod sint impuri ac turbidi, vanum esse prætextum, uti ex Gretsero & Lud. de Tena ostendimus capite præcedenti x, 30.

v. Sed quorsum tendit, quod scribit Bellarminus: *vix dubitari posse, quin, sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinenda quam Græca, ita etiam vigilantior fuerit in suis codicibus à corruptione defendendis?* Num inde vult probare, textum V. T. Hebræum potius corruptum esse censendum quam vulgatam Latinam?

vi. Certe si a diligentiori codicum custoditione concludendum, recognoscat Cardinalis quæ de Iudæorum incredibili religione erga Hebræum librorum Biblicorum textum observat ipsemet supra capite 11, (cum quibus conferri potest noster de Canone Scripturæ tractatus cap. xii, 20.) & apparebit, hac potius ratione argumentandum esse: Synagoga Hebræa vigilantior fuit in suis Codicibus a corruptione defendendis quam Ecclesia Latina; ergo Latina potius translatio depravata censenda quam fons Hebræus. Antecedens manifestum. Nemo enim dicet, tanta cura pro Vulgatæ suæ integritate vigilasse Latinos, ut a primo ipsius ortu per tot seculorum decursum ne verbum quidem mutari in ea sint passi; quemadmodum de Judæorum pro Hebræi Codicis ἀφθαρσία solicitudine hujusmodi quid memorato loco scribit Bellarminus. Quin potius supinam illorum negligentiam heic miratur ipse Isidorus Clarius, Brixianus, Abbas primum, post Episcopus

scopus Pontificius, qua factum, ut errores in Vulgatam irrepserint pene innumeri, quorum octo millia se annotasse ait ac emendasse. Et ne forte excipiant Pontificii, minus fidelem correctorem egisse Isidorum hunc (cujus nempe textum pro genuino vulgatæ editionis textu habere vetat Index librorum prohibitorum Clementis IIX auspiciis editus, qui & ipse prologum ac prolegomena ex ejus Bibliis præcidere jubet) quot veteris translationis menda notarunt Theologi Lovanienses? quot Fr. Lucas Brugensis? Mereturque omnino observari, cum Sixtus V, Pontifex Romanus, Tridentinam sanctionem, qua vetus & vulgata editio quam emendatissime imprimi jubetur, in rem translaturus, tanto conatu correctionis negotium urgeret, ut, non contentus labore doctissimorum virorum quibus ea cura demandata, manum operi admoveret ipsemet; nihilominus iis, qui Clementis IIX jussuu Vlgatam isthanc denuo sibi sumpsere castigandam, amplum adeo relictum fuisse spicilegium, ut duo millia circiter loca notarit Jamesius, quibus Clementina hæc editio a Sixtina dissidet. Tametsi ne sic quidem textum Latinum prorsus emaculatum esse, ultro fateatur Bellarminus. Vide supra cap. x, 35. Ex quibus omnibus apparet, frustra esse Cardinalem, dum Latinæ Ecclesiæ in suis codicibus a corruptione defendendis diligentiam tantopere extollit. Qui sane expendere heic etiam debuisset, quam immenso labore Judæorum Masoretæ, singulos Hebræi Codicis versus, voces, & literas numerando, omnemque ipsorum varietatem annotando, id effecerint, ut ne jota quidem e textu originali excidere, vel minimum in eo punctum possit mutari

tari: qualem pro vulgatæ translationis incolumitate vigilantiam si quis vel antiquis vel recentioribus Latinis tribuere vellet, omnium ludibrio se esset expositurus.

VII. Porro, dum agnoscit Bellarminus, quod *vulgata editio non sit unius auctoris, sed quædam habeat ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam interprete innominato*, quodque adeo (ut supra cap. IX dicebat idem) *addita* habeat *non pauca quæ in Hebræo non inveniuntur*; agnoscat quoque necessum est, peccasse Tridentinos, dum ita simpliciter & sine ulla exceptione canonicam authenticamque declararunt translationem vulgatam. Etenim *quis dicat, canonica & authentica esse, quæ nec sint in Hebræo textu, nec in prima 70. Interpretum versione?* scribit Gretserus. Vide plura hanc in rem supra capite IX, 13. 14. col. 506.

VIII. Tandem observetur, quod Bellarminus, utut alias frigide satis ac timide de Latinæ translationis authentica auctoritate loquatur, non ausit tamen illi quorundam opinioni (quæ Gretseri etiam & Erbermanni est, ac in ipso Synodo Tridentina, teste P. Svavi f. Sarpio lib. II, fuit Andreæ Vegæ) simpliciter intrepideque subscribere, quod Tridentinum Concilium non declaraverit versionē isthanc ἀναμάρτητον ratione omnium omnino periodorum & dictionum, sed tantum quoad dogmata fidei & morum. Ait quippe, Ecclesiam non ita approbasse Vulgatam, *ut asseruerit, nullos in ea* LIBRARIORUM ERRORES *reperiri*, (ecce hos solos excipit) *sed certos nos reddere voluisse, in iis* PRÆSERTIM, *quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata.* *Quis sensus decreti Trid. de auctoritate Vulgatæ*

Gr. col. 560, & alibi sæpiss. Erb. p. 63. sqq.

IX. Nempe animadvertit, verba Concilii nimis clara esse, jubentia scilicet, ut Vulgata *in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus*, (in quibus sane non de his tantum quæ ad fidem & mores spectant, sed & de aliis agendi imponitur necessitas) *pro authentica habeatur*; *& ut nemo illam rejicere QUOVIS PRÆTEXTU* (adeoque nec eo, quod hoc vel illud non spectet ad fidem aut mores) *audeat vel præsumat.* Et notari meretur insuper, quod Synodus, eadem hac sessione, verbis immediate post sequentibus, prohibitura, ne quis Scripturam sacram ad suos sensus contorqueat; id faciat cum diserta restrictione ad res fidei & morum, (decernens videlicet, *ut nemo, suæ prudentiæ innixus, IN REBUS FIDEI ET MORUM, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, eandem interpretari audeat*,) non omissura utique limitationem hanc in decreto de αὐθεντία Vulgatæ, ni absolute id & sine ulla tali restrictione voluisset acceptum. Atque hinc Ludovicus de Tena, Bellarmino audacior, nec ulla circuitione usus, de Vulgata affirmat, *quod non solum nullum contra fidem errorem contineat; sed etiam infallibilem veritatem & Spiritus sancti mentem in omnibus suis partibus, quantumvis minimis*; adeo ut nec *periodus, clausula, dictio, syllaba, aut jota, repugnans vulgatæ editioni, debeat admitti*, Isagog. ad Scriptur. lib. 1, diff. VI, sect. 1. Verumnon est instituti nostri, recensere nunc & examinare dissidentes Pontificiorum de sensu Tridentini decreti sententias, tanta inter ipsos contentione agitatas, ut a probris & contumeliis ad tribunalia tandem ventum sit, & coacti nonnulli e vinculis causam

dicere

dicere, teste Jo. Mariana, Jesuita Hispano, tract. de Versione vulgata cap. 1. Videri possunt de mutuis istis Papistarum pugnis Calovius noster in Critico sacro, sive Tom. 1 in Aug. Confess. pag. 502. seqq. Rivetus Isagog. ad Scripturam cap. XI, Sixtinus Amama Antibarb. Bibl. lib. 1, cap. VI, aliique.

Responsio illius ad arg. 3.

X. Amplius subjungit hucusq; discussis ex Protestantium mente Bellarminus, *quod Patres passim doceant, ad fontes Hebræos & Græcos esse recurrendum.* Respondet autem, *quatuor temporibus licere recurrere ad fontes Hebræos & Græcos, ut Patres moneant: primo, quando in Latinis codicibus videtur esse error librariorum: secundò, quando Latini codices variant, ut non possit certò statui, quæ sit vera vulgata lectio: tertio, quando verba aut sententia in Latino anceps: quartò, ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam.*

Examen.

XI. Ubi primo observa, subdole & statum quæstionis a Bellarmino perverti, & Patrum mentem, quando, ostensurus, quousque verum sit quod de consulendis fontibus prisci illi Ecclesiæ Doctores inculcant, *quatuor temporibus* ait LICERE *recurrere ad fontes Hebræos & Græcos, ut Patres monent.* Neque enim tam in controversia est nos inter ac Pontificios, an *liceat* ad fontes recurrere, quam, an *debeat* illuc recurri: neque Patres docent modo, quod licitum sit fontes consulere, sed eos consulere jubent. Quin Hieronymus comment. in Zach. IIX, 19. (quem locum ipse Bellarminus heic citat) COGIMUR, inquit, *ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis quam de rivulis quærere.* Cetera testimonia produximus supra cap. II, 3.

XII.

XII. Deinde, unde probabit Cardinalis, esse Patrũ dicta de consulendis fontibus ad quatuor illos casus, quos ipse enumerat, restringenda, nec extendenda amplius? Sane Augustinus, lib. XV de Civ. Dei, cap. XIII, disputans de discrepantia, quæ ratione dinumerationis annorum Patriarchalium, Gen. V, inter Hebræum & Græcum textum occurrit, cum agnoscat, non posse eam imputari librariorum mendis, siquidem *videatur habere quandam error ipse constantiam, nec casum redoleat, sed industriam*; scribit nihilominus: *Recte fieri nullo modo dubitaverim, ut, cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur unde est in aliam per interpretes facta translatio.* & capite mox sequenti XIV: *Illa numerorum varietas, quæ inter codices Hebræos invenitur & nostros, neque de antiquorum longævitate dissentit, & si quid habet ita diversum, ut verum esse utrumque non possit, rerum gestarum fides ab ea lingua repetenda est ex qua interpretatum est quod habemus.* Sed quid opus in re per se manifesta hærere diutius? Ad tertium argumentum pergamus, petitum ex variis locis quibus Vulgata impingit.

CAPUT XII.

DE LOCIS, QUÆ CHEMNITIUS DEPRAVATA ESSE DICIT IN VULGATA LATINA.

I.

De loco Gen. 3, 15. PRimus itaque locus, ex enumeratione Bellarmini, quem

quem in Vulgata corruptum ait Chemnitius, est Gen. III, 15. ubi legitur: *Ipsa conteret caput tuum*; cum esse deberet, *ipsum*, nempe semen, CHRISTUS. Respondet autem Cardinalis, editionem vulgatam varie habere. Quosdam enim codices habere, *ipse*, quosdam, *ipsa*: & propterea non esse contra vulgatam editionem, si convincatur debere legi *ipse*, vel *ipsum*. Dicit porro, non esse improbabile, debere legi *ipsa*: neque esse hanc depravationem Papistarum. *Nam*, inquit, *etiamsi multi codices Hebraici habeant* הוא hu, *tamen legi unum, in quo erat scriptum* הוא hi, *id est*, ipsa; *ac praeterea, remotis punctis, illam vocem Hebraicam* הוא hu, *posse interpretari* ipsa, *nimis rudis est qui nescit. Passim enim occurrit in sacris Bibliis* הוא hu, *pro* היא hi. *Sic Genes. 3. vers. 12. Exod. 3. vers. 8.* Quibus addit, quod veterum nonnulli, quos recenset, legerint, *ipsa*.

II. Verum primo, si agnoscit Bellarminus, editionem vulgatam varie heic habere, cur non observavit quæ paulo ante monuerat ipsemet, capite XI: *Quando Latini codices variant, ut non possit* CERTO *statui, quæ sit vera vulgata lectio, possumus* (addendum, ex mente Patrum, quam heic exprimere vult Cardinalis: *& debemus*. vide supra cap. XI, 8.) *ad fontes recurrere, & inde juvari ad veram lectionem inveniendam*; cur, inquam, non observavit hæc, quando una cum aliis vulgatam Latinam Clementis VIII jussu recognovit & castigavit? Enimvero id si fecisset, non legeremus hodie in Clementina illa editione, *ipsa*, sed *ipse*. Posteriorem namq; hanc veram esse lectionem, fons Hebræus ignorare non sinit, ut qui constanter habet הוא.

III. Equidem opponit Cardinalis unum Codi-

cem, in quo הוא se inveniſſe affirmat. Quem ſuſpicor fuiſſe ex officina Chriſtoph. Plantini, unde anno ſuperioris ſeculi LXXII opus prodiit Regium πολύγλωττον, exhibens in textu Hebræo, curante Guidone Fabricio Boderiano, הוה (voluntariæ depravationi ſphalma acceſſit typographicum: nam ex intentione editoris debebat eſſe הוא) & quidem appoſita nota כרי וכתיב, quaſi varia heic reperiretur in Hebraicis codicibus lectio, ipſisque Hebræis agnoſcentibus aliter legi deberet quam ſcriptum eſt. Quod tamen *verum non eſſe*, ingenue fatetur, in hunc locum, Leonardus Marius, Profeſſor Colonienſis. Et fuit ſane corruptio hæc manifeſta adeo & craſſa, ut ipſosmet Pontificios ejus puduerit; qui in repetita anno LXXXIV operis illius editione veram lectionem הוא reſtituerunt. Quidquid autem ſit, ſive eam, quam dixi, editionem Antverpienſem innuat, ſive aliam, optimæ notæ fideique intemeratæ codicem haud fuiſſe, in quo ſuum illud הוא legit Bellarminus, vel inde conjectes, quod plane diſſimulat, utrum vetuſtus fuerit, an recentior; num typis deſcriptus, an vero manu exaratus; ubi, & cujus cura prodierit, unde & ex qua bibliotheca eum habuerit; & quæ ſunt aliæ hujusmodi circumſtantiæ, ex quibus de fide & auctoritate codicum ſolet judicari: quod item σεμάχου ejus Gretſerus, qui facile per literas rem omnem ab ipſo reſcire heic potuit, non auſus tamen eſt editionem iſtam nominare, utut toties id petiiſſent noſtri.

IV. Firmum proinde manet, textum Hebraïcum conſtanter habere הוא. De veteri autem Latina ſic diſſentiunt Pontificii, ut, ſi ipſos heic audiamus, non

pos-

possit certo statui, quæ sit vera vulgata lectio. Etenim Gulielmus Lindanus, Episcopus Ruræmundensis, lib. III de opt. genere interpretandi Scripturas, cap. III, & Fr. Ribera Jesuita, in Hab. I, ac lib. II de Templo c. II, codices Latinos veteres castigatiores & correctiores Masculinum, *ipse*, habere ajunt. Similia legas apud Dieguum Payvam Dandrada, Defens. Trident. fidei lib. IV, & Jo. Hartum in Colloquio cum Rainoldo habito, cap. VI, sect. II. Adde præterea August. Steuchum Eugubinum in Recognit. Genes. ad veritatem Hebraicam; sed & Melch. Canum, Episcopum Canariensem, lib. II Loc. Theol. cap. XV; cujus verba: *Cum apud Ebræos* pronomen relativum *Neutro genere ad semen referatur, interpres, rem significatam perpendens, in Masculino genere transtulit*, IPSE. *quod imperiti non intelligentes, vitiumque scriptoris existimantes, substituerunt*, IPSA. Bellarminus vero, etiamsi legendum arbitretur, *ipsa*, certo tamen affirmare non audet, hanc lectionem esse genuinam; sed tantum dicit, *non esse improbabile*, debere ita legi. Quia proinde, quod Patres passim docent, ad fontes esse recurrendum, de tali casu interpretatur & admittit Cardinalis, *quando Latini codices variant, ut non possit* CERTO *statui, quæ sit vera vulgata lectio*, utique, ceu jam ante dixi, suam istanc Patrumque doctrinam observare debuisset ipsemet, debuissent ejus συνεφοὶ, quando Vulgatæ recognoscendæ Clementis Papæ jussu vacabant: & sic non legeremus in Clementina, ista editione, *ipsa*, sed *ipse*. Quoniam vero illa nunc exhibet, *ipsa*, frustra est Bellarminus, dum ait, *non esse contra vulgatam editionem, si convincatur debere legi*, ipse, *vel* ipsum. Etenim quid tandem censendum e-

rit contra vulgatam editionem esse, si non hoc, quod est contra editionem, quæ, ut Tridentinæ Synodi decreto satisfieret, publica ipsius Pontificis auctoritate & auspiciis prodiit, quamque adeo *cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem puriorem-que esse*, in præfatione eidem præmissa ipse Bellarminus affirmat? Annon rotunda Gretseri confessio est, col. 1059: *Eam editionem, tanquam omnibus præstantiorem, & ad mentem Tridentini Concilii conformatam, amplectimur, quam nobis, volente & iubente Sixto Quinto, dedit & exhibuit Clemens Octavus. QUIDQUID CUM HAC CONGRUIT, RATUM GRATUMQUE ACCIDET; QUIDQUID DISCONVENIT, IRRITUM INGRATUMQUE EVENIET: sive sit ex Hentenii, sive ex Lovanienſium, sive ex cujuscunque alterius officina depromptum?*

v. Sed videamus, quid adduxerit Bellarminum, ut statueret, non esse improbabile, debere legi, *ipsa*. Prima ejus ratio est, quod unum conspexerit Codicem, in quo fuerit scriptum הוּא *hi*, id est, *ipsa*.

vi. Resp. Inde argumentum nascitur tanto disputatore prorsus indignum, nempe hoc: Unus Codex Hebræus habet הוּא, *ipsa*, ceteri autem omnes habent הוּא *ipse*; ergo non est improbabile, debere legi *ipsa*, non vero *ipse*. Risum teneatis, amici! Esto, habuerit Bellarminus Codicem, qui legerit הוּא (quod tamen, nisi intelligat quem ab ipsismet Pontificiis reprobatum supra diximus, sine dubio fallum est) utrum erit probabilius, obsecro? an, quod unus ille Codex perperam legat, & reliqui omnes recte; num vero, quod unicus ille Codex legat recte, & omnes ceteri perperam?

vii. Ratio secunda nihilo melior. *Remotis*, inquit,

quit, *punctis, illam vocem Hebraicam* הוא *hu, posse interpretari,* ipsa, *nimis rudis est qui nescit. Passim enim occurrit in sacris Bibliis* הוא hu, *pro* היא hi. *Sic Genes. 3. vers. 12. Exod. 3. vers. 8.*

IIX. Resp. Collectio hæc est: Hebraicum הוא remotis punctis POTEST reddi, *ipsa*, & occurrit aliquando in Scripturis הוא pro היא; igitur non est improbabile, Gen. III DEBERE legi, *ipsa.* Cujus argumenti infirmitatem quis non animadvertit? Etenim si verum sit vel maxime, quod heic supponit Bellarminus, puncta sacri textus non esse literis coæva, sed a Rabbinis superaddita, (quam tamen opinionem ne ipsis quidem Pontificiis omnibus probari, jam supra cap. 11, 24. monuimus) nondum ei consequens est, ubicumque legitur in Scriptura הוא, posse illud accipi tamquam Femininum, & verti, *ipsa*; multo minus, probabile esse, quod Gen. III, 15. *debeat* legi, *ipsa.* Possunt namque etiam, semotis punctis, alia adhuc supereſse manifesta indicia, unde colligas, cur הוא Masculinum sit, non Femininum.

IX. Et quidem, quod speciatim ad nostrum attinet locum, non posse in eo vocem istanc Feminino genere capi, docet primo verbum Masculinum ישופך, quod urget ipse Lindanus loco num. IV citato (cum quo confer, ubi idem habet, Panopliam ejus lib. IV cap. II) *Si quis contendit*, inquiens, ' *pro* ' *esse, is sane ex verbo Futuri Mascul. ita refutabitur, ut nullum ei sit tergiversationis refugium.* docet præterea in altero membro affixum Masculinum תשופנו, serpentini capitis contritorem citra controversiam respiciens.

X. Atque hinc videmus, & Chaldæum Paraphra-

sten, & LXX Interpretes (quorum translationem etiam Philonis Judæi tempore habuisse αὐτὸς, ex hujus de Allegoriis Legis libro II constat) & Hieronymum, legisse הוּא Masculino genere, etiamsi, ex Bellarmini hypothesi, punctis vocalibus ipsorum ævo textus Biblicus non fuerit vestitus. Sed nec Hebræorum Critici Masorotæ aliter heic legendum censuerunt: qui sane alibi, ubi הוּא Masculinum esse non posse, vel præcedentia vel subsequentia nomina aut verba Feminina indicant (ut, exempli gr. Gen. III, 12. Exod. III, 8. ad quæ loca Cardinalis noster provocat) in margine notarunt, pro הוּא legendam הִיא, quemadmodum & in ipso textu punctato sub ה ibi visitur Chirek, adeoque הִוא legitur, non, ut Bellarminus ait, הוּא.

XI. Excipit Cardinalis contra illud, quod diximus, הוּא הִיא hoc loco non posse esse Femininum, cum verbum immediate subsequens יִשּׁוּף sit Masculinum; *non esse novum in Scriptura, ut cum Nominibus Femininis conjungantur Pronomina aut Verba generis Masculini*: laudatque eam in rem Ruth. I, 8. Esth. I, 20. Eccl. XII, 5.

XII. Verum etiamsi certissimum sit, occurrere hujusmodi interdum in Scriptura Enallagas, certum tamen & hoc est, non esse lectori integrum, easdem pro lubitu comminisci, sacroque textui inferre. Ut enim rectissime de Personarum mutatione scribit Bellarminus, lib. I de Christo cap. V: *Si licet sine causa fingere mutationes Personarum, nihil unquam certi ex divinis literis colligi poterit*; sic non minus recte de mutatione Generum dixeris: si licet sine causa fingere mutationes Generum, nihil umquam certi ex divinis literis

ris colligi poterit. In exemplis ab auctore allatis Enallagen esse, per se est evidens; quippe cum, etiam demptis punctis, ex literarum positu pateat, vocem unam Genere differre ab altera. At in nostro loco longe se aliter res habet. Ipse enim Bellarminus contendit, הוּא, si puncta demas, posse tum ut Masculinum tum ut Femininum accipi. Quandoquidem igitur heic quæcunque adjiciuntur sunt Masculina, & præterea res ipsa clamat, agnoscuntque etiam, punctis haud adjuti (ut quidem Bellarminus supponit) Chaldæus, Græci, Masoretæ, Hieronymus, non de muliere, sed semine ejus, sermonem esse, ut adeo nullus Feminino locus sit; annon aperta pertinacia, Enallagen in re adeo manifesta excogitare?

XIII. Tandem urget Cardinalis, quod Femininum, *ipsa*, heic legerint, C. Marius Victor, Alcimus Avitus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Eucherius, Rupertus, Beda, Rabanus, Strabus, Lyranus, Bernardus; indeque mendacium esse ait, quod Kemnitius dicit, omnes veteres legere *ipsum*.

XIV. Sed de Chrysostomo falsum, quod legerit *ipsa*. Quidquid enim de interprete ejus Latino, Græcus sane textus, prout ab ipsismet Pontificiis editus, ita habet: αὐτός σε τηρήσει κεφαλήν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. καὶ γὰρ ποσάκις ἐκείνῳ παρέξω τὴν ἰσχύν, ὡς διηνεκῶς ἐπικεῖσθαι τῇ σῇ κεφαλῇ, σὲ δὲ πῶς ἐκείνου στοχεῖσθαι. Ubi toties, ecce, legis Masculinum. Quod ad ceteros attinet qui memorantur auctores, an ideo probabile erit, in loco nostro debere legi, *ipsa*, quia illi sic legerunt? Imo vero contraria potius ratione ita concludendum: Omnes codices Hebræi, Paraphrastes Chaldæus,

dæus, LXX Seriores, sed & vetustissimi Ecclesiæ Doctores, Irenæus, lib. III, cap. XXXIIX, lib. IV, cap. LXXIIX, lib. V, cap. XXI, ac Cyprianus, lib. II adversus Judæos cap. IX, nec non Chrysostomus (ut jamjam visum) Hieronymus, Quæstion. Hebr. in Genesin, Leo Papa, serm. II de Nativitate Domini, quin, testibus celeberrimis quibusdam Pontificiis, (vide supra num. IV) ipsi Codices Latini vestutiores & correctiores legunt, *ipse*; ergo absurdum est, statuere, quod legi debeat *ipsa*: nihil quidquam obstantibus illis a Bellarmino citatis scriptoribus, ut quos, Hebraice nescientes, Latina, quibus usi, exemplaria in errorem induxere.

Chemnitius vindicatur.

XV. Chemnitius noster præter rem insimulatur mendacii. Assertio ejus est, quod *tota antiquitas textum* Gen. III, 15. *legat & interpretetur de ipso semine.* Hoc si propterea mendacium, quod unus atque alter ex antiquis, v. g. Ambrosius, Augustinus, non ita legunt; mendacium quoque fuerit, e. c. illud Rom. XI, 26. *Totus Israël servabitur.* Nec enim quisquam ea verba sic accipit, quasi iis prædiceretur, fore aliquando, ut omnes & singuli Israelitæ, nemine prorsus excepto, serventur; sed, interprete Jesuita Pererio libro XV in Danielem, Apostolus innuit, *tantam credentium ejus populi tunc futuram multitudinem, ut præ eorum, qui in impietate mansuri sunt, paucitate, rectè & verè dici possit omnis Israël crediturus.* Similes loquendi modi passim obvii, tum in sacris, tum in sermone vulgari. Et annon ipse mox Bellarminus, eodem hoc capite, paucisque tantummodo lineis interjectis, illa Scripturæ verba: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum*; & : *Omnis caro corruperat viam*

am

am suam; Gen. VI, 5. 12. ita explicat, ut verum nihilominus esse credat, quasdam cordis cogitationes non esse ad malum intentas, & quandam carnem non corrupisse suam viam? Sane lib. V de Gratia & lib. arb. cap. III, diserte scribit: *Dicitur malum* OMNE *figmentum cordis humani, quamvis non desit aliquod figmentum, id est, aliqua cogitatio non mala.* Et Gretserus quoque fatetur, *universales locutiones non semper universim, sed restricte accipi debere: quia*, inquit, *vox* omnis, *seu* cuncta, *significat frequenter* totum in modo, *hoc est, universum non universe sumptum.* Verum ad alia pergamus. col. 591.

XVI. Progreditur videlicet Cardinalis, postquam locum Gen. III, 15. expendit, ad illum, cujus jamjam fiebat mentio, quique extat Genes. VI, 5. ubi Vulgata habet: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum*; cum in fonte sit: *Figmentum cordis ejus tantum malum omni die.* Ait autem, *sensum esse eundem. Nam*, inquit, *illud, figmentum cordis, significat cogitationem cordis, quia a corde fingitur & formatur, ut etiam Hebræi in eum locum docent. Idem autem est, cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum, &, figmentum, id est, cogitatio cordis, non est nisi malum. Non autem sequitur hinc* (ita pergit) *ut Lutherani putant, omnia opera hominum esse mala. Nam illa est hyperbole Scripturæ, qua sæpe utitur ad rem aliquam extollendam: sicut in eodem capite dicitur: Omnis caro corruperat viam suam. Et tamen ibidem dicitur: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis.* De loco Gen. 6, 5.

XVII. Verum enim vero, quod Hebræum יצר מחשבת plus heic innuat quam Latinum *cogitatio*, id ipse Bel-

larmini hyperaſpiſtes Gretſerus diffiteri non poteſt, dum, ne diſſenſum inter Interpretem vulgatum & textum originalem admittere cogatur, vocem, *cogitatio*, qua ille utitur, ita explicari poſſe affirmat, ut notet
col. 585. & 590. *inclinationem & propenſionem voluntatis ad malum in actu primo, & quaſi in habitu.* Porro longe aliud eſt, eſſe malum, &, eſſe intentum ad malum: præſertim ſi ad Pontificiorum attendas hypotheſin, qua, intentum ſeu propenſum eſſe ad malum, in ſe formaliter malum eſſe negant.

col. 586. XIIX. Ubi nihil efficit Gretſerus, quando ait, etiamſi inclinatio ad malum *in ſe formaliter* non ſit malum quoddam, recte tamen adhuc malum dici *ratione termini ad quem propendet*; quemadmodum id pateat
col. 585. de concupiſcentia, quæ malum nuncupetur, *non quod in ſe formaliter, non accedente voluntatis conſenſu, mala ſit, ſed quia ad malum inclinet.* Quæ enim hæc ratio probandi, obſecro: Inclinatio & propenſio ad malum, etiamſi non ſit malum in ſe, recte tamen adhuc malum dicitur, quia tendit ad malum: nam & concupiſcentia, utut in ſe malum non ſit, recte dicitur malum, quia ad malum inclinat? Pari certe Logica inferrem: Jeſuita Gretſerus ineptus eſt diſputator: nam defenſor Bellarmini Ingolſtadienſis eſt ineptus diſputator. Annon enim *concupiſcentia & propenſio ad malum* idem ſunt ipſi Bellarmino, libro v de Amiſſione gratiæ, cap. v, ſub initium? Committitur ergo heic decumana petitio ejus quod in principio. Quamquam ea non ſit ceſſatura, ſi maxime concupiſcentiam & propenſionem ad malum ut diſtincta ſumas; cum adhuc æque maneat controverſum, an concupiſcentia per extrinſecam hu-

jus-

jusmodi, qualem Pontificii propugnant, denominationem malum dicatur & peccatum, ac in quæstione est, num propensio ad malum hoc pacto appellari malum possit.

XIX. Ceterum quia controversia: utrum conscientia in se & formaliter malum atque peccatum sit? huc non spectat, sed alterius loci est, missa ea ad propositum revertimur, & in hoc præterea Vulgatum impingere dicimus, quod omittit exclusivam, quæ in Hebræo est, רק, *tantummodo*. Nam quod Bellarminus ait, idem esse hæc: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum*; &: *Cogitatio cordis non est nisi malum*; id quivis videt quam sit frivolum. Ut enim nunc non repetam, quod jamjam fuit monitum, aliud esse, intentum esse ad malum, aliud, esse malum; certe ne sic quidem formata propositio: *Cuncta cogitatio cordis est malum*; æquipollet isti: *Cogitatio cordis non est nisi malum*. Posterior namque hæc, exponens est (ut in scholis loquimur) illius exclusivæ: *Cogitatio cordis est tantùm malum*; quod de priori nemo dixerit.

XX. Quæ porro de hyperbole hujus loci, & de opinione Lutheranorum, quod omnia opera hominum sint mala, ὡς ἐν παρόδῳ Bellarminus tangit, utpote nec ipsa proprie huc pertinentia, ad genuinam suam sedem merito rejicimus. Cui placuerit, legat quæ in Apologia pro Valeriano Confessore anti-Capucciniana, num. XXXV, seqq. hanc in rem a nobis disputata.

XXI. Pergit Bellarminus ad locum Gen. IX, 6. ubi Vulgata habet: *Qui effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius*; cum in Hebræo sit: *Qui effuderit sanguinem hominis, per hominem fundetur sanguis illius*. *De loco Gen. 9. 6.*

illius. Respondet autem, *illam omissionem non reddere sensum falsum, neque imperfectum, proinde non esse magni momenti. Sensus enim est*, ait, *tam in Hebræo quam in Latino: Qui occiderit hominem, occidetur etiam ipse.*

XXII. Exceperat Whitackerus: *non idem esse, si quis dicat: Qui occiderit hominem, occidetur & ipse; & si addiderit: per hominem. Nam illud prius sic intelligi posse, ac si à* DEO *occidendus esset; hoc autem posterius, illum ab homine neci tradendum esse, arguere.* Ad quæ col. 592. Gretserus, *Vana est hæc cavillatio*, reponit. *Quis enim tam hebes est ac plumbeus, qui, cum audit, homicidam occidi debere, non statim intelligat, hoc faciendum esse ope & ministerio hominis, hoc est, magistratus & legitimæ potestatis? neque enim aliter jam ordinariè puniuntur homicidæ, cum Deus immediatè per se non soleat in hoc rerum statu pœnas ab homicidis repetere.*

XXIII. Verum, si omnes, qui Scripturæ auctoritatem agnoscunt, agnoscerent æque, pœnam heic divinitus constitui ordinariam qua in homicidas debeat animadvertere magistratus, videri forte possent non adeo inepte ista dici. Jam autem quis nescit, negari hæc ab Anabaptistis & Socinianis, qui supplicia capitalia, præsertim inter Christianos, abominantur, nec homicidæ vel alterius cujusvis scelerati sanguinem a magistratu effundi posse existimant, indeque locum hunc ita depravant, ac si prædictionem solum contineat, & generalem comminationem, qua Deus ab homicidio deterrere mortales voluerit? Quibus sane feliciter obviam iri potest ex illa determinatione: *per hominem;* quam Vulgatus prætermisit. Nam si generaliter tantum,

tum heic minatur Deus, se sanguinem humanum vindicaturum, (ut volunt Sociniani) quid attinebat adjicere, illum vindicatum iri per homines? cum utiq; per bestias etiam aliove modo divina de homicidis sumi possit & soleat ultio.

XXIV. Amplius vindicandum sibi duxit Bellarminus locum Gen. XIV, 18. ubi Vulgatam legere dicit Chemnitius: *Melchisedech obtulit panem & vinum: erat enim Sacerdos;* cum textus Hebræus nec verbum *oblationis*, nec conjunctionem rationalem ibi habeat. Respondet autem Cardinalis, *falso Kemnitium dicere, haberi in vulgata editione verbum offerendi. Nec enim*, inquit, *legimus, obtulit, sed, protulit panem & vinum. Conjunctionem autem rationalem* (ita pergit) *habet vulgata editio; sed habet etiam Hebræus textus, etsi eam Kemnitius, vel propter imperitiam non viderit, vel propter malitiam videre noluerit. Nam licet in Hebræo sit* ו *ve, non* כ *chi, tamen illud* ו *ve, sæpissime accipitur pro* כ *chi.* Addit, Melchisedechum protulisse panem & vinum, ut illud Deo in sacrificium offerret, quia fuerit Sacerdos Dei altissimi: & hoc facto gessisse eum figuram sacrificii, quo sub specie panis & vini corpus & sanguis Christi offertur Deo, ab omnibus veteribus Græcis & Latinis affirmari. *De loco Gen. 14, 18.*

XXV. Ubi primo præter rem falsitatis arguitur Chemnitius, quod ait, Vulgatam habere vocem *obtulit*. Quamvis enim ita non legerint forte quæ Bellarmino ad manum fuerunt editiones, legerunt tamen aliæ, uti non negat Dandrada libro IV Defens. Tridentinæ fidei: quin nec ipse inficiari audet Gretserus. Deinde, si vel imperitus, vel malitiosus est, qui *col. 593.*

non videt heic in Hebræo textu conjunctionem rationalem, imperiti quoque fuerint oportet aut malitiosi Pagninus & Arias Montanus, Card. item Cajetanus & Hieronymus ab Oleastro, magni nominis scriptores Pontificii; qui nullam heic viderunt in Hebræo particulam rationalem: uti ex illorum versione interlineari patet, horumque commentariis. Cajetanus diserte, *Quod*, inquit, *in vulgata editione subditur ut causa oblationis: erat enim Sacerdos; in Hebræo non habetur ut causa, sed ut separata clausula: Et ipse Sacerdos Deo excelso. Adjungit siquidem Regiæ dignitati & liberalitati dignitatem Sacerdotalem.* Hier. ab Oleastro: *Adverte, quod, licet* LXX *& vulgata vertant: erat enim;* (Græcæ translationis probatiores editiones exhibent adversativam δὲ, quam etiam heic habet Chrysostomus homil. XXXV in Genesin; sed & Cyprianus, epist. LXIII, edit. Pamel. legit: *fuit autem;* ac Hieronymus, epist. CXXVI, ad Evagrium: *erat autem) quasi sequens sententia prioris causam reddiderit, in Hebræo tamen est ut vertimus, scilicet,* ET *ipse erat Sacerdos.* Eodem modo Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis habet: *Et ipse Sacerdos Dei excelsi*; ac Epiphanius hæresi LV: ᾗ ἦν ἱερεύς. Nec erat cur Chemnitio Hebraismi imperitiam objiceret Cardinalis, cujus nec tenuissimam cognitionem habuit ipsemet. Vide infra cap. XIII, 10. Quod vero ait, ו sæpissime accipi pro כ, id ad præsens nihil omnino facit; ubi non quæritur, an ו aliquando in textu sacro sumatur causaliter; quod nemo negat: sed, an in nostro loco ita sumatur; quod, ut vidimus, negant ex ipsismet Pontificiis viri doctissimi.

XXVI.

XXVI. Ceterum, an Melchisedek protulerit panem ac vinum, ut illud Deo in sacrificium offerret, atque hoc facto figuram gesserit sacrificii Missatici; & an omnes veteres, Græci ac Latini, id affirment, ut noster ait Cardinalis, quæstio est quæ huc plane non spectat, indeque ab ipsomet Bellarmino alibi, libro nempe 1 de Missa, cap. VI, longe fusius & ex instituto pertractatur. Nolumus proinde in ea ventilanda nos heic detinere. Tantum verbo monemus, incuriose admodum a Bellarmino loca Patrum citari, quibus suæ sententiæ fidem facere satagit. Etenim Eusebii testimonium, quod laudare vult, non habetur libro VI Demonstr. Evang. sed libro V. Epiphanius hæresi LXXIX Melchisedecum Sacerdotem quidem appellat, loci autem, de quo nunc agimus, ibi non meminit, sed hæresi LV. Chrysostomi testimonium non extat homilia XLV in Genesin, sed homilia XXXV. Ambrosii non esse libros de Sacramentis, qui vulgo ipsi tribuuntur, dudum demonstrarunt viri docti. Sed redeamus ad rem.

XXVII. Progreditur Cardinalis ad Num. XXXVI, 7. 8. ubi Vulgata habet: *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione sua: & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient;* cum textus Hebræus loquatur, non de omni femina, sed tantum de ea, quæ ירשת נחלה sive heres bonorum paternorum; ac tot Scripturæ exempla doceant, licitum fuisse Israëlitarum mulieribus nubere extra tribum suam. Ubi operosus est auctor, ut ostendat, sensum legis Mosaicæ esse, si mulier careat fratribus, & proinde hæres sit, non debere eam nubere alicui qui non sit de tribu sua.

De loco Num. 36, 7, 8,

XXIIX.

XXIIX. Hoc vero uti verisimum est, cum diserte id dicat codex Hebræus: ita ad præsens nihil facit; quippe ubi non quæritur, quis sensus legis istius, sed, an hunc sensum recte ac sufficienter expresserit Vulgatus? quod negamus: cum ille sic verterit textum originalem, quasi in universum de omnibus feminis loqueretur; qui tamen, ceu diximus, de iis dumtaxat loquitur quæ in Athenienſium legibus Ἐπίκληροι dicebantur, & Ἀπροίκοις opponebantur, sive his, quæ non hereditatem totam, sed certum quid e bonis paternis, in dotem afferebant. Vide Casaubonum Exercit. Anti-Baron. 1, 13.

Gretseri effugium præcluditur. col. 604.

XXIX. Regerit Gretserus: etiamsi Latinus textus loquatur absolute, satis tamen in eo intelligi dictam limitationem. *Nam*, inquit, *initio capitis quæstio fuit mota à populo propter quasdam mulieres hæredes, de quarum nuptiis alienæ tribui metus fuit exortus, ne ex similibus nuptiis oriretur possessionum confusio & permistio, perturbans divisionem à Deo initiò factam: & ad hoc incommodum tollendum lex fuit à Deo lata. Quare satis eo ipso intelligitur, esse sermonem de feminis hæredibus; quod exprimere prætermittit Hieronymus, ut posterior sententia priori concinnius responderet.*

XXX. Verum primo, si vel maxime e contextu sufficienter pateret isthæc restrictio, num propterea in translatione omittenda erat interpreti eo loco, ubi expressis verbis habetur in fonte? Sane si visum fuisset Spiritui sancto, e solo contextu sententiam illius legis debere hauriri, potuisset & ipse determinationem, quam disertis verbis in Hebræo addidit, omittere. Quoniam autem ipsi placuit apertis eam vocibus

bus exprimere, & vero, secundum Basilium, ad Amphilochium, *in Scriptura nihil est, quod non sit momenti magni, utcunque nobis parum aut nihil videatur*; secundum Hieronymum, in Epistolam ad Ephesios cap. III, *singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus*; secundum Nicol. le Maire, Theologum Parisiensem, præf. tractatus de Bibliis vernaculis, *nihil non utile, non divinum, nihil otiosum, aut superfluum occurrit in sacro codice, nihil quod non prodierit exore DEI*; secundum Fr. Costerum, in Apologia Enchiridii contra Gomarum, pag. 36. *Scripturam sacram Spiritus sanctus dictavit, singula verba composuit, & suis locis constituit, ut nec jota, nec apex unus superfluat*; secundum Fr. Riberam, apud Ph. Alegambe in Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu, *nullum habent apicem sacræ paginæ, qui non divinis sit plenus mysteriis*; secundum Erasmum, in Enchiridio Militis Christiani, sacra Scriptura *nihil habet otiosum, imo ne apicem quidem non dignum vestigatione, non dignum hac voce quid est hoc?* secundum ipsummet Bellarminum, libro II de Conciliis, cap. XII, *nullum est verbum in Scriptura frustra positum*: indeque, monente Chrysostomo, homil. XV in Genesin, *nec dictio parva, nec syllaba, in Divinis literis contenta, est prætereunda*: non debuerat in sua translatione illa verba neglexisse Vulgatus. Qui certe, si, quod Gretserus affirmat, ideo ea prætermisit, ut posterior sententia priori concinnius responderet, non temerarius tantum fuit, sed & impius; quippe insimulans hoc ipso Spiritum sanctum, ac si minus concinne legem, de qua agimus, expressisset. Et merito heic audiendi auctores Gallici illius Journal des

In Scriptura S. nec minimi apices habendi insuper.

pag. 132.

Scavans. Quantumvis enim & ipsi Pontificiæ sint doctrinæ addicti, tamen, ubi de Tanaquillo Fabro tradidissent, ad d. III Maji, ann. LXVI, quod, *non contentus correxisse Historicos & Poëtas, Criticam etiam suam ad Scripturam usque sacram extendat, & plurima tangat loca, in quibus immutarit vocabula, transposuerit periodos, & interdum vel integras expunxerit lineas; neque ullam conatus sui rationem proferat, nisi quod sensus ipsi reddatur melior & intelligibilior*; recte subjungunt: *Tales conjecturæ, quæ tolerari in profanis autoribus poterunt, periculosam in Scriptura sacra consecutionem alunt. Si enim unicuique mutare ea, quæ sibi minus ibidem placent, concederetur, nihil omnino foret certum; sed unusquisque peculiarem sibi Scripturam pro lubitu suo fingeret.* Confer quæ habentur ad d. XII Julii; & observa insuper, jam olim in Tatiano hæretico fuisse damnatum, quod *ausus sit dicta Pauli Apostoli elegantioribus verbis exprimere; utpote qui compositionem verborum illius corrigere studeret*; teste Eusebio Histor. Eccles. lib. IV, cap. XXIX.

XXXI. Deinde falsum etiam est, quod e contextu ita sit manifestum, debere legem illam de solis feminis heredibus capi, ut sine ullo incommodo possit determinatio, quæ in Hebræo est, omitti. Licet enim quæstio, quæ legi isti ansam dedit, de mulieribus non quibusvis, sed ἐπικλήροις, fuerit mota, ac potuerit quod metuebatur incommodum sufficienter tolli, si his solis, ne extra tribum suam nuberent, interdiceretur, tamen nondum certo poterat constare, an ad solas illas legem suam Deus voluerit restrictam; cum potuisset isti de possessionum translatione incommodo etiam sic occurri, ut simpliciter omnes feminæ extra

suam

ſuam tribum nubere prohiberentur: neque inſolens ſit, caſum ſpecialem anſam dare & occaſionem legi generali. Quo igitur de mente ac intentione Dei liqueret exacte, nec ullũ remaneret dubium, viſumipſi fuit diſertis verbis reſtrictionem τῶν φυλῶν adjicere.

XXXII. Atque hinc non deſunt inter ipſosmet Pontificios viri longe celeberrimi, qui lapſum heic Vulgatæ & ab Hebræo textu diſſidentiam agnoſcunt. Ita Paulus de S. Maria, Epiſcopus Burgenſis, Caſtellæque & Legionis Archicancellarius, in Additionibus ad Poſtillas Lyrani de loco noſtro agens, *In hoc præcepto*, ait, *multum deviat translatio noſtra a veritate Ebraica. Nam ſecundum Ebraicam veritatem non prohibetur fœminis, quin nubant quibuscunque voluerint de genere Iſraëlitico, niſi tantum fœminis quæ hæreditatem habent, ſicut illæ quæ non habent fratres. Et iſtis tantum præcipitur, quod alicui de cognatione patris ſui nubant. Et hoc eſt quod dicitur: Omnis filia quæ habet hæreditatem, uni de cognatione patris ſui erit uxor. Similiter non prohibetur, quin viri ducant uxores de alia tribu. Hoc enim quod dicitur in translatione noſtra: Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua; non eſt in Ebræo; ſed ibi dicitur ſic: Non revertatur hæreditas filiorum Iſraël de tribu in tribum; ſed unusquisque in hæreditatem tribus patrum ſuorum adhæreat.* Similia leges apud Card. Cajetanum in hunc locum. Adde etiam Cornel. a Lapide comment. in eundem, nec non Maſium in Joſ. XVII.

XXXIII. Pergens ad 1 Eſdræ IX, 8. Cardinalis, ubi pro *paxillus* haberi in Vulgata *paxillius*, & paulo poſt ad Proverb. XVI, 11. ubi pro *ſacculi* lege *ſeculi* Chemnitius monuerat; reſpondet, eſſe heic errorem librariorum. *De locis 1. Eſdr. 9, 8. & Prov. 16, 11*

xxxiv. Uti autem verum illud est sine dubio, sic male Chemnitio opponitur, quippe qui idem hoc conceptis verbis affirmat; *quam multa*, inquiens, *indocti librarii depravarunt* in vulgata editione, *quæ nunc in templis Pontificiorum pro authenticis sine intellectu leguntur*! idque demonstraturus, inter alia loca etiam hæc duo in exempla adducit.

606, 607. xxxv. Nec est ut aquilas Lutheranas muscas captare, more suo cavilletur maledicentissimus Gretserus, hæc & similia librariorum menda quando in vulgata editione reprehendunt. Utut enim librariorum errata non sint imputanda ipsi versioni vulgatæ in se spectatæ, & prout a primo suo conditore illa est profecta; culpantur tamen merito, si, ubi talia esse in confesso sit, non tollantur, sed data opera in textu retineantur. Quod sane de duobus illis a Chemnitio notatis vitiis in aprico est: quæ, etsi lapsu scribrarum in textum irrepsisse, & res ipsa clamat, & ultro Pontificii agnoscunt, inde tamen excludere noluerunt correctores Lovanienses. Quos ridicule hoc nomine excusat Gretserus, quod voluerint, prius scilicet quam tollerent ista errata, judicium Ecclesiæ exspectare. Quasi nempe non possint manifesta istiusmodi & decumana librariorum vitia satis tuto aufferri, ni ab Ecclesia, hoc est, Romano Pontifice, num tolli debeant, antea simus edocti. Et si adeo fuere timidi Lovanienses, ut ne quidem in re tam aperta mutare aliquid in textu vulgato ausi sint suo judicio, cur emendandi provinciã susceperunt? Nam quid ille emendabit tandem, qui errores emendare metuit tam apertos? Ad editionem
a. Vaticanam & Clementina Biblia frustra provocat Gret-

Gretserus, ubi disputatur adversus Chemnitii Examen Concilii Tridentini; quippe quod ante Romanas istas curas prodiisse constat.

XXXVI. Porro indigne fert Bellarminus, reprehendi etiama Chemnitio Vulgatam eo nomine, quod Job. v, 1. habeat: *Voca, si quis est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere;* ebrium forte ipsum fuisse dicens, cum hoc scripsit: nam apertissime in Hebræo esse: *Voca nunc, si est respondens tibi, & ad aliquem de sanctis respice.* *De loco Iob. 5, 1.*

XXXVII. Verum si ebrius fuit Chemnitius, dum heic in vulgata versione aliquid desideravit, ebrios etiam fuisse oportet celebratissimum illum Hebræum, Ben. Ariam Montanum, hujusque συνεργὸς Pontificios alios, quando eadem illa verba, quæ in Vulgata leguntur: *ad aliquem sanctorum*, tamquam Hebræo non satis respondentia, e Pagnini translatione expunxerunt, & מי interrogative reddiderunt, hoc modo: *ad quem de sanctis obtueberis?* ebriam quinimo oportet fuisse totam Academiam Lovaniensem; dum (quod testatur præfatio) istanc Ariæ correctionem publica auctoritate probavit. Quia autem religioni sibi ducent Pontificii, tot Ecclesiæ suæ Doctoribus primariis ebriam tribuere emendationem, ebriumque judicium, agnoscant sui Bellarmini præcipitantiam, qui Chemnitio nostro, in Vulgata heic aliquid desideranti, ebrietatem objicit. Quam profecto potiori jure de ipsius propugnatore Gretsero suspicari liceret, quando tam audacter is scripsit, Montanum particulam מי non expressisse interrogative, sed indefinite. Nemo quippe sobrius negabit, in hac Montani versione, *ad quem*

de sanctis obtueberis? מי expressum esse interrogative. Ceterum quod (ut gloriatur Bellarminus,) hic locus contineat expressissimum verbum de invocatione Sanctorum, tantum abest ut sit verum, ut nec ipse Emanuel Sà, Estius, Pineda, argumentum pro isto dogmate heic agnoscant. Sed de his alibi.

De loco Eccle 9, 1.

XXXIIX. Sequitur locus Ecclesiastæ IX, 1. ubi Vulgata: *Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta;* cum in Hebræo longe aliter habeatur, nempe, ipsomet vertente Bellarmino, ita: *Et amorem & odium non est sciens homo, sed omnia ante faciem ipsorum.* Dicit autem Cardinalis, veterem *interpretem optimè vertisse, non quidem numerando verba Hebraica, sed ea expendendo, & sensum eorum exprimendo.*

Aliud est translator, aliud commentator. conf. infra c. 13. n 2. & 38.

XXXIX. Verum aliud est, translatorem agere, aliud commentatorem: alia verborum, alia rerum interpretatio. Commentatoris est, si quando locus in textu occurrit obscurus ac difficilis, ex scopo dicentis, antecedentibus & consequentibus, analogia fidei, aliisque momentis, veram sententiam rimari, eandemque verbis magis perspicuis & sermone prolixiori ac liberiori exponere, aut saltem, si certi quid statui non possit, quis sensus præ ceteris commodior sibi videatur, indicare. *Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt; quæ obscure scripta sunt, plano sermone manifestant; multorum sententias replicant; & dicunt: hunc locum quidam sic edissernnt, alii sic interpretantur; illi sensum suum & intelligentiam his testimoniis & hac nituntur ratione firmare: ut prudens lector, cum diversas explanationes legerit, & multorum vel probanda*

banda vel improbanda didicerit, judicet quid verius sit, & quasi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet; scribit Hieronymus Apologia 1 contra Ruffinum. At translatori integrum minime est, in versionem infarcire aliquid quod in originali non habetur, ut sententiam exprimat, non quam verba textus primigenii immediate præ se ferunt, sed quam ipsemet, conjecturis quibusdam & probabilibus argumentis nixus, vel præconceptis etiam opinionibus inductus, sibi imaginatur. Esto exemplum. Bellarminus, libro 1 de Purgatorio cap. VI, difficillimi illius totque diversissimis interpretatibus nobilitati loci, 1 Cor. XV, 29. τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; veram & germanam expositionem dicit esse hanc, quod Apostolus loquatur de baptismo lachrymarum & pœnitentiæ, qui suscipiatur orando, jejunando, eleemosynas faciendo; ut sensus sit: *Quid faciunt, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Cujus quidem explicationis aliquot ibidem affert rationes, v. g. quod maxime quadret cum sequentibus, sensumque pariat eundem plane cum loco II Maccab. XII, 44. Ubi non inquiremus nunc in ipsam hanc interpretationem, ejusque fundamenta: id enim alio spectat; sed tantum dicimus, si quis, Græci textus versionem adornaturus, illa Apostoli verba: τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; ita reddere vellet: *Quid facient qui baptizantur baptismo lacrymarum & pœnitentiæ pro mortuis?* annon, ut temerarius & fraudulentus translator, indignationem omnium esset provocaturus, etiam illorum ipsorum, qui alias de baptismo lacrymarum locum

cum hunc cum Bellarmino exponunt? Sane Card. Cajetanus ad duos illos translatores suos, quorum opera in Psalterio ex Hebræo in Latinum traducendo utebatur, *Non est vestri officii*, ajebat, *exponere, sed interpretari. Interpretamini sicut jacet, & relinquetis expositoribus curam intelligendi*; ut in translati illius Psalterii præfationem scribit.

XL. Hæc ad præsens nunc applicentur. Quæstio est, an locum Eccl. IX recte ac fideliter e fonte expresserit Vulgatus? Nos negamus. Neque enim in Hebræo habetur illud: *dignus* odio vel amore; cum aliud sit, odium & amor, aliud, *dignus* odio & amore: non etiam extat in Hebræo adversativa, *sed;* nec istud: *servantur incerta*; ut mittam alia. Quod vero Bellarminus ait, veterem interpretem non verba numerasse, sed sensum expressisse; id eum non magis heic excusat, quam excusaturum esset illum, qui eo modo, ut ante dixi, vertere vellet locum de baptismo ὑπὲρ τ̃ νεκρ̃ων. Sicut enim, quanto difficillior iste Pauli locus, quantoque pluribus dissidentium Interpretum expositionibus obnoxius, tanto audacior merito censendus esset, qui verbis ἐξωτερικοῖς in textum illatis ad sensum sibi probatum accommodare eum vellet: ita de loco etiam Ecclesiasticæ judicandum; qui & ipse dubius est, ac talis, de cujus sensu non convenit inter omnes; uti ingenue fatetur Alphonsus de Castro, libro VII adversus Hæreses, verbo, *Gratia*.

XLI. Ceterum quæ commodissima ejus sit sententia, operose heic disquirere nihil attinet. Pertinet id potius ad controversiam de certitudine gratiæ, ubi testimonium hoc in prima acie solet a Pontificiis locari:

cari. Tantum notetur, quod Bellarminus ait, verisimilem hujus loci intelligentiam esse, non posse hominem, etiam qui nullius peccati sibi conscius, certo statuere, dum heic vivit, justusne sit, an non; id usque adeo non esse vero consentaneum, ut inter ipsosmet etiam Pontificios viri celeberrimi contrarium sentiant. Sic Alphonsus Salmeron, expendens textum illum, in commentario ad II Corinth. XII, disp. XIV, *Hic locus*, ait, *nequaquam probat, quod aliqui inde accipiunt, hominem nescire amorem* DEI *erga se*: & Alphonsus de Castro, cum in prioribus operis sui editionibus dictum hoc tanquam apertissimum pro gratiæ incertitudine testimonium adduxisset, postea illud rejicit, longeque alium ejus esse sensum, palam professus est, loco jamjam citato. Adde quæ habent Cajetanus & Joh. Ferus in hunc locum, Thuanus, Arias Montanus, & Marianus, in suis Paraphrasibus, Pineda in Job. XXI, 26. & P. Suavis sive Sarpius libro II Historiæ Concilii Tridentini, ubi narrat, cum in Synodo illa de certitudine fidei disputaretur, & contra eandem hunc Salomonis locum urgerent Serapidandus, Vega, & Soto; Catharinum, Marinarum, quique cum his faciebant, respondisse, non facere eum ad hanc rem; cum alias concludendum hinc foret, sceleratissimum quemque peccatorum, in peccatis perseverantem, nescire, an Deo sit invisus.

XLII. Objicit amplius sibi Bellarminus ex Chemnitio locum Ecclesiastici V, 5. ubi Vulgata habet: *De propitiato peccato noli esse sine metu*; cum in Græco sit: περὶ ἐξιλασμῷ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ. Respondet autem, varias heic esse lectiones, ut Cor- *De loco Sir. 5, 5.*

nelius Jansenius in hunc locum ostendat. Quosdam enim codices habere: *de propitiato peccato*; & quosdam: *de propitiatione*, sive, *de propitiatu peccati*. quæ posterior videatur melior, cum sit conformior Græco textui. Sed tamen etiam hinc convinci esse falsam hæreticorum sententiam, qua jubeant hominem certo credere, se esse justum, vel fore justum, si ita credat.

XLIII. Ubi sicut non nego, variare heic lectiones Vulgatæ (etenim in editione Norimbergensi, quæ anno ɔlɔ ɔɔɔɔ LXXV ex Antonii Cobergeri officina prodiit, habetur: *De propiciatu peccatorum.* atque sic in nonnullis exemplaribus legi, annotatur etiam ad hunc locum in editione Lugdunensi anni ɔlɔ lɔ xx; uti & translatio vetus Germanica, anno ɔlɔ ɔɔɔɔ LXXXVII Augustæ excusa, habet: **Nit wölleſt ſein on Forcht vñ die vergebung der Sünden**) ita mirari subit, cum Bellarminus lectionem: *de propitiatione* vel *propitiatu peccati*, præferat alteri illi: de *propitiato peccato*; quid moverit ipsum, ceterosque ad eum laborem deputatos Patres Romanos, ut in editione Clementina, quæ reliquarum omnium debebat norma esse, retinerent lectionem minus probatam, nec Græco satis respondentem. Quidquid autem hujus: quod ad Chemnitium attinet, secutus is est lectionem communiorem, (alteram enim illam non ita passim occurrere, vel inde constat, quod Fr. Lucas Brug. cum, post edita jam Clementina Biblia, ex vetustis mss. non paucas collegerit lectionum varietates, hujus nullam omnino mentionem fecerit) & quam hodieq; exhibent codices, quorum auctoritate standum Pontificiis.

num. 2. & infra c. 13. n. 22.

XLIV.

XLIV. Quod vero recepta isthæc & a Chemnitio notata versio textui Græco haud conformis sit, adeo est evidens, ut ipse id Bellarminus diffiteri nequeat: sicut idem agnoscunt etiam in suis commentariis Jansenius ac Tirinus, nec non Bellarmini hyperaspistes Christophorus a Sacrobosco, parte III Defens. cap. VI. Porro an hoc Siracidæ testimonium doctrinæ de certitudine remissionis peccatorum recte a Pontificiis opponatur, alterius loci est disquirere. Heic tantum observentur, quæ Cornelius habet Jansenius, Episcopus Gandavensis, cujus manibus Sacerdos olim inauguratus est Bellarminus. Ubi videlicet reprehenderat ille versionem: *de propitiato peccato*, tamquam Græco non respondentem, mox subjungit: *Quam lectionem contra hæresin nostri temporis, qua docetur, hominem certo credere, sibi remissa esse peccata, plerique citant, ex eo contrarium ostendere conantes; sed argumento non satis firmo: tum quod ea non sit lectio verior, tum quod dici posset, Sapientem securitatem prohibere propter recidivi periculum; cui magis convenit quod sequitur: neque adjicies peccatum super peccatum.* Ad hunc modum *eximius* ille & *candidus sacræ Scripturæ interpres* (sic enim Gretsero nostro audit) Jansenius; cui calculum adjicit, Bellarminum suum heic deserens, citatus ante Sacrobosco. *Vid. Vulgat. Sir. Bell. l. 2. c. 7.* *col. 650. 676.*

XLV. Sequitur locus Ecclesiastici XVI, 15. ubi Vulgatus: *Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum;* cum in Græco sit: πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποίησον τόπον· ἕκαστος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει, id est, ut reddit Arias Montanus: *Omni eleemosynæ fac locum: unusquisque enim secundum opera sua inveniet.* *De loco Sir. 16, 15.*

Quod toto cœlo differt a vulgata versione, ut quæ primo heic e duobus periodi membris facit unum; deinde pro Dativo substituit Nominativum, &, si Ariæ lectioni standum, (nonnulla enim exemplaria habent, ποιήσει) pro secunda persona Præsentis Imperativi, tertiam Futuri Indicativi; tandem infarcit vocem, *meritum*, quæ in Græco non est. Bellarminus, ceteris dissimulatis, postremum ita excusat; quod, licet in Græco non sit ipsum nomem *meriti*, (neque enim vocem Latinam posse ingredi sermonem Græcum) habeatur tamen ibi aliquid quod idem significet, & rectissime per *meriti* vocabulum exprimatur, nempe κατὰ ἔργα. Nam *nemo*, ait, *qui Græcæ linguæ vel tenuissime sit peritus, negare potest, quin* κατὰ ἔργα *significet Latine, pro meritis operum.*

Bell. Græcæ linguæ rudis.

XLVI. Ubi facile id largimur Bellarmino, quod tenuiter admodum oporteat Græcæ linguæ peritum esse, qui dixerit, κατὰ ἔργα significare Latine, *pro meritis operum.* Nam quis tandem illius linguæ tirunculus ignorare queat, κατὰ ἔργα non notare, *pro meritis operum*, sed, *secundum opera*? Et posset sane hæc tam temeraria Cardinalis assertio alicui persuadere, non omnino præter rem Exercit. anti-Baroniana XVI, 150. doctissimum scripsisse Casaubonum: *Est ridicula plane res, hominem Græcarum literarum prorsus* ἀμύητον, (*quod omnia Bellarmini scripta ostendunt*) *judicare velle de Græco scriptore.* Verum de Gretsero quid dicemus, qui ejus linguæ magisterium diversis editis libris est professus? Nam & is Bellarmini sui effatum, quod κατὰ ἔργα Latine significet, *pro meritis operum*, heic tuetur. Eat ergo uterque, &, v. g. in illo κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ

col. 6[illegible].

ποι-

ποιεῖτε, Matth. XXIII, 3. vel in eo: κ) πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν, ἃ ἐποίησάν μοι, ὅτως αὐτοὶ ποιῶσιν κ) σὺ, 1 Sam. IIX, 8. in his, inquam, similibusque locis, κατὰ τὰ ἔργα, Latine reddat: *pro meritis*, sive, *secundum merita operum*; & omnium ludibrio haud dubie se exponet.

XLVII. Neque est ut dicant, e contextu & circumstantiis loci posse dijudicari, quando κ) ἔργα, &, *pro meritis operum*, unum idemque sint. De hoc enim nunc non quæritur: sed ait Bellarminus, quemvis, qui Græcæ linguæ vel tenuissime peritus, scire, quod κατὰ ἔργα significet Latine, *pro meritis operum*; indeque non e contextu, sed ipsa vi vocabulorum, æquipollentiam hanc arcessit. Nam quando, ut vera alicujus phraseos significatio innotescat, opus est consideratione contextus, magnæ imprudentiæ fuerit, dicere, neminem, qui linguæ, cujus est illa phrasis, vel tenuissime sit peritus, ignorare posse, quid ea significet, cum sæpe etiam puer peritiam habeat alicujus linguæ non contemnendam, qui tamen eo nondum pollet judicio, ut ex antecedentibus, consequentibus, aliisque circumstantiis eruat, quæ ex verbis per se non satis sunt manifesta.

XLIIX. Ceterum quod ad præsentem Siracidæ locum attinet, eum de nullis operum meritis agere, ipse Gregorius M. testis est. Explanans namque Psalmum VII pœnitentialem, qui in numero Psalmorum Davidicorum est CXLIII, ad hujus comma IIX: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam*; ita scribit: *Quod si illa sanctorum felicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, ubi erit, quod scriptum est: Et*

tu reddes unicuique secundum opera sua? Si secundum opera redditur, quomodo misericordia æstimabitur? Sed aliud est, SECUNDUM *opera reddere, & aliud,* PROPTER *ipsa opera* (quid autem hoc aliud, quam, pro meritis operum?) *reddere. In eo nim, quod, secundum opera, dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur: ut, cujus apparuerint bona opera, ejus sit & retributio gloriosa. Illi namque beata vita, in qua cum Deo & de Deo vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari.*

De loco Ioel. 2, 13.

XLIX. Pergimus ad locum Joël. II, 13. ubi Vulgata habet: *Præstabilis super malitia;* cum in Hebræo sit, ipsomet Bellarmino vertente: *Pœnitens super malitia,* vel, ut Pagninus & Arias Montanus reddunt: *pœnitens super malo.*

L. Chemnitius noster locum hunc inter ea refert, quæ ab indoctis librariis depravata. Nec certe præter rem suspicari quis possit, irrepsisse illud *præstabilis* in textum pro *placabilis*, qua voce utitur Vulgata Exod. XXXII, 12. ubi eadem illa Hebræa, quæ heic apud Joëlem leguntur, videlicet, והנחם על הרעה transfert: *Et esto placabilis super nequitia.* Certe Sacroboscus ait, forte τὸ *præstabilis* Vulgato idem esse quod *placabilis.* Verum ratione literarum ac syllabarum convenientia quædam inter hæc duo & affinitas, ratione significationis omnino nulla.

LI. Bellarminus, genuinum vocis significatum retinens, *præstabilis super malitia*, idem vult esse quod, *excellens in miserando & in pœna condonanda.* At primo, quis umquam mortalium ad hujusmodi quid significandum tali loquendi formula est usus? deinde, qualis

qualis interpres, qui, cum posset verbis propriis ac usitatis, perspicuoque sermone, quod in originali satis aperte dicitur, exprimere, mavult per ambages illud & ænigmata, non tam significare, quam divinandum proponere? Atque hæc me movent, ut pene arbitrer, nec apud Hieronymum, ad cujus heic auctoritatem Bellarminus provocat, scripturam esse satis sinceram; cum certe nusquam alibi Hieronymus Hebræum נחם, quod tamen eodem sensu frequenter occurrit, v.g. Exodi xxxii, 14. Num. xxiii, 19. Jerem. xiix, 8. 10. Jonæ iv, 2. illum in modum vertat. Et insolitas non esse in Hieronymi scriptis istiusmodi ab imperitis audaculisq; librariis invectas corruptelas, hinc inter alia manifesto constat, quod præfationibus in Tobiam & Judith legitur vox *hagiographa*, cum tamen, doctissimorum etiam Pontificiorum judicio, *apocrypha* sit legendum. *Qui error*, inquit auctor præfationis Bibliorum, cum Postilla, ut vocant, Lirani aliisque glossis Basileæ anno superioris seculi VI editorum, *in omnibus, quos viderim, codibibus invenitur, & inolevit (ut puto) ex pietate & devotione exscribentium, qui devotissimas historias horrebant annumerare inter apocrypha.* Vide Tractatum nostrum de Canone Scripturæ capite x, 23.

LII. Tandem quod ad dictum Mich. v, 2. attinet, etiamsi Osiandri expositionem suo loco relinquo, non possum tamen, quin mentem ipsius paulo clarius explicem. Vult igitur ille, quique cum eo heic faciunt; sicut alias ab Hebræis Nomina adjectiva sæpe pro Adverbiis ponuntur, quando cum Verbis construuntur, iidemque, quia Neutro genere carent, pro

De loco Mich. 5, 2.

pro vocibus neutralibus Nominibus utuntur Femininis, quandoque etiam Masculinis: ita & hoc loco id fieri; indeque sic vertenda esse Michææ verba: *Et tu Bethlehem Ephrata* PARUM EST UT SIS *inter chiliadas Juda*. quomodo Es. XLIX, 6. legatur: נקל מהיותך לי עבד *Leve est ut sis mihi servus*, hoc est: nullo modo mihi eris servus. ubi LXX: μέγα σοὶ ἐστὶ κληθῆναί σε παῖδά μου. Matthæum ergo liberius, sine adstrictione verborum, eodem tamen sensu, reddidisse mentem Prophetæ. Idem namque esse; *Parum est ut sis inter Chiliadas Juda*; &: *nequaquam minima es inter Principes Juda*: cum qui dicit, simpliciter aliquem esse in numero vel conditione horum aut illorum, non notet ὑπεροχὴν, sed ἰσοτιμίαν, qui vero ait, parum esse, aliquem numerari vel censeri in hoc vel illo ordine, videatur ἐπαλληκῶς & cum singulari emphasi ὑπεροχὴν designare, sive, obtinere eum ibi locum principem, vel aliquem ex præcipuis, indeque non esse minimum. Sic usitatum etiam esse Græcis scriptoribus, ita per μείωσιν loqui, & per locutionem negativam indicare ἐπίτασιν contrarii; ut cum, v. c. Dionysius Halicarnasseus Romanam historiam vocet οὐκ ἐλαχίστην τ̃ ὑποθέσεων, significans, quod sit una e præcipuis. Denique eidem interpretiatoni favere & ipsa Prophetæ verba, textusque συνέχειαν. Verba: quia Propheta utatur Masculino צעיר loco Feminini. Præterquam enim quod urbium nomina Feminina sint, בית לחם subjectum antecedens esse Femininum; cui deberet subjungi צעירה non צעיר. quod cum non fiat, videri τὸ צעיר adverbialiter sumi. συνέχειαν, quia alias non cohæreant inter se: *Parvula es ut sis* &c. *ex te egredietur*,

ut

ut sit dominator. Quum enim posterius membrum sit ratio prioris, nullum hoc modo datum iri nexum. Ita habet Osiandrina de Michææ loco sententia. Quæ etiamsi forte tam solida non sit, ut ei tuto acquiescere liceat, ingeniosa tamen est, ac talis omnino, ut ipsis etiam Interpretibus Pontificiis quibusdam haud displicuerit.

LIII. Ceterum quod Bellarminus ait, verba Prophetæ, ut a Vulgato translata, optime cohærere, si legantur interrogative, ut legerit Matthæus, qui propterea verterit negative: *Nequaquam minima es*; Matth. II, 6. sciendum, hoc jam olim placuisse Isidoro, idemque probari Ludovico Vivi, ad Augustini de Civ. Dei lib. XIIX, cap. XXX, mentem Prophetæ sic exprimenti: *Quid, tu Bethleem exiguus es? Non es certe: quippe ex quo prodibit Princeps recturus populum meum Israëlem.* Eandem interpretationem & Fr. Ribera aliis præfert expositionibus, pluribusque propugnat in suo Commentario, citans in hanc rem Codices Gothicos Isidori, & Biblia Gothica antiquissima, quæ in Ecclesia Toletana habentur, in quibus legatur: *Et tu Bethleem Ephrata, numquid parvula es?* quam translationem Gothicam heic etiam laudat Gaspar Sanctius. Sed & Cornelius Jansenius, Iohannes Drusius, atque ex nostris felicissimus ille sacrarum literarum interpres Joh. Tarnovius, huic interpretationi subscribunt; vocatque eandem *expeditissimam* H. Grotius, *acutam* Lud. de Dieu, *ingeniosam & commodam* Frid. Spanhemius, Dub. Evangel. XLIV, 9. ut mittamus alios, qui idem heic senti-unt.

LIV. Bellarminus interim sententiæ huic, quam

pridem fuerat amplexus, nuncium misit postea; idque, ut ex Recognitione patet, quia *neque in Codice Hebraico neque in Chaldæo, neque in interpretatione Septuaginta Interpretum, neque in versione S. Hieronymi, ullum invenitur signum interrogationis apud Michæam*; commodissime Matthæum cum Propheta conciliari ratus, si dicamus, *sanctum Evangelistam non verba Michææ referre, sed sententiam adducere atque exponere voluisse. Quamvis autem*, inquit, *Michæas dixerit, Bethlehem parvulam fuisse in millibus Juda, id est, tam exiguam quoad numerum domorum, ut vix digna esset quæ in millibus oppidorum tribus Juda numeraretur; tamen ipse idem satis indicavit, eandem Bethlehem privilegio nativitatis Christi fuisse maximam, & dignam numerari inter principales urbes Juda, cum addidit: ex te mihi egredietur qui regat populum meum Israel. Ad hoc igitur privilegium respexit S. Matthæus, & non ad numerum domorum, vel frequentiam incolarum, & ideo ait: non minima es in Principibus Juda; & adiungit particulam*, enim, *dicens: ex te enim mihi exiet Dux, qui regat populum meum Israel; ut reddat rationem, cur dixerit non esse minimam.*

LV. Ubi monemus, neque sic absoni quid vel novi etiam a Bellarmino afferri, sed quod aliis quoque interpretibus probari videas, tum vetustioribus, Chrysostomo inprimis & Theophylacto; tum quoque recentioribus non paucis, affirmantibus (cum Hieronymo in cap v Amos) *Apostolos & Apostolicos viros in ponendis testimoniis de Veteri Testamento non verba considerare, sed sensum; nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant*; indeque sæpe LXX versionem sequi, sæpe illa tantum verba exprimere quæ ad institu-

tum

tum illorum faciebant. Et, si nobis licet auctorum sententias aliquando citare nostris verbis, utique nec scriptoribus θεοπνεύστοις vitio debere verti, siquidem non stricte verbis Propheticis semper adhærescant; præsertim cum illi fuerint αὐτόπιστοι & ἀνυπεύθυνοι, adeoque ipsis licuerit heic singulari etiam libertate uti. Neque excipiendum, quod Matthæus dicat, *scriptum esse per Prophetam.* Interdum enim aliquid scriptum intelligi αὐτολεξεὶ, interdum κατ' ἰσοδυναμίαν, interdum κατ' λέξιν, interdum κατ' πρᾶγμα, quomodo, v. c. Gal. IV, 22. Apostolus dicat, *scriptum esse, Abrahamum duos filios habuisse*: quod tamen αὐτολεξεὶ nullibi extet. Atque posteriori hoc modo, quod Matthæus refert, apud Prophetam omnino scriptum reperiri.

LVI. Et observetur, e Judæis ipsum R. David Kimchi in locum Michææ, de quo agimus, ita commentari: *Licet in millibus Juda sis parvus* (tamen) *egredietur ex te Judex, qui imperium in Israelem habeat, nempe Rex Messias. Verbum* להיות *explicandum est: Cum inter urbes Judæ referri nequeas, illarum respectu parva es.* Quibus gemina habet R. Abarbenel, *Etsi*, ajens, *oppidum hoc ambitu suo sit exiguum, & incolæ ipsius præ reliquarum urbium civibus nihil habeant peculiare; nihilominus ex te mihi egredietur qui Israeli dominetur: atq; ille est Rex Messias.* Ubi vides, ipsos Judæorum Magistros, subintellecta particula adversativa, *tamen*, affirmare, verborum Propheticorum hanc esse sententiam, angustum murorum ambitum civiumque paucitatem nullatenus fore obstaculo, quo minus ex Bethlehemo oriatur Messias, Dux nempe omnes alios Reges longo post se intervallo relicturus. Quidni igi-

tur Evangelistæ, ὡσεὶ φερασικῶς verba Michææ recensenti, &, quod alias inde colligi oportet, diserte exprimenti, negare licuerit, esse oppidum illud minimum, intuitu tanti Ducis inibi nascituri?

LVII. Verum quia controversia ista huc proprie non pertinet, sed incidenter solum a Bellarmino tangitur, nos unumquemque suo heic sensu abundare sinimus. Id interim dissimulare non possumus, haud videri nobis tanti quæ priori sententiæ opponit Cardinalis, ut ad eam prorsus deserendam merito ipsum compulerint. Nam quod ait, in Codice Hebræo non inveniri ullum interrogationis signum apud Michæam, responderi potest, dari & alia Scripturæ loca, ubi æque deficit ה interrogativum, ac verba nihilominus capiuntur ἐρωτηματικῶς. Ita, v. g. Job. XL, 20. Vulgatus cum Interpretibus aliis habet: *An extrahere poteris Leviathan hamo?* nulla occurente in Hebræo interrogationis nota: observarique præterea solent a viris doctis, ubi itidem ἐρωτήσεως absit indicium, loca Gen. XXVII, Num. XXIII, Deuter. XX, II Sam. XIX, I Regg. I, II Regg. V & XIX, Nehem. VI, Jes. XXIX, XXXVI, XXXVII, Jer. XXV, Ezech. XXXIII, Jon. IV, & similia. Porro, quod Chaldæus, LXX, & Hieronymus, non subintellexerunt in textu Michææ ה interrogativum, huic nondum consequens est, neque ab aliis debere subaudiri. Sed hæc operosius persequi nostri nunc non est instituti. Consulat, qui plura eam in rem desideraverit, Spanhemii Dubia Evangelica, dub. XLI, seqq. atque amici nostri veteris, Dn. Johannis Frischmuthi, Harmoniam Michææ V & Mathæi II, anno LXII Jenæ editam.

CAPUT XIII.

Caput XIII.

De
Locis, quæ in Psalmis male reddita esse a Latino Interprete, Calvinus disputat.

1.

PRogreditur porrro Bellarminus ad vindicanda loca, quæ in Psalmis editionis vulgatæ male reddita in Antidoto Concilii Tridentini notavit Calvinus. Ubi primo occurrit locus Psalm. II, 12. *Apprehendite disciplinam.* quem vitio Latini interpretis depravatum ait Calvinus, cum in Hebræo sit נשקו בר, *Osculamini filium.* Respondet autem Bellarminus, quamvis ad verbum in Hebræo sit: *osculamini*, sive, *adorate filium*; tamen sensum ejus loci rectissime versum per, *apprehendite disciplinam.* Nempe sensum illius: *osculamini filium*, esse dicit: agnoscite, filium Dei esse verum Regem & Messiam vestrum, osculando illi manum honoris gratia: porro, agnoscere, filium esse Regem & Messiam, non aliter posse nos, quam fidem & doctrinam ejus recipiendo; nihil autem aliud esse: *apprehendite disciplinam*, nisi, eruditionem & doctrinam filii Dei recipite. Ita Bellarminus. *De loco Ps. 2, 12.*

II. Verumenimvero, si illa Psalmi II verba, נשקו בר, recte vertuntur: *apprehendite disciplinam*, ob rationes a Cardinali adductas; quidni etiam hæc, v. c. Deuter. VI, 13. את יהוה אלהיך תירא, vel ista Matth. IV, 10. Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις; cum heic eædem rationes militent? imo cur non illa Salvatoris: Σιμὼν Ἰωνᾶ, φίλεις

πόιμαινε τὰ πρόβατά μου, Joh. XXI, recte vertérentur? Pontifex Romane, esto judex infallibilis omnium controversiarum fidei? cum, docente Bellarmino lib. IV de Rom. Pontif. cap. III, iis Christi verbis Pontifex sit institutus Doctor totius Ecclesiæ infallibilis. Nimirum aliud est, textum vertere, sive ex una lingua in aliam transferre, aliud, e textu argumentari, vel per consequentias aliquid deducere. Fido translatori non licet a verbis tam longe discedere, & audaciam suam nescio cujus sensus obtentu excusare.

Aliud est, textum vertere, aliud, e textu argumentari. conf. infra n. 38.

III. Quomodo vertendus sit locus, de quo agimus, si sententiam velis exprimere, tradit Hieronymus Apologia I contra Ruffinum; נשקו *nascu*, inquiens, *ut verbum de verbo interpreter*, καταφιλήσατε, *id est, deosculamini, dicitur. quod ego nolens transferre putide, sensum magis secutus sum, ut dicerem, adorate. Quia enim qui adorant solent deosculari manum, & capita submittere, — & Hebræi, juxta linguæ suæ proprietatem, deosculationem pro veneratione ponunt id transtuli, quod ipsi intelligunt, quorum verbum est.* En, expositurus sensum, pro, *osculamini filium*, transfert: *adorate filium.* Quæ versio quantum distat ab illa vulgata: *apprehendite disciplinam!* Confer heic quæ præcedenti capite XII, 38. monuimus.

IV. Porro, non esse heic Hebræi ac Latini textus eandem plane sententiam, inde manifesto constat, quod non possumus ex utroque eodem modo & æquali robore adversus Judæos ac hæreticos divinitatem Christi negantes argumentari. Nam Bellarminus ipsemet supra capite II, *Certe*, inquit, *in 2. Psal. Latini & Græci habent: Apprehendite disciplinam, ne irascatur*

tur, id est, reverentiam exhibete filio Dei, ne ipse irascatur, &c. qui locus est invictissimus contra Judæos. Idem etiam, divinitatem filii ex hoc loco demonstraturus libro I de Christo cap. V, Hebræum fontem urget. Sed & Galatinus, lib. III de Arcanis Catholicæ veritatis cap. VI, diserte agnoscit, non posse ex Latina translatione contra Judæos quidquam heic probari. Cum enim, demonstraturus adversus ipsos, Messiam esse filium DEI, ursisset verba Hebræa: נשקו בר, & vero Hogostratus exciperet, quod Vulgata heic habeat: *Apprehendite disciplinam*; reponit: *Author nostræ editionis, æquivocatione vocabulorum deceptus, multa longe aliter transtulit quam veritas Hebraica habeat.* Ut ita, vel ipsius Bellarmini & Galatini judicio, frustra oporteat esse Gretserum, dum adeo audacter, more suo, pronunciat, posse ex vulgata Latina formari argumentum, quod *iisdem penitus lacertis adversus Judæos & Arianos pugnet, quibus illud ex altera translatione* (osculamini filium) *deductum*: item, quidquid contra Judæos efficit hæc versio: *osculamini filium*; hoc etiam efficere istam: *apprehendite disciplinam.* col. 640. col. 639.

V. Dicit Bellarminus: quemadmodum Vulgatus hunc locum transtulit, sic eundem vertere Chaldæum, sic Græcum, sic omnes veteres Græcos & Latinos hactenus legisse. Eaque ratio tantopere illum movit, ut, absurda absurdis cumulans, ipsum Hebræum textum mutationis aliquid heic passum esse, aut etiam נשקו בר *disciplinam* significare, contra omnium & codicum fidem, & Hebraice doctorum consensum, suspicari malit, quam in vulgata Latina errorem agnoscere. Ita namque in sua Psalmorum explanatione scribit:

scribit: *Cum Septuaginta Interpretes doctissimi fuerint, & textus optimos habuerint, & in translatione hujus loci nulla sit apud Græcos varietas, & (quod magis est mirum) Chaldæus etiam Paraphrastes reddiderit: accipite doctrinam, suspicor omnino, vel in Hebræo aliquid mutatum vitio temporum, aut certe vocem Bar non solum, filium, & puritatem, sed etiam disciplinam significare, præsertim cum aliqua litera superaddita. Quemadmodum enim apud Græcos a voce παῖς, id est, puer, fit nomen παιδεία, id est, disciplina, quod est in hoc loco Psalmi: ita fieri potest, ut a voce Bar, id est, filius, fiat aliquod nomen, quod significet disciplinam, quæ maxime filiis a parentibus debetur.*

VI. Verumenimvero, quod ad Chaldaicam attinet paraphrasin, notum est, quam illa frequenter a verborum proprietate discedat. De Græca translatione quid habendum, suo loco, nempe supra capite VI, diximus. Illa vero quia communiter olim erat recepta, non mirum, priscos Doctores, Hebræi textus ignaros, ut alibi, sic etiam heic, ejus fidem fuisse secutos. Quod autem *omnes* veteres sic legisse ait Cardinalis, ut habet Vulgata, id, nisi per hyperbolen excusetur, verum non est. Et mirari subit, cum paulo post, agens de verbis Psalmi IV, ita omnes Græcos ac Latinos versionem τ̃ LXX sequi scribat, ut diserte excipiat Hieronymum, cur non heic qnoque id faciat: cum utique idem Hieronymus etiam locum Psalmi II, de quo agimus, bis aliter verterit, quam est in Græco & vulgata; semel in sua Psalmorum translatione ex Hebræo, ubi habet: *Adorate pure*; deinde in commentariolis, quos Apologia I adversus Ruffinum citat,

tat, ubi se reddidisse ait: *Adorate filium.* Porro veteribus haud dubie annumerandus est, quisquis etiam ille qui commentaria in Psalmos edidit, Hieronymo, sed perperam (ut ipsimet Pontificii, Sixtus Senensis lib. IV Bibl. sanctæ, Melchior Canus lib. II Loc. Th. cap. XIV, aliique agnoscunt) vulgo tribui solita. Jam vero & ipse commentario in Psalmum II legit: *Adorate filium.* Et si maxime cum Bellarmino statuas, non esse hæc commentaria plane diversa ab illis Hieronymi commentariolis, quorum in Apologia contra Ruffinum ipse meminit, manet tamen, auctorem, qui, ut censet Bellarminus, seculo quinto ex Hieronymi aliorumque Patrum scriptis ea compilavit, calculo suo approbasse, imo suam omnino fecisse, isthanc versionem: *Adorate filium.* *lib. de Script Eccl.*

VII. Porro vindicaturus locum Psalmi IV, 3. Bellarminus, ubi Vulgata habet: *Filii hominum usq. quo gravi corde?* cum in Hebræo sit: *usquequo gloriam meam in ignominiam? valde verisimile esse* ait, *corruptum esse textum Hebræum vitio librariorum. Nam*, inquit, *si mutetur* כ *in* ב, *& puncta mutentur, fit*, gravescorde, ut quid? *nimirum sic:* כבדי לב למה Chebode leb lammah, *& sine dubio sic legerunt Septuaginta, quorum versionem omnes Patres Græci & Latini sequuti sunt, præter Hieronymum, qui, quoniam aliter legit, vertit: inclyti mei.* *De loco Ps. 4, 3*

IIX. Ubi observa, quam belle in disputationibus suis noster sibi constet Bellarminus. Etenim hoc capite, non tantum in præsenti loco Psalmi IV, sed & paulo post Ps. XXXII, 4. LXVIII, 12. Hebræum textum corruptum esse disputat. At vero supra capite II, *Bellarmini inconstantia*

quando demonstraturus erat, Hebræos codices nec ante nec post Augustini & Hieronymi tempora fuisse depravatos, ad posterius evincendum tali argumento utebatur: *Si post illorum Patrum tempora depravatio illa contigisset, quæ caussa reddi posset, cur Psalmorum interpretatio Hieronymiana ita cum textu Hebraico, qui nunc extat, IN OMNIBUS conveniret? & tamen de Psalmorum depravatione præcipua querimonia est.* Unde sic licet concludere:

Qui textus Psalmorum in omnibus convenit cum interpretatione Hieronymiana, is non potest esse corruptus in citatis illis locis Psalm. IV, XXXII, LXVIII.

Atqui textus Psalmorum Hebræus, qui nunc extat, in omnibus convenit cum interpretatione Hieronymiana.

E. idem non potest esse corruptus in citatis illis locis.

Minor clare continetur verbis Bellarmini jamjam productis: Sed & Major manifesta. Hieronymus quippe in interpretatione sua secutus est textum Hebræum minime corruptum, eundemque accuratissime expressit: quæ omnia memorato loco fatetur, partim quoque demonstrat, Bellarminus.

IX. Nec est ut excipias, eorum quidem opinionem ibi impugnare Bellarminum, qui volunt, Judæos in odium Christianæ fidei multa codicis Hebræi loca studiose depravasse; interim non negare, sed etiam exemplis in medium allatis adstruere conari, quod incuria librariorum similive casu leves hinc inde errores in originalem textum irrepserint. Quidquid enim hujus, agnoscit sane Cardinalis, vanum esse illam, quam præcipuam esse ait, de Psalmorum corruptione queri-

querimoniam. At quinam isti, qui de Psalmorum corruptione tantopere queruntur? nonne ii, qui, cum de versione Latina cum fonte concilianda, præcipue in Psalterio, desperent, nec tamen in editione, quam authenticam esse jussit Synodus Tridentina, lapsus Interpretis admittere velint, ad Hebræi textus depravationem, tamquam ad tutissimum asylum, confugiunt? Idem vero hoc capite facere Bellarminum, in aprico est. Ut enim Vulgatæ suæ suppetias ferat, loca Psalterii Hebræa, quæ nec Chaldæus, nec Syrus, nec Masoretæ, aliter legerunt, quam in hodiernis exhibentur codicibus, nescio cujus & quam multiplicis corruptionis postulat.

Bell. Grammaticam Hebræam, quam alios docere voluit, ignoravit ipsemet.

x. Sed ut speciatim agamus de præsenti loco Psalmi IV, quid sibi, quæso, vult illud כְּבוֹדִי, quod pro כְּבוֹדִי Bellarminus heic substituit? Ait, esse posse vel Participium passivum verbi כבד, vel Nomen verbale. Quæ quidem miror scribi ab eo, qui Hebræam linguam aliis Grammaticis Institutionibus editis docere est ausus. Primo enim, cum Verbum כבד in Kal ex eorum sit classe, quæ עמדים *stantia* Hebræis dicuntur, sive Intransitiva & Neutra, non posse illud admittere Participium Paul seu Passivum, vel pueri norunt. Deinde, si maxime Participium tale a כבד fingere velles, an ejus Plurale constructum foret כִּבּוּדֵי *chebode*, uti bis heic exprimit noster Grammaticus? Utique secunda radicalis in Paul non cholem habet, sed schureck, idque perpetuo, nisi quod evphoniæ causa aliquando est kybbutz, ut in לָבֻשׁ, Prov. XXXI, 21. Nullum ergo Participium כְּבוֹדִי agnoscit lingua Hebræa. Sed neque Nomen verbale istud כְּבוֹדִי esse potest. Plurale

enim כָּבֵד (aliud autem verbale, quod *grave* notet, non datur) in ſtatu regiminis eſt כִּבְדֵי, Ezech. III, ſ. 6. Quæ cum manifeſta ſint, certe non erat, cur Chemnitio noſtro, Theologo Hebraice doctiſſimo, linguæ hujus ſanctæ imperitiam objiceret Bellarminus, (vide cap. XII, §. *Reſpondeo, falſo*) cujus ne prima quidem rudimenta callebat ipſemet. Confer quæ notata jam ſupra cap. II, ſ. Sed videamus, quid porro afferat noſter ille Hebræus.

XI. Urget nimirum amplius, ſufficere ad veritatem interpretationis, ut ſenſus ſit idem: jam vero, ſive legamus ut habent hodierni codices Hebræi, ſive ut habet vulgata Latina, ſenſum ſemper eſſe eundem. *Deus enim*, ait, *eo loco conqueritur de hominibus, quod, neglectis æternis, diligant temporalia: & quidem ſecundum verſionem Græcam & Latinam vocat eos graves corde, quia tales ſunt vitio ſuo; ſecundum Hebræum textum, ut modo ſe habet, vocat eos gloriam ſuam, ſeu inclytos ſuos, quia tales ſunt beneficio divino, ſi in eis imaginem cœleſtem, non vitium proprium, conſideremus.*

XII. Ubi primo falſum, quod heic Deus conqueratur de hominibus. Non enim Dei verba eſſe, quæ nunc expendimus, ſed Davidis, de adverſariorum ſuorum audacia & nequitia conquerentis, textus oſtendit συνάφεια. Nempe qui heic loquitur, ſub initium ſermonis Deum invocat, ſuamque ab eo orationem gratioſe exaudiri petit, comm. 2. hinc de inimicorum ſuorum calumniis ac mendaciis queritur, comm. 3. eosque ad agnitionem conſilii & mirificæ protectionis Dei revocat, comm. 4. porro, ut ſuper ſe lumen vultus ſui attollat, a Deo petit, comm. 7. unde

de ex animo gaudeat, comm. 8. & ſecure habitet, comm. 9. Quæ omnia non Deo, ſed Davidi conveniunt. Deinde, licet reſpectu diverſo iidem homines dici poſſint, & graves corde, & gloria Dei, hinc tamen nullatenus ſequitur, iſta duo, eſſe gravem corde, & eſſe gloriam Dei, ita æquipollere, ut unum poſſit ſubſtitui pro altero in verſione textus iblici. Certe idem Deus in ſacro Codice audit, & *ignis conſumens*, *Deusque Zelotes*, Deut. IV, 24. & *Deus miſericors*, ibid. comm. 31. ſi quis vero dicere vellet, ſenſum eſſe eundem, ſive comma illud 24. interpreteris: *Jhova eſt ignis conſumens & zelotes*; ſive: *Jhova eſt miſericors*; propterea quod idem ille Deus, qui zelotes eſt ignisque conſumens reſpectu transgreſſorum legis, ſit miſericors intuitu eorum qui vocem ipſius audiunt; annon perverſio hæc potius foret ſacri textus quam verſio?

XIII. Ad locum Pſ. XXXII, 4. ubi Vulgata habet: *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*; Hebræus autem textus, vertente Aria Montano: *Verſus eſt humor meus in ſiccitates æſtatis*; reſpondet Bellarminus, in hoc loco Vulgatum non poſſe reprehendi, cum non verterit ex Hebræo, ſed de Græco transtulerit in Latinum, Græcus vero textus Latino optime heic reſpondeat. Videri autem LXX Interpretes paulo aliter legiſſe textum Hebræum, quam modo ſe habet, ac proinde eſſe errorem ſcribarum in Hebræo. *De loco Pſ. 32. 4.*

XIV. Verum, ſi vel maxime concedatur, Vulgatam heic ex aſſe reſpondere translationi Græcæ (de quo tamen adhuc dubitari poſſit: nam illud, ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθα, ſignificat: *dum infigitur mihi ſpina*;

non, ut Vulgata habet: *dum configitur ſpina*; quorum verborum nullus plane eſt ſenſus,) quid hoc ad præſens? ubi non quæritur, an Vulgata recte expreſſa ſit e Græco, ſed, an ſit conformis fonti, id eſt, textui Hebræo; quem ſolum agnoſcimus in V. T. normam verſionum omnium, ſive Latinæ illæ ſint, ſive Græcæ, ſive aliæ. Et ſane, dum Bellarminus præpoſtera ratione Hebræum textum heic emendat ex translatione LXX virali, prorſus immemor eorum eſt quæ ſupra capite VI ſcripſit, nempe, illam τῶν LXX verſionem *non eſſe incorruptam, ſed valde vitiatam in pluribus locis, ut jam tutum non ſit Hebraicos vel Latinos textus ex Græcis codicibus emendare*; & quidem fuiſſe eam multis in locis corruptam jamtum ante tempora Juſtini Martyris, quem floruiſſe conſtat circa medium ſeculi II; quin laborare erroribus, ab illis ipſis, *qui primi deſcripſerint libros ex Bibliotheca Regis Ptolomæi*, atque ita longe ante vulgatæ Latinæ natalem, invectis: ſed nec ejus recordatur, quod capite IX affirmavit, vulgatam Latinam non eſſe ex pura interpretatione LXX Seniorum, ſed ex editione communi, quam multis modis ab iſta differre ibidem agnoſcit. Horum, inquam, omnium obliviſcitur hoc capite Bellarminus, dum toties tamq; confidenter ad LXX Interpretum auctoritatem provocat, ac ſi extra omnem controverſiam eſſet poſitum, quod germanam intemeratamque ipſorum translationem fuerit ſecutus qui Latinam Pſalterii verſionem condidit. Vide ſupra cap. IX, 5. Nimirum ſcenæ inſervire novit Cardinalis noſter egregie. Quando enim Vulgata diſcrepat a textu Græco, & magis convenit cum Hebræo; quod fieri ait in omnibus V. T. libris

T. libris extra Psalterium; depravationis arguit Græcum, & Hebræum intemeratum pronunciat, *ne* scilicet *fateri cogatur, vulgatam editionem Latinam, quam Tridentinum Concilium authenticam esse judicavit, totam quoque esse corruptam*; uti habent ejus verba capite VI. cum quibus confer caput II, ubi omnia illa loca, quæ aliter nunc in Hebræo haberi nonnulli affirmant quam olim ibi fuerint lecta, genuina esse & inviolata hinc ostendit, quod eodem modo, quo in hodiernis codicibus Hebræis extant, extent etiam in vulgata Latina. Quando autem Vulgata discordat ab Hebræo, ac magis respondet Græco, corruptionis insimulat textum Hebræum, eique præfert Græcum, tamquam magis genuinum; (uti hoc capite, & commentario in Psalmos) ne videlicet & heic Vulgatæ suæ cogatur errores fateri. Confer infra num. XXIV.

XV. Sed, inquit Cardinalis, *si, cum videmus, in Latino textu facile potuisse aliquid mutari à librariis propter literarum similitudinem, & non potuisse in Hebræo, dicimus, errorem librariorum esse in Latino; cur hoc loco, ubi facile potuit fieri error in Hebræo, & non in Græco, vel Latino, non etiam dicemus, in Hebræo errore librariorum textum esse immutatum?*

XVI. Resp. Longe alia heic ratio est textus Hebræi, quam Latini. Hebræi textus sinceritatem quanta solicitudine jam inde ab antiquo custodiverint Judæi, docet Bellarminus ipsemet supra capite II, *Scribit Philo*, inquiens, *in libro de egressu filiorum Israel ab Ægypto, & citatur etiam ab Eusebio libro 8. cap. 2. præparat. Evangel. usq; ad sua tempora, per spatium amplius quam duorum millium annorum, ne verbum quidem fuisse unquam*

in

in lege Hebræorum immutatum; & quemlibet Judæum centies potius moriturum, quam ut pateretur, legem in aliquo mutari. Et quid aliud sibi voluit stupendus ille Masoretarum labor, dum singulos Hebræi codicis versus, voces, & literas numerarunt, omnemque ipsorum varietatem annotarunt, quam ut sacri textus genuina lectio ab omni depravatione æternum servaretur incolumnis, & ne jota quidem excidere inde posset, minimumve in eo punctum mutari? De Latino autem Vulgatæ textu tantum abesse ut similia dici queant, ut potius contrario modo heic se habeant omnia, jam tum supra cap. x, 35. xi, 6. a nobis ostensum. Nil igitur mirum, si hinc inde depravationem passa editio Latina, qualem non æque experta originalis Hebræa. nam & Chaldaicas paraphrases, quod Masora munitæ non essent, corruptelas passim sensisse, Elias Levita, præfat. III libri Masoreth hammasoreth, agnoscit.

De locō Ps. 38. 8.

XVII. Porro ad locum Ps. XXXIIX, quem Vulgatus transtulit: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus;* cum in Hebræo sit, vertente Aria: *Ilia mea plena fuerunt fœdo;* respondet Bellarminus, verbum Hebræum נקלח & *ignominiam* & *ardorem* significare: *quocirca Davidem loqui de eo pruritu ac ardore libidinis, qui, dum in corpore existit, illusiones in mente gignit.* Nam *Græcum interpretem, quem Latinus, & (quod magis mirum) Chaldæus sequutus, effectum pro causa posuisse; quod neq; novum neq; mirum cuiquam videri debeat.*

XIIX. At huic Bellarminianæ interpretationi tota Psalmi συνέχεια reclamat. Loquitur namque David de malis pœnæ ob perpetrata peccata divinitus sibi

sibi inflictis, eaque tam gravia esse conqueritur, ut non in cute tantum, sed intus etiam in ipsis intestinis, vilis ille status, qui appareat in vultu & incessu, ortum habeat, utque viscera sua nimio dolore sint pene torrefacta, quemadmodum in illis, quibus ardet jecur, inflammantur pulmones, & omnes corporis partes fiunt emarcidæ. Pruritum & ardorem libidinis in statu adeo misero totque afflictionum concursu tribuere sancto illi viro, id vero nimis est absurdum. Et quam durus quamque insolitus loquendi modus, quo illusiones ponuntur pro ardore libidinis! Utut enim neque novum neq; mirum sit, effectum poni pro causa in sermone improprio, notum tamen & hoc vel in trivio, tropos non debere esse nimis longe petitos, nimisque obscuros. Ceterum quod ait Cardinalis, versionem hujus loci Græcam non Latino tantum interpreti, sed & Chaldæo arrisisse, inanis est jactantia. Nam Græca translatio habet: αἱ ψόαι μου ἐπλήσθησαν ἐμπαιγμάτων, cui quidem respondet Latina vulgata, vertens: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* At Chaldæus reddit: כסלי אתמלין קדחתא *Ilia mea plena sunt inflammatione*, vel, *adustione.* Quæ cum Hebræo magis convenire quam cum Græco, manifestissimum est; cum in Hebræo sit: כסלי מלאו נקלה quod Pagninus reddit: *Ilia mea plena fuerunt ardore:* quemadmodum ipse etiam Bellarminus, נקלה & *ignominiam* & *ardorem* significare monet.

XIX. Ad locum Ps. LXIIX, 7. quem Vulgata reddit: *Qui habitare facit unius moris in domo*; cum in Hebræo sit, vertente Aria: *Faciens habitare unicos in domo*; respondet Bellarminus, *verba Hebræa optime re-* *De loco Psal. 68. 7.*

cipere plures sensus, & omnes veros; interque illos etiam hunc, quem LXX & Latinus expresserint: *Qui in domo sua, quæ est Ecclesia, habitare facit homines unius moris, id est, unius fidei, unius spei, unius voluntatis. Neque hic sensus*, ait, *ab Hebræa voce discedit: nam* יחידים *jechidim, venit à verbo* יחד *jachad, id est, unire; inde fit* ידיח *jadich,* (יחיד dicere voluit) *unitus, sive, unus e multis compositus.*

XX. Ubi an verum sit, quod supponit Cardinalis, posse unius Scripturæ dicti plures esse sensus literales, alterius loci est disquirere. Quantum vero ad præsentem attinet, quam tentat, Latinæ versionis cum textu Hebræo conciliationem, nititur ea hypothesi aperte falsa, nempe, quod יחיד notet *unitus*. Nullibi enim hæc vox isto sensu capitur; sed semper designat *unicum, solitarium, desertum*. Vide Gen. XXII, 2. Jud. XI, 34. Ps. XXII, 21. Jer. VI, 26. Cui non obstat significatio *adunandi*, quam habet radix יחד, cum nemo ignoret, non eundem exacte significatum in Hebræo semper esse radicis, & eorum quæ inde descendunt. Porro si maxime יחידים heic denotaret *unitos*, eo tamen nondum esset probatum, quod notet homines *unius moris*. Neque enim statim, qui sunt uniti, sunt etiam unius moris, &, unitos homines habitare in domo, idem plane est quod, unius moris homines habi-
vol. 653 tare in domo: uti inepte scribit Gretserus. Nam quoties contingit, eos qui uniti in eadem republica, vel alias unius societatis aut collegii membra sunt, non esse unius moris? imo quoties accidit, ut ne quidem illi, qui in eadem domo habitant arctissimo illo matrimonii vinculo uniti, moris sint unius? Annon *Esau & Jacob*

Iacob fratres fuerunt; & quia simul habitabant, fuit eis causa discordiæ? dicente Hieronymo in Ps. CXXXII, 1. Tandem interpretatio ista Bellarminiana, qua de Ecclesia, cujus membra unius fidei, spei, ac voluntatis, locum hunc explicat, ab ipsa textus συνεχεία refellitur. Ubi enim Propheta DEUM appellasset Patrem pupillorum, & defensorem viduarum, pergens in laudibus ejus commemorandis, subjungit, quod יחידים, id est, orbos ac solitarios, nulla cognatione, nulla amicitia, nullis facultatibus pollentes, sic augeat, locupletet, ornet, ut habeant, in quibus & liberi sint & servi, familias. Unde simul patet, quam a Davidis mente alienа sit illorum expositio, qui, non improbante Bellarmino, de eremitis ipsum heic loqui opinantur, hoc sensu: *Facit* Deus, *ut quidam, præ amore cœlestis contemplationis, relicta frequentia ad loca deserta se recipiant, & soli habitent.* Sed pergamus.

XXI. Eodem Psalmo, commate eodem, Vulgata legit: *qui habitant in sepulchris*; quod, monente Calvino, secundum fontem reddi debuerat: *in siticuloso loco.*

XXII. Respondet Bellarminus, negari quidem non posse, quod vox Hebræa צחיחה *locum arentem & siccum* designet; sed neque credibile esse, id ignorasse Græcum interpretem (quem scilicet heic secutus est Vulgatus) cum vocabulum sit satis notum. Voluisse igitur ipsum exprimere horrorem deserti illius, unde Deus populum suum eduxit, quod quidem instar sepulchri fuerit visum. Ita, inquam, Bellarminus. Cui nihil heic reponimus, nisi quod transigere eum jubemus cum socio suo & hyperaspiste Gretsero; qui

col. 456. supra capite 11 hanc tradit regulam hermenevticam: *boni Interpretis officium postulare, ut, quando verbum æque aptè per aliud verbum ejusdem prorsus significationis exprimi potest, non exprimatur per aliud prorsus metaphoricum.*

Ibid. comm. 12. XXIII. Rursus eodem Psalmo, commate 12. in Vulgata sic legimus: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus dividere spolia. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Quæ ænigmata esse, unde se nullus Oedipus expediat, merito scribit Calvinus. Et ipse sane Jesuita Tirinus, præfatione sui in Scripturam universam commentarii, hunc locum inter ea numerat, de quibus quæsitos etiam insignes Theologos Pontificios, non semel magno suo rubore cespitantes hæsitantesque viderit, nec quidquam ad rem respondentes.

XXIV. Cardinalis tamen noster, ut ne heic quidem editionem authenticam deserat, respondet primo: *non posse accusari Latinum interpretem, qui verterit fidelissime quod in Græco repererit.* Sed illi effugio jam occurrimus supra num. XIV, quando diximus, non quæri nunc, an vulgata Latina fideliter conversa sit ex Græco; sed, an respondeat Hebræo, tanquam omnium translationum fonti. Porro ait: *posse facile Hebræum textum ad* Vulgatæ *lectionem accommodari*, (scilicet textus originalis accommodandus est ad translatitium!) si nempe, quod ipse facit, literas, puncta, voces, sententias, mutes. Verum neque hanc conciliandi rationem ullo modo procede-

re,

re, citato loco jam tum evicimus. Tandem expositionem affert Latini textus, ipsa translatione ferme obscuriorem magisque vitiosam. Quæ cum suamet absurditate concidat, neque etiam de expositione locorum proprie nunc agatur, sed versione, nolumus ei examinandæ heic immorari.

xxv. Amplius hoc ipso Psalmo commate 17. Vulgata legit: *Quid suspicamini montes coagulatos?* quæ neque cum Hebræo conveniunt, neque ullam commodam admittunt sententiam. Respondet Bellarminus: *Cum verbum illud, רַצַד, ratsad, non nisi hoc loco inveniatur, & tot sint fere expositiones hujus verbi quot sunt interpretes,* interim *necessario Interpretum judicio* heic *acquiescendum sit, quis non videt,* LXX *Interpretes omnibus aliis anteponendos esse, præsertim cum eorum versionē Catholica Ecclesia tam longo usu approbaverit?* *Ibid. comm. 17.*

xxvi. Verum quæ de interpretatione LXX virali adeo magnifice heic prædicat Cardinalis, ea quam sint vana, jam supra, num. xiv, fuit ostensum. Nunc solum dicimus, quandoquidem, velut ex ibi memoratis patet, Bellarminus fatetur, τὴν LXX editionem jam ante multa secula, imo vero ab his, qui *primi* ex bibliotheca Ptolomæi exempla sua descripserint, fuisse vitiatam, & ita, ipsomet judice, certum nullatenus est, utrum, quæ vel hodie in ea leguntur, vel Latini interpretis tempore fuere lecta, a LXX illis Senioribus profecta sint; annon heic, ubi de genuino significatu vocis רַצַד quæritur, tutius longe, eos audire, de quorum singulari in Hebraicis doctrina certo constat? Jam autem horum nemo talem isti vocabulo significationem tribuit, qualem ipsi affricat versio, quæ sub augusto τῶν LXX nomi-

ne vulgo circumfertur. Targum heic habet טפזין *exsilitis*, atque sic alii Hebræi; quomodo etiam Pagninus reddit: *saltatis*. Nonnulli aliter interpretantur; nemo tamen sic ut Græcus.

Ibidem comm. 19. XXVII. Iterum eopse Psalmo commate 19. Vulgata habet: *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*; cum in Hebræo sit: ואף סוררים *etiam rebelles*. Nec potuit eorum verborum sententiam exponere Genebrardus, ni pro Vulgatæ suæ, *etenim*, substitueret Hebraicum, *etiam*. Nequit autem heic solita sua exceptione uti Bellarminus: *non posse accusari Latinum interpretem, qui verterit fidelissime quod in Græco repererit*; siquidem voces, *Dominum Deum*, in Græco reperire non potuit, ut quæ non extant ibi. Nimirum ita habet Græca translatio editionis Sixtinæ: καὶ γὰρ ἀπειθοῦντες τοῦ κατασκηνῶσαι.

XXIIX. Ubi, Latinam cum Græca versione con-
col. 664 ciliaturus, primo, ἀπειθοῦντες mendum esse typographicum, suspicatur Gretserus, quod irrepserit pro ἀπειθοῦντας. Verum quod non ex errore typographi, sed ipsorummet editorum cura, in Romana illa editione sic legatur, in suis ad eam notis satis innuit Flaminius Nobilius: exhibetq; eandem etiam lectionem textus LXXviralis Bibliorum πολυγλώττων Anglicanorum ex ista Romana edititione depromptus: quem licet cum Aldina, sive Veneta & Complutensi, vetustissimo item mscr. Alexandrino, contulerint qui operi illi præfuere, &, ut editor Waltonus scribit, *discrepantias omnes annotarint*, ratione tamen vocis ἀπειθοῦντες, de qua agimus, nullam has inter Sixtinamq; editionem diversitatem observarunt.

XXIX

XXIX. Porro idem Gretserus ait, etiamsi illud: *Dominum Deum*, quod in Vulgata est, in Græco non expresse ponatur, subintelligi tamen; *quia*, inquit, *sermo est de Deo, qui etiam* non credentes *seu* rebelles *sibi sumsit, ut in eis, tanquam in suo domicilio, habitaret.* Sed quam inane hoc effugium! Si quid heic subintelligendum, an ex Græco textu potuit constare Vulgato, quod præcise subaudienda verba: *Dominum Deum*? Cur non subintellexit *domum Dei*; ut sententia esset: cepisti etiam rebelles, ut inhabitarent domum tuam, id est, Ecclesiam? Et sane translatori integrum haud esse, pro lubitu in versionem infarcire quæ in originali non habentur; ac aliud esse, Scripturas ex una lingua in aliam transfundere, aliud, commentario easdem illustrare, jam tum supra capite XII, 39. fuit monitum. col. 665

XXX. Amplius, ubi Psalmi illius commate 23. Vulgata habet: *Convertam in profundis maris*; Hebræus vero textus, ex Pagnini ac Montani versione: *faciam redire de profundis maris*; Bellarminus primo respondet: posse recte ex Hebræo verti: *in profundum*; idque testari R. David, qui מן pro ב interdum usurpari scribat, ut Deuter. XXXIII, 2. Ibid. comm 23.

XXXI. Verum si maxime מן aliquando idem quod ב notat, an inde sequetur, etiam hoc loco ita id posse accipi, ubi longe aliud contextus postulat? Et tantum abest, ut illud affirmet, ad cujus testimonium provocat noster, R. David Kimchi, ut ne quidem in Deuteronomii loco eam particulæ מן significationem ipse agnoscat, sed solum, quid alii heic sentiant, exponat; non diffitente Gretsero.

XXXII. Deinde ait Cardinalis: esse varias lectiones

nes tam in Græcis quam in Latinis codicibus; cum alii, *in profundum*, alii, *in profundis*, legant. *Quæ lectio posterior*, inquit, *& verior esse videtur, & cum Hebraica voce satis cohæret. Nam quid aliud est: Convertam in profundis maris; quam, eos etiam, qui sunt in profundis maris, extraham, & convertam?*

Vid. supra cap. 12, n. 2. & 43.

XXXIII. At si verior ista lectio: *in profundis*; cur in editione Clementina prætulerunt alteram? Annon in editione, quæ ceterarum omnium debebat esse norma, lectionem exprimi par erat veriorem? Sed nimirum pensi nihil habet Bellarminus, demoliri quæ extruxerat ipsemet, omnesque partes sustinere, ut Vulgatæ suæ auctoritati quaque ratione consulat. Confer supra num. XIV.

Ibidem comm. 28.

XXXIV. Adhuc eodem Psalmo, commate 28. in editione vulgata legitur: *Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu*, cum Hebræus textus, Pagnino ac Aria vertentibus, pro, *in mentis excessu*, habeat, *dominans eis*.

XXXV. Ait Bellarminus: verbum רודם posse significare, *dominator eorum*, a verbo רדה, & etiam, *alte dormiens*, a verbo רדם, atq; posteriorem hanc lectionem secutos esse Græcum Latinumque interpretem. At falsum, quod רודם notare possit, *alte dormiens*; cum non in Kal, sed Niphal, רדם hujusmodi significatum obtineat, & proinde נרדם requireretur, si locum deberet invenire istud Cardinalis responsum.

De loco Ps. 132, 15.

XXXVI. Tandem Psal. CXXXII, 15. Vulgata habet: *Viduam eius benedicens benedicam*; cum in Hebræo clarissime sit: *Victui benedicam*. Respondet Bellarminus, *si ullus error hic est, esse in Græco. Nam*, inquit, *cum*

cum χήραν & ἡμέραν tantum una litera differant, facile potuit fieri, ut aliqui pro ἡμέραν scripserint χήραν: nam etiam nunc aliqui Græci habent ἡμέραν. Subjungit: Quia tamen sensus fere est idem, & semper in Ecclesia Græca & Latina lectum & cantatum est, viduam, non putarem hunc locum debere mutari. Nam Hieronymus in epistola ad Suniam & Fretellam sapienter monet, ea, quæ in Psalmis Latinis videntur dissentire ab Hebræo, esse quidem notanda & observanda a doctis, tamen non esse propterea mutandum textum, qui tot seculis in Ecclesiastico usu fuit, & tantam obtinuit auctoritatem.

XXXVII. Ubi, quando dicit Cardinalis, si ullus heic error, esse eum in Græco, hæc ipsius verba nihil præ se aliud videntur ferre, quam quod absolute neget, esse ullum in Latino errorem, etiamsi forte aliquis sit in Græco. Sine dubio tamen hoc non intendit, cum in propatulo sit, Latinam versionem Græcæ ex asse heic respondere, ut proinde, si quid peccatum, utrobique peccatum esse oporteat. Sed quia Calvinus conjectat, imperitum aliquem ita corrupisse textum Vulgatæ Latinum, ut ex *victum* fecerit *viduam*; reponit Bellarminus, si quis librariorum culpa irrepserit error, non Latinum textum violatum esse, sed Græcum, quippe ubi facile potuerit fieri, ut pro ἡμέραν scriberetur χήραν. Quod sane non negamus. Nam simili ratione Psalmo LXXIII, §. ex καταπαύσωμεν ortum καταπαύσωμεν, observante, epist. CXXXV, ad Suniam & Fretelam, Hieronymo. Quamvis ergo neget Cardinalis, esse in Latino errorem librariorum, sive corruptelam ex scriptorum inscitia vel incuria natam, non audet tamen inficiari errorem ipsius versionis Latinæ ex depra-

vato textu Græco expressæ. Interim quia sensus fere sit idem, sive *victum* legas, sive *viduam*, & semper in Ecclesia lectum & cantatum sit, *viduam*, non putat heic aliquid debere mutari; cum in tali casu aliud Hieronymus suadeat.

XXXIIX. Verumenimvero, annon sensus omnino mutetur, si pro *victum* in memorato Psalmo legas *viduam*, judicet quivis veritatis amans. Patrocinium quidem Bellarminianæ assertionis suscipit Gretserus, & quod idem heic sensus maneat, ita nititur demonstrare: col. 869. *Si promisit Deus, se victui Sionis largiturum benedictionem, utique etiam viduis Sionis benedictionem promisit; quandoquidem benedictionem non aliter pollicitus est, quam ut ad salutem hominum redundat.* Sed aliud esse, ex textu argumentari, sive per consequentias aliquid eruere, aliud, textum e lingua in linguam transferre, jam supra num. II monuimus. Sequi ex verbis Psalmi Hebraici illud quod vult Gretserus, haud imus inficias: sed in ipsa propterea versione id recte exprimi pernegamus. Notum illud Nazianzeni: *Quædam sunt in Scriptura, nec tamen ibi dicuntur.* Orat. de Spir. S.

XXXIX. Quod autem porro ad Hieronymi auctoritatem heic provocat Cardinalis noster, in eo frustra est. Hieronymus quippe nullam versionem habuit pro authentica; sed in illa ipsa ad Suniam & Fretelam epistola diserte scribit: *Sicut in Novo Testamento, quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo Novum scriptum est Instrumentum: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut, quicquid de*

fonte

fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis. Cum proinde, ceu dixi, Hieronymo nulla versio authentica fuerit, non duxit consultum, ut, si qua translatio longo usu in Ecclesia invaluisset, eique in publicis sacris populus assueviſſet, in illa temere aliquid mutaretur. Vix namque fieri istiusmodi poterat mutatio sine vulgi offensione, uti inter alia docet illa de cucurbita Jonæ historia, quam ad Hieronymum perscribit Augustinus epistola x. Unde etiam Augustinus ipsemet, libro II de Doctrina Christiana, cap. XIII, *Illud*, ait, *quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum: Super ipsum floriet sanctificatio mea; nihil profecto sententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non* floriet, *sed* florebit, *diceretur. Nec quicquam impediet correctionem, nisi consuetudo cantantium.* Sed quid hæc & similia ad vulgatam Latinam, postquam ea a Tridentino Concilio talis est declarata, quæ *in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica* haberi debeat, quamque *nemo* debeat *rejicere quovis prætextu*? An in ejusmodi editione fas erit tolerare data opera, quæ recedunt a textu, quem ex immediato Spiritus sancti afflatu profectum agnoscimus utrinque? Si non plus Vulgatæ suæ tribuerent Pontificii, quam quod præ ceteris versionibus in sacris officiis (ut vocant) illam adhibendam censerent, errata ejus Hieronymi auctoritate possent quodammodo excusare: dum vero etiam in publicis disputationibus & Scripturæ expositionibus ut infallibilem normam eam sequendam statuunt, nihil quidquam pro ipsis facit doctissimus ille Pater; quippe qui expresse ista duo a se invicem, laudato loco, distin-

guit, *Sic psallendum*, scribens, *ut nos*, ex recepto textu Græco, licet ab originali interdum deflectente, *interpretati sumus; & tamen sciendum, quid Hebraica veritas habeat. Hoc enim quod* LXX *Interpretes transtulerunt, propter vetustatem in Ecclesia decantandum est: & illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum.* Ubi vides, permittere quidem ipsum, ut in communibus Ecclesiæ exercitiis translatio adhibeatur, cui usus diuturnitas prærogativam conciliavit, etiamsi cetera non possit in omnibus probari; interim tamen eruditos, & qui accurate Scripturas velint interpretari, ad ipsum fontem remittere. Nihil ergo pro colorandis vulgatæ Latinæ, Pontificiis authenticæ, vitiis & erroribus facit locus Hieronymi a Bellarmino citatus. Quin potius observare debuisset ex illa epistola Cardinalis admonitionem viri sancti, quod nequaquam *STULTA debeamus contentione defendere, si quid scriptorum* ERRORE in textu sacro *mutatum.* Cujusmodi sane mutationes inprimis Psalterium antiquæ editionis deturpasse, ipsimet Pontificiæ Ecclesiæ scriptores primarii ultro fatentur. Sic Guilielmus Lindanus, Episcopus Ruræmundensis, præfatione in Psalterium vetus a mendis sexcentis a se repurgatum, *Cum*, inquit, *hoc postremo seculo plerique Clericorum, alienis plane à sua quisque professione studiis intricati, ac divinorum propemodum incurii, divinos Psalmos, mendis plurimis, iisque fœdissimis, contaminatos, cum illa Cantorum colluvie (quæ magis verborum numeros appendere, ne præcipitare dicam & devorare, quam sensum tenere studet) negligenter maluerint recitare, quàm repurgare, repurgatosque intelligere, ac prudenter sive intelligenter psallere: hinc*

conf. lib. 3. de opt. gen. int. c. 6.

factum

factum tandem, ut tot nunc scateat Psalmorum liber vitiis, mendis, lectionibus variis, manifestisque adeo corruptelis, ut vix spes foret studiosis, posse sua pristinæ reddi integritati germanæque lectioni. Qui periculum fecerit Psalmos castigandi, verissimum comperiet quod nos attigimus. Ita, inquam, Lindanus, ille (ut Possevino audit) *hæresum expugnator*: cujus verbis hoc caput claudimus; sicut Conradi Pellicani testimonio idipsum concludere visum est Bellarmino. *Appar. p. 765*

CAPUT XIV.

DE LOCIS VULGATÆ CORRUPTIS IN NOVO TESTAMENTO.

I.

VIndicaturus loca Bellarminus, quæ in textu Latino N. T. depravationis arguuntur, orditur a dicto Matth. IX, 13. ubi Vulgata habet: *Non veni vocare justos, sed peccatores*; cum in fonte addatur: *εἰς μετάνοιαν*. Cardinalis respondet primo, *in quibusdam Latinis inveniri illam particulam.* Deinde dicit, *verisimilius esse, illam particulam in Græco esse superfluam, & in emendatis codicibus Græcis non fuisse. Nam*, inquit, *B. Hieronymus in commentario eam non legit, & tamen Hieronymus diligenter contulit Græcum cum Latino, & ex Græco Latinum correxit.* Addit denique, non esse necessariam isthanc particulam. *Nam*, ait, *vocare peccatores, non justos, aperte significat, hortari ad pœnitentiam eos qui egent, non qui non egent; quod Dominus paulò antè exemplo Medici illustraverat.* *De loco Matth. 9, 13.*

II. Verumenimvero quod ad primum attinet, inveniri nempe in quibusdam Latinis codicibus particulam de qua agimus, agnoscit sane idipsum in suis Correctionibus Romanis, ut vocat, Franciscus etiam Lucas; sed ita, ut nequaquam illas editiones probet. Sic enim scribit: *Quod in nonnullis codicibus sequitur: ad pœnitentiam; non est hujus loci, sed Luc. 5. v. 32.* Nec ipsummet Bellarminum eam lectionem agnovisse pro genuina, in aprico est: partim, quod verba ista non habentur in Bibliis Clementinis, quorum editioni ipse inter alios præfuit; partim quod statim heic subjicit, verisimilius esse, illam particulam in Græco esse superfluam, & in emendatis codicibus Græcis non fuisse, quam esse eam Latino textui detractam. Tametsi hanc verisimilitudinem nos videre non possumus. Quod enim dicit Cardinalis, Hieronymum, qui diligenter contulerit Græcum cum Latino, eam non legere: reponimus, legere tamen Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium.

col. 703. III. Atqui, ait Gretserus, *hæc nec nescit nec negat Bellarminus: tantum quæritur, quæ exemplaria sint emendatiora?* Sed unde probabit adversarius, emendatiora heic esse exemplaria Hieronymi quam Chrysostomi? aut emendatiores codices habuisse illum, quos secutus sit, quam hunc? Addit amplius; Bezam scribere, quod in duobus vetustis exemplaribus hæc verba defuerint. At vero si defuerunt in duobus, lecta tamen sunt in reliquis septendecim. Cum novendecim enim vetustissimis codicibus Græcum N. T. textum se comparasse, in præfatione testatur Beza. Imo cum editores operis Anglicani πλυγλώτ annotarint vari-

variantes lectiones, quas non tantum ex sedecim antiquis exemplaribus Rob. Stephanus, ex totidem Marchio Velesius Petrus Fraxardus Hisp. ex aliis, in Bibliis Græcis Wechelianis, Fr. Junius, summo studio collegerant, sed præterea ex octo aliorum vetustissimorum codicum collatione erant observatæ; non tamen nisi in tribus particulam, εἰς μετάνοιαν, defuisse animadverterunt, nempe in duobus Stephani; (hi vero illi ipsi sunt, quorum in prima suarum Annotationum editione meminit Beza) & uno, quem Academiæ Cantabrigiensi anno seculi superioris LXXXI idem Beza donavit, satis quidem antiquo illo, sed quem optimi commatis haud fuisse, & inter quem ceterosque codices, quantumvis veteres, magnam omnino discrepantiam a se esse repertam, in epistola ad Cantabrigienses Beza fatetur ipsemet. Adde, nec Fr. Lucam Brugensem in suis variantibus N. T. Græci lectionibus alia nominare potuisse exemplaria, quæ sæpius memoratam particulam non haberent, præter illa duo Stephani, de quibus modo dictum. Jam utrum verisimilius? illam lectionem esse genuinam, quæ fide nititur codicum vetustorum amplius quadraginta; an eam, quæ trium dumtaxat?

IV. Ceterum quod postremo scribit Bellarminus, particulam, de qua agimus, non esse necessariam, quia scilicet ex contextu facile intelligatur; id dupliciter potest accipi: vel, quod non sit necessaria in ipso textu Græco, nihilque referat, num legatur ibi, an vero non; vel quod necessaria non sit in versione, sed possit ibi sine crimine omitti, si vel maxime in originali eam haberi sit in confesso. Priori sensu impium est,

est, dicere, quod non sit necessaria in textu, sed omitti possit pro lubitu, particula, quam ab ipsomet scriptore προπυσῳ profectam esse tot vetustissimorum codicum consensus evincit. Posteriori ratione utut forte non sit absolute necessarium, verba illa exprimi, cum etiam sine iis sententia e contextu videatur esse manifesta, si nempe componatur comma hoc 13. cum proxime præcedenti; id tamen non omnino excusat Interpretem: cujus erat, in translatione dicti illius vere aurei ne syllabam quidem prætermittere. Confer supra cap. XII, 29.

De loco Ioh. 14, 26.

V. Porro ad locum Joh. XIV, 26. ubi Vulgata habet: *Spiritus sanctus suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis*; cum in Græco sit, εἶπον, *dixi*, respondet Bellarminus, S. Augustinum aliosque veteres sic legere ut legit Vulgata, & sensum esse eundem.

VI. Verum quod ad Augustini aliorumq; nonnullorum Latinorum Patrum auctoritatem attinet, si quid illa heic probat, nihil certe probat aliud, quam quod lectionem, quæ reperitur in Vulgata hodierna, jam olim exhibuerit Latina illa antiqua, quam præ ceteris commendat idem Augustinus lib. II de Doctr. Christ. cap. XV. Hoc autem quid ad præsens? ubi non agitur de convenientia Vulgatæ cum veteri Latina, sed cum fonte. Quod deinde ad sensum spectat, acceptamus quidem, quod agnoscit Cardinalis, in voce, *dixero*, minus recte poni fundamentum auctoritatis Conciliorum, (quamquam alii Pontificii, ut, v. c. Anglo-Rhemenses, secus heic sentiant, imo, *argumentum Topicum & verisimile inde peti posse*, *fol. 707.* si Gretsero nostro fides, *nemo Catholicorum abnuat*) interim, quamcumque

eumque expositionem comminiscaris, verissimum manet, quod ingenue scribit Maldonatus, *obscure & ambigue dictum: quæcunque dixero vobis. Poterat*, inquit, *futurum videri, cum præteritum sit*, εἶπον, *dixi vobis*

VII. Sequitur locus Rom. 1, 4. ubi Vulgata habet: *Qui prædestinatus est Filius Dei*; cum in Græco sit: ὁρισθέντος, quod notat, *declarati*, vel, *manifestati*. Respondet Bellarminus, veterem Interpretem optime reddidisse. *Nam*, inquit, *etsi verbum illud Græcum ὁρίζειν, significet, finire, & apud profanos auctores accipiatur sæpe pro declarare, tamen in Scriptura aliter accipitur. Ut enim docet B. Dionysius libro divin. nom. c. 5. hoc verbum est proprium Theologiæ, id est, habet in Scriptura peculiarem significationem: nam ubique significat, statuere, decernere, definire, nunquam autem, declarare.* *De loco Rom. 1, 4.*

VIII. Ubi, (ut nihil dicamus de Dionysio, quem scriptorem suppositium esse, toties invictis argumentis demonstrarunt viri docti, præsertim peculiari tractatu Jo. Dallæus; quique loco a Bellarmino citato non de τῷ ὁρίζειν, sed προορίζειν & προορισμῷ loquitur) quivis videt, niti hanc Cardinalis responsionem hypothesi ista, quasi non possit vocabulum aliquod in uno Scripturæ loco obtinere significatum, qui deflectat a significatione quam habet in locis aliis. Id vero falsum est, vel ipsomet teste Bellarmini propugnatore Gretsero; ut qui supra capite IX, disquirens de לְ Hebræorum, an significare possit *ex, de*, vel *à*, cum separandi notione. *Licet*, inquit, *hæc significatio nusquam occurreret nisi in illo dicto Ecclesiast. cap. 2.* (comm. 3.) *conf. Tr. de Canone, cap. 13. n. 4. seqq.*

an ideo falsa & rejicienda foret? Multa Hebraica vocabula (eadem vero aliarum linguarum ratio) *uno duntaxat loco exstant, & sæpe uno tantum loco aliquam significationem habent, quam si alibi quærere instituas, operam perdas.* Quæ si hoc loco memoria auctori suggessisset, non certe Whitakero, assertionem Bellarminianam, quod ὁρίζειν numquam in Scripturis significet *declarare*, inde falsitatis postulanti, quod Rom. 1, 4. illam significationem habeat, tantopere insultasset, *Quis non rideat Witackerum*, scribens, *quando*, *adversus Bellarminum disputans, eum ipsum locum pro probatione sua & refutatione Bellarmini adducit, de quo tota est controversia?* Quasi vero aliter procederet citato loco Gretserus ipsemet, dum, adversus Junium disputans, פ aliquando in Scripturis sejunctionem notare, eum ipsum locum pro probatione sua Juniique refutatione adduci posse ait, de qua tota erat controversia, nempe locum Ecclæ 11, 3. Nimirum contextus ratio aliæque circumstantiæ interdum evincunt, esse vocabulum aliquod aliter capiendum uno loco, quam capitur locis aliis. id quod exemplis quibusdam demonstravimus Tract. de Canone Scripturæ capite x, 17. Atque ita in loco nostro præsenti e circumstantiis textus manifestum, ὁρίζειν accipi, ut alias, fatente ipsomet Bellarmino, apud profanos auctores accipitur sæpe, pro *declarare*. Propositum quippe est Apostolo, ostendere, quo testimonio Christus, non obstante ἐνσαρκώσεως exinanitione, manifestatus & approbatus sit verus ac naturalis Dei filius: ubi nullus locus prædestinationis vel destinationis significatui. Quod agnoscentes Chrysostomus, Theodoritus, Theophylactus, Scho-

col. 707.

Scholiastes Græcus, τὸ ὁρισθέντος, quod Apostolus habet, explicant pet δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος, ἐπιγνωσθέντος, ἀποφανισθέντος, & similia. Nec aliter Syrus & Æthiops vocabulum illud heic accipiunt. Quin Emserus etiam & Dietenbergerus in sua translatione Germanica vertunt: **zuvor erweiset**; addentes glossam: **Verstehe / in den Schrifften der Propheten und in dem Gesetze.** *Nam*, ait Emserus, *quod in Latino hic legitur, prædestinatus, doctorum sententia intelligitur pro declaratus, ostensus, seu indicatus.* Similiter Jacobus Tirinus, Iesuita, in locum hunc commentans, approbat interpretationem Chrysostomi aliorumque Patrum Græcorum: *declaratus* est. *Hoc enim*, inquit, *proprie significat ὁρίζειν, etiam apud profanos: & sic optime coharent sequentia. Nempe declaratus est esse filius Dei tribus argumentis: primo, in seu ex virtute, id est, potentia miraculorum editorum ad id comprobandum; secundo, quia dedit Spiritum sanctum & sanctificantem; tertio ex resurrectione.*

IX. Atqui, dicit Bellarminus, aliter legunt, nempe sic uti versio habet vulgata, omnes Latini, etiam antiquissimi, ut Irenæus, Hilarius, Ambrosius, Sedulius, Augustinus, Tertullianus, nec non Concilium Toletanum XI.

X. Resp. Quantum auctoritas Latinorum Patrum heic probet, jam supra num. VI monuimus. Mirari autem subit, Bellarminum hoc loco Latinis tam confidenter annumerare Irenæum, quem non Latine scripsisse, sed Græce, certissimum est, & vel solæ illæ rationes evincunt, quas in libro suo de Scriptoribus Ecclesiasticis Cardinalis affert ipsemet. Vide etiam *ad ann.* 180

Rivetum in Critico sacro, lib. II, cap. VI. Sed & illud notandum, quod auctor Ambrosium hoc uno capite sexies adducit ut genuinum auctorem Commentariorum in Epistolas Paulinas, quos tamen alibi toties indicat
ad ann. 374. non esse Ambrosii; puta libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, libro I de Christo, cap. VI, §. *Ultimo accedat*, lib. I de Clericis, cap. XV, §. *Sed hic locus*, lib. II de Eucharistia, cap. XIV, §. *Respondeo, neque*, lib. IV de Amiss. gratiæ, cap. V, §. *Duodecimus*, lib. II de Gratia & lib. arb. cap. XIV, §. *Respondeo, commentarios*, lib. IV de Justificatione, cap. IIX, §. *S. Ambrosius*: imo nec alterius cujusquam esse ex celebratis Patribus, agnoscit libro I de Matrimonio cap. XVII, §. *Si tamen*; ut mittam alios scriptores Pontificios, qui itidem pro suppositititiis habent illos commentarios, Franciscum nempe Lucam, Maldonatum, Lovanienses, Poslevinum, Salmeronem, Baronium, Pererium, Lorinum, (quorum testimonia annotant Rob. Cocus in Censura, & Andr. Rivetus in Critico sacro, lib. III, cap.
col. 715. XIIX) Bellarminique hyperaspisten Gretserum. Nempe hic Bellarmini mos est perpetuus; si quid reperiat in scriptis hujusmodi suppositititiis quod causæ suæ videatur patrocinari, ea laudare tamquam genuinos Patrum illorum partus quorum nomina præferunt; sin vero aliquid inde sibi objiciatur Papisticæ doctrinæ adversum, repudiare ut spuria. De Tertulliano monemus, legere quidem ipsum, libro contra Praxeam, *definitus*, ut Bellarminus citat; sed non patrocinari hoc Vulgatæ. Nam definitione, quæ ὅρῳ Græcis, solent obscura explicari: & non dissimili ratione modum ὁριστικὸν vocant Grammatici, id est, finiendi seu indicandi,

candi, quod certum aliquid indice: & explicet; ut recte observat Erasmus. Ad Toletanum denique quod attinet Concilium, in eo quidem aliquid habetur de Christo secundum humanam naturam prædestinato; sed nostrum hunc locum ibi vel legi vel exponi, falsissimum est. Verba sunt: *Per hoc, quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantum, (nam neque factus neq; prædestinatus accipitur) per hoc tamen, quod de virgine Maria natus est, & natus, & factus, & prædestinatus esse credendus est.* Ubi ridicule Gretserus, *Annon*, inquit, *Concilium diserte asserit, Christum secundum carnem, & ut ex Deipara Virgine natus est, vocari natum, factum, & prædestinatum? Unde hoc accepit Concilium Toletanum, nisi ex capite primo epistolæ ad Romanos?* Quasi nempe quæcumque in Conciliis affirmantur, αὐτολεξεὶ oporteat extare in Scriptura, & non sufficiat, secundum Pontificios, si per ratiocinationem deducantur ex verbo sive scripto sive tradito. Vide Bellarminum libro 11 de Conciliis cap. XII. col. 709.

XI. Pergimus ad locum Rom. 1, 32. ubi Vulgata habet: *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*; Græcus autem textus ita: ὅτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγόντες, (ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν) οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. *De loco Rom. 1, 32.*

XII. Ut & heic Vulgatæ suæ consulat, varia quærit effugia Bellarminus. Primum ait, ex Græco nihil certi posse colligi, cum ibi lectio variet. Dein-

de urget, quod ita legant, ut Vulgata, nonnulli Doctores Latini. Tandem dicit, quod in Græco habetur, videri falsum, & lectionem Latinam omnino esse meliorem. Singula excutiemus.

XIII. Quantum ergo ad lectionis attinet varietatem, quam in Græco heic deprehendi ait Cardinalis, observandum, quod editores operis Anglicani, cum exhibeant variantes Novi Testamenti Græci lectiones, ex tot vetustis codicibus, ab aliis partim, partim a seipsis collectas, (quarum & ante num. III fiebat mentio) non nisi unum annotaverint, in quo legatur, οὐκ ἐνόησαν, ceteris omnibus has voces repudiantibus, quas neque agnoscunt Syrus, Arabs, Æthiops. Iam quid unus codex præjudicabit auctoritati ac fidei tot aliorum? Sed & Titelmannus testatur (ait Bellarminus) se legisse in vetusto codice Græco msc. ὃ συνῆκαν. Esto: nondum duo evertent quæ tanto consensu adstruunt reliqui omnes. Deinde se mutuo produnt Titelmannianus hic codex, & ille Claromontanus, quem Angli citant. Alter enim legit, ὃ συνῆκαν, alter, οὐκ ἐνόησαν. Unde suspicio nascitur non levis, e Latino textu particulam hanc in Græca ista exemplaria irrepsisse, ab aliis aliter Græce ex Latino redditam. Porro nec Origenem ita legisse, ut nos legendum censemus, urget Cardinalis. Unde vero de hoc ipsi constat? Nam Græcum Origenis textum hodie non habemus: interpres vero Latinus annon substituere heic aliquid potuit? Simile quid certe in aliorum Patrum translatione factum videmus; ut quando v. c. interpretatio Latina Chrysostomi in illustri loco Gen. III, 15. habet Femininum, *ipsa*, cum in textu originali Græco

Græco sit Masculinum, αὐτός. Vide supra cap. XII, 14. Et in Origenis quidem versione hujusmodi quid accidisse, eo est verisimilius, quo certius, Rufinum (quem versionis ejus auctorem esse, invictis argumentis demonstrat Erasmus in Censura, & Dallæus lib. II de Dionysii Areopagitæ & Ignatii suppositiis, cap. XL) tanta licentia Origenis scripta transtulisse, ut addendo, demendo, mutando, plane alia fecerit. Cui accedit, quod ipsos etiam Græcos Adamantii in hanc ad Romanos Epistolam commentarios jam suo tempore interpolatos fuisse, testatur in versionis suæ præfatione (quæ perperam Hieronymo tribui solet) Rufinus. Atque hinc ex ipsis Doctoribus Pontificiis Estius, lectionem Latinam aliunde in Origenis libros heic irrepsisse statuit. Tandem & Oecumenium annotasse Bellarminus scribit, quod aliqui olim sic legerint, ut hodie Vulgata. Verùm non dicit Oecumenius, vel quisquis tandem illius Catenæ auctor (vide Possevinum in Apparatu sacro) se vidisse codices qui sic legerint; sed dumtaxat, quosdam hunc locum ita interpretari, (& id quidem perperam) ut sensus sit idem cum eo quem hodierna Latina exprimit. Ecce verba. Τινὲς, inquit, μὴ νοήσαντες τὸ εἰρημένον, ἀλλὰ διαπορήσαντες, καὶ ὑποπτεύσαντες τὰς ἀποστολικὰς λέξεις νομίσαντες, ὅπως αὐτὰς ἡρμήνευσαν. *Quidam, non percipientes id quod dicitur, sed hæsitantes, & falsata Apostoli verba suspicantes, hoc modo ea sunt interpretati.* Tom. 2, p. 169.

XIV. Porro quod ad Doctores attinet Latinos, Cyprianum, Ambrosium, Sedulium, Haymonem, Anselmum, Hesychium, Symmachum Papam; quos Græcis, nostram lectionem exhibentibus, opponere se

se posse jactat Bellarminus; nemo non videt, quantum ad rem præsentem, diversissimam horum illorumque rationem esse. Græci enim, qui in citandis & tractandis N. T. dictis ipsum fontem sunt secuti, testimonio suo, quod jam olim in Græco textu ita fuerit lectum ut hodierni habent codices, docere nos possunt: at Latinorum lectio nihil aliud evincit, quam, ipsorum jam tempore versionem, qua usi sunt, quamque exposuerunt, Latinam, sic habuisse ut hodierna habet Vulgata: quod nihil ad nostram hanc controversiam facere, jam supra num. VI monuimus. Accedit, quod de Ambrosio falsissimum sit, eum sic legere ut legit Vulgata. Commentarium enim in Epistolas Paulinas nec illius esse, nec alterius cujusdam ex celebratis Patribus, Bellarminus ipsemet aperte agnoscit locis num. X citatis. Sed & Cyprianum Græcam potius lectionem confirmare quam Latinam, inde manifestum, quod in annotationibus suis ad epistolam a Cardinale laudatam (est ea IV libri I, secundum editionem Manutii, secundum vero Pamelianam LXIIX) testatur Pamelius, in omnibus sex msc. codicibus, quibus in sua editione paranda fuerit usus, ita se legisse: *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non tantum faciunt mala, sed & consentiunt eis qui hæc agunt, quoniam qui talia (inquit) agunt, digni sunt morte.*

XV. Denique falsum videri quod habetur in Græco, & Latinam Vulgatæ lectionem omnino esse meliorem, hunc in modum ostendit Bellarminus: *Secundum Græcam sensus est, pejus esse, consentire male agenti, quam malum agere: secundum Latinam sensus est contrarius, pejus esse malè agere, quam consentire malè agentibus*

tibus. At certe absolutè pejus est, malè agere, quàm consentire malè agenti. Quis enim neget, pejus esse, occidere hominem, quam tantùm consentire ut occidatur, id est, permittere, cum possis impedire? non enim hic loquitur Apostolus de imperio, vel incitatione ad malum, sed de simplici consensu.

XVI. Verum, quando Græcum textum, tamquam falsi quid & absurdi præ se ferentem, heic accusat Bellarminus, non solum contradicit suæ sectæ Doctoribus, Cajetano, Catharino, Dom. a Soto, Justiniano, Estio, (ut de Valla, Erasmo, Fabro, quos ipse Cardinalis citat, nihil dicam) qui lectionem Græcam optimum sensum parere agnoscunt; sed & alia ratione non semel impingit. Etenim primo ait, συνευδοκεῖν in loco nostro non notare nisi simplicem consensum. Quod omnino falsum. Sane Chrysostomus in voce ea declaranda utitur τῷ συμπεάθειν καὶ ἐπαινεῖν, plane ad mentem Syri & Arabis; Græca scholia explicant per εἰς τὸ κακὸν συναλεῖν, perinde ut versio Æthiopica; Theophylactus exponit per συνηγορεῖν, *patrocinari*; qua ipsa etiam voce utitur in sua paraphrasi Benedictus Justinianus, scriptor Pontificius. Et quis diceret, τὸ συνευδοκεῖν, v. c. in illo Luc. XI, 48. συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις πατέρων ὑμῶν, & isto Act. IIX, 1, Σαῦλος ἦν συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, simplicem consensum significare? Videantur & heic Syrus, Arabs, Æthiops, Persa.

XVII. Amplius supponit Bellarminus, in textu nostro Græco comparari inter se, quoad gravitatem peccati, simplicem consensum & ipsum facinus; ut sententia sit, esse crimen atrocius, si quis flagitium perpetranti consentiat, quam si id perpetret ipsemet. Ve-

rum neque hoc ex Apostoli verbis, prout in fonte habentur, evinci potest, quippe quæ nihil aliud præ se ferunt, quam, esse grande capital, & longe transcendere simplicem culpæ commissionem, si non ipse tantum peccata perpetres, sed insuper perpetrantibus aliis delecteris. Jam autem hæc duo multum differunt: esse pejus, si non ipse tantum peccata committas, sed in aliorum quoque flagitia consentias, iisdemque delecteris, quam si simpliciter pecces ipsemet; & esse pejus, si ipsemet male non agens, nude consentias male agenti, quam si malum quidem perpetres ipse, perpetrantibus vero aliis non consentias.

vol. III. XIIX. At, inquit Gretserus, *annon communi loquentium consuetudine, si quis ita loquatur*, ut heic loquitur Paulus, *posterius membrum pro graviore habet quàm prius? Si dicam: non solum scortantur, sed & mœchantur: non solum furantur, sed latrocinantur; annon significo, gravius scelus esse adulterium & latrocinium, quam scortationem & furtum.*

XIX. Ego vero, Gretsere, non existimem, hujusmodi ῥήσεων ex se & necessario eam esse vim, ut, qui iis utitur, posterius membrum habeat pro graviori. Ecce enim, accusatur v. g. Titius parricidii: producitur testis: quærit Judex, an Titius parricidii reus? testis, exaggeraturus facinorosam hujus vitam, Titius, inquit, non solum parricida est, sed & fur. Num, qui ita loquitur, furtum, quod in sermone suo loco ponit posteriori, censendus est pro graviori habere crimine, quam sit parricidium? Nemo id dixerit. Similia exempla passim obvia. Unde intelligitur, per accidens fieri, quod interdum in ejusmodi loquendi modis posterius

lterius priori plus momenti habeat, & aliunde de eo quam ex nudo illo ordine esse judicandum. Certe nec in iis exemplis, ubi plures virtutes dicta ratione jungun-tur, quæ posteriori loco a proferente ponitur, semper ex mente ipsius dignior est & excellentior. Ita lau-det quis, v. c. Iohannem a singulari eruditione Theo-logica: accedat alius, &, exaggeraturus ejus doctrinam, dicat: imo vero non solum eximius Theologus est Iohannes, sed & egregius Medicus. an, qui hæc ait, credendus est Medicinam, quam posteriori loco in ser-mone suo ponit, præferre Theologiæ?

XX. Utut autem hæc ita se habeant, utut, in-quam, ex verbis Pauli, de quibus agimus, non eliciatur necessario, flagitiosis συνευδοκεῖν, crimen esse gravius, quam si ipse flagitium committas; quod tamen ad rem ipsam attinet, omnino probamus illud Chrysostomi: τὸ πλημμελοῦν ὁ τὴν ἁμαρτίαν ἐπαινῶν χαλεπώτερος πολύ. *Eo qui peccat longe deterior est qui laudat.* Sane peccare ex se impium est, pœnaq; sempiterna dignum: at vero peccatis delectari, animo suo judicioque iis applaudere, illis patrocinari, ad ea concitare & impel-lere (quæ est vis τοῦ συνευδοκεῖν, ut num. XVI ostensum) summus pene est in peccato gradus: quandoquidem qui id faciunt, *efficiuntur tanquam docentes, quod hæc sint licita*; ut scribit Cajetanus.

XXI. Porro, quando ait Chemnitius, Rom. IV, 2. ubi Paulus dicit, Abrahamum non ex operibus justi-ficatum; in Vulgata Latina vocem *legis* esse additam, *ut de ceremonialibus philosophari possent*; respondet Bel-larminus, *meram calumniam esse. Nam*, inquit, *co-dices Latini vel omnes, vel fere omnes, non habent illud,* *De loco Rom. 4. 2.*

legis. *Neque nos intelligimus locum illum de operibus legis veteris, sed de operibus factis viribus propriis. Adde, quod Ambrosius & in textu habet*, legis, *& in comm. exponit de lege veteri. Non igitur Papistæ locum istum, ut Kemnitius mentitur, corruperunt.*

XXII. Sed non erat, quamobrem calumniæ heic Chemnitium postularet Cardinalis. Quod enim codices Latini vel omnes, vel fere omnes, habuerint illud, *legis*, adeo certum est, ut ne ipse quidem Gretserus id in-
col. 714. ficiari sit ausus. Exhibuerunt sane isthanc vocem manuscripta, quibus usi Lovanienses; habent eamdem editio Veneta ann. clɔ ɔɔɔɔLXXIX, & clɔ lɔ XIX, ac Lugdunensis ejusdem seculi anni XX, (de qua sub codicis finem legitur:

Fontibus e Græcis, Hebræorum quoq; libellis
emendata satis & docorata simul
Biblia sum præsens: superos ego tector & astra,
est impressa nec in orbe mihi similis)

ann. item LV & LVI: legerunt ita in suis exemplaribus Aquinas, Liranus, Carthusianus, alii: sed & Lovaniensium editio Gallica sic omnino reddidit: *par les œuures de la loy*; reddiderunt ita Emserus & Dietenbergerus: aus den wercken des Gesetzs; ac diu ante translatio Germanica anno clɔ ɔɔɔɔ LXXXVII Augustæ edita: aus den wercken der Ee. uti antiquissima Saxonica: uth den wercken der olden Ee. sic enim *lex* tum dicebatur Germanis. Neque opus habuisset in suo Romanarum correctionum libello Fr. Lucas Brugensis illa admonitione: *Nomini, operibus, non addas, legis*; ni vulgo ita lectum fuisset antea. Quæ cum ita sint, annon vere scripsit Chemnitius, *legis* in Vulgata textui sacro esse additum?

XXIII. Equi-

XXIII. Equidem Gretserus heic excipit, quod col. 715.
non ita hanc voculam additam dixerit Chemnitius, *quasi in nonnullis duntaxat exemplaribus addita fuerit, aut olim etiam; sed quasi omnia omnino exemplaria occupasset; nec olim, sed nuper, vel Patrum nostrorum memoria.* At nusquã hæc dicit Chemnitius. Ejus verba sunt: *Roma. quarto, ubi Paulus dicit: Abrahamum non ex operibus justificatum; additum est, operibus legis: ut scilicet de ceremonialibus philosophari possent.* Quibꝰ de textu loquitur Vulgatæ, prout tunc, quando hæc scribebat, anno videlicet superioris seculi LXV, communiter haud dubie is fuit lectus: cum & paucis ante annis Venetiis & Lugduni codices prodiisse qui sic haberent, jamjam dixerimus. Quod autem postea voculam *legis* in suis editionibus omissuri erant Lovanienses (qui tamen in margine eandem exhibent) & Clementinorum Bibliorum editores, id sane Chemnitius prævidere non poterat. Porro an nuper, & Patrum nostrorum memoria, num vero jam olim vox illa controversa textui Paulino fuerit addita, ne verbulo quidem tangit Chemnitius. At videtur prius illud ideo ipsi tribuere Gretserus, quod ait, additam esse, *ut de ceremonialibus philosophari possent.* Quasi vero hanc de lege ceremoniali opinionem non foviset jam olim Petrus Lombardus! Sed ad Bellarminum revertamur.

XXIV. Negat ille, Pontificios intelligere locum hunc Paulinum de operibus legis veteris sive ceremonialis; *Neque nos*, scribens, *intelligimus locum illum de operibus legis veteris; sed de operibus factis viribus propriis.* Verum ut hæc sit sententia Bellarmini, Toleti, Salmeronis, Justiniani, Pererii, Estii, Dominici a So-

to, Corn. a Lapide; num propterea Pontificiorum omnino omnium? Aliud sane testatur Bellarminus ipsemet libro I de Justif. cap. XIX, *Nonnulli ex Catholicis*, inquiens, *docent, per opera, quæ a Justificatione Apostolus excludit, intelligi observantiam legalium ceremoniarum.* Ita Lombardum haud dubie pro suo habebunt Pontificii. Hic vero in Epistolæ ad Romanos cuput III diserte affirmat, Apostolum per opera legis intelligere ceremonialia. Idem statuunt Ioh. e Daventria, in Exegesi errorum Lutheranæ Confessionis, ad artic. IV, Alphonsus Virvesius Philippica V & VI, Alphonsus de Castro adversus hæreses, tit. *Fides*, hær. II, nec non Hieronymus Emserus, glossa ad Rom. III, 28. Germanici sui N. T. cujus verba: **on die werck des Gesetz /das ist/ on die eusserlichen Beschneidung und/ander Jüdische Ceremonien/ darauff die Juden allyhr datum gesetzt hetten.** Conf. Dietenbergeri præfat. in Iohannis a se in Germanicum translatas Epistolas.

XXV. Tandem quod scribit Bellarminus, Ambrosium & in textu habere voculam, *legis*, & in commentario exponere de lege veteri; scribit reclamante conscientia: cum, uti jam supra num. X notavimus, ipsemet alibi aperte fateatur, istos in Paulinas Epistolas commentarios nec Ambrosii esse, nec alterius cujusquam ex celebratis Patribus. Quisquis autem fuerit tandem ille auctor, & ipsum, & quotquot præterea vocem *legis* heic agnoscunt, mendosis codicibus usos affirmat Commentator inter Pontificios celebratissimus Guilielmus Estius.

De loco Rom. II, 6.

XXVI. Progredimur ad locum Rom. XI, 6. ubi in Vul-

Vulgata hæc verba, quæ in Græco sunt, desiderantur: *Sin ex operibus, iam non est gratia; alioquin opus iam non est opus.* Largitur heic Bellarminus, *esse in Græcis codicibus illam sententiam, & à Theophylacto explicari*; sed addit, *à nullis aliis agnosci. Nam*, inquit, *nec Origenes, nec Chrysostomus, nec Ambrosius, nec ulli alii explanatores hujus loci, ejus meminerunt; sed nec Augustinus, qui frequentissimè hunc locum tractat, & præcipuè li. 2. de bono persever. c. 18.*

XXVII. Ubi fallitur Cardinalis, dum scribit, non agnosci ea verba nisi a solo Theophylacto. Agnoscit sane præter hunc Interpres Syrus, agnoscit Arabs, agnoscit auctor Græcorum scholiorum, qui vulgo Oecumenius creditur, agnoscit Theodoritus; quid? agnoscit, quem in contrarium adversarius adducere non dubitat, ipse Chrysostomus, ut ἀυτοψία docet. col. 715. seq. Nec est ut excipiat Gretserus, recitari quidem illa ut Paulina apud Chrysostomum & Theodoritum, sed non explicari. Annon enim dicit ipsemet, verba hæc, *quantum ad sensum, in priori sententia significata* esse, adeo quidem ut *superflua videantur?* quid ergo opus erat peculiari explanatione? De Origene & Ambrosio repetantur quæ supra num. XIII & X notavimus. Certe nimis impudens est Gretserus, dum, ad Theophylacti & Oecumenii testimonium responsurus, *quantuli*, ait, col. 716. *isti ad Origenem, Augustinum, Ambrosium?* Quasi nempe intemeratos haberemus Origenis libros: & quasi non ipse Gretserus eadem hac pagina significet, nescire se, col. 718. cujus sint qui Ambrosii nomine circumferuntur in Epistolas Paulinas commentarii! Augustini similiumque Latinorum auctoritas quantum heic probet, jam supra num. XIV & alias dictum.

XXIIIX.

xxiix. Obiter heic nota, quam iniqui cavillatores sint Emserus & Dietenbergerus, dum Lutherum nostrum insimulare non erubescunt, quod ex suo cerebro textui Apostolico assuerit: **Jſts aber aus verdienſt/ ſo iſt die genade nichts/ ſunſt were Verdienſt nit verdienſt:** quæ sane, ut diximus, apud Syrum, Arabem, Chrysostomum, Theodoritum, Theophylactum, Scholiasten veterem, æque habentur ac apud Lutherum. Sed nimirum his opus erat præsidiis, si constare sibi deberet numerus septem illorum & sexcentorum locorum, quibus N. T. textui vel addidisse quædam in sua translatione, vel detraxisse, vel impiis eum annotatiunculis depravasse Lutherum, idem Emserus Christiano orbi persvadere conatus est.

De loco Ephes. 5, 32.

xxix. Subsequitur locus Ephes. v, 32. ubi, cum in Græco sit vox μυστήριον, vulgata Latina habet, *sacramentum*. Quam translationem ait Bellarminus, carpi a Chemnitio ut profectam a Pontificiis, quo probare inde possent, Matrimonium esse sacramentum.

xxx. Verum nihil aliud dicit Chemnitius, quam quod Vulgata in multis locis, inter quæ etiam hic de quo nunc agimus, transformata sit ad dogmata Pontificia, id est, (ut e contextu patet) quod a conditore illius versionis textus sacer multis in locis ita sit traductus, ut speciosius sua quædam inde dogmata stabilire possint Pontificii quam ex fonte. Confer supra cap. x, 47. Atque id verum esse speciatim de nostro hoc loco, negare non possunt ipsi Papistæ, ut qui, dicente Gabriele Vazquez, in partem III Thomæ, disp. cxxiix, cap. 1, inde *contendunt deducere nomen Sacramenti, ut significet non solum signum rei occultæ in universum, sed eti-*

etiam speciatim res illas septem, quas Sacramenta Ecclesiæ vocant.

XXXI. Cui sententiæ obviam iturus Cajetanus; distinguit sane inter *sacramentum* & μυστήριον, *Non habet*, inquiens, *ex hoc loco prudens lector à Paulo, conjugium esse Sacramentum. Non enim dicit, Sacramentum, sed, mysterium hoc magnum est.* Quoipso patrocinatur versioni Lutheri: das Geheimniß ist groß / adversus Emseri censuram, qui reddendum contendit, redditque ipsemet (ut & Dietenbergerus ac Moguntini) das ist ein groß Sacrament. Vide translationem ejus N. T. Germanicam, & Annotationes ad versionem Lutheri annot. CXVI, a.

XXXII. Ulterius Ephes. VI, 13. Græcus textus habet: ἵνα δυνηθῆτε ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. *ut possitis omnibus confectis stare*; at Vulgatus: *ut positis in omnibus perfecti stare.* Respondet Bellarminus, sensum esse eundem: sed oportere τὸ *perfecti* conjungi, non cum verbo, *stare*, sed cum voce, *omnibus*; ut, *in omnibus perfecti*, idem sit quod, ab omni parte muniti & armati. *De loco Eph. 6, 13.*

XXXIII. Ubi mirari subit, non succurrisse Cardinali, quod sint diversæ hujus loci lectiones in editione Latina; cum, ut Lucas Brugensis observat, nonnulli libri habeant: *omnibus perfectis*; quod etiam Beza testatur. Certe si supra capite XII in loco Sir. V, 5. non dubitabat e variantibus lectionibus: *de propitiato peccato*, &: *de propitiatione peccati*, priori, quam communiter exhibent codices, præferre posteriorem, quod hæc Græco esset conformior; cur non eandem ob causam heic probat lectionem: *omnibus perfectis*, quæ Græco respondet ex asse? Interim Chemnitius recte carpit

istam lectionem: *in omnibus perfecti*, ut quæ codices plerosque, ipsam quinimo editionem Clementinam, occupavit, quamque mutandam esse negat, etsi timide, Fr. Lucas, NON FACILE *scribas*, ajens, *sublata præpositione*, in, *Ablativos absolute positos*, omnibus perfectis, *ut nonnulli libri*. Licet vero Bellarminus sensum aliquem receptæ illius lectionis comminiscatur, quo admisso, videri ea possit fonti non adeo refragari; cum & Syrus verbum καταρτισμένοι de ipsius armaturæ apparatu acceperit; Staphylus tamen, qui, ut hujus loci mentionem injiceret, ansam Chemnitio dedit, longe aliter verba ista Latina intellexit, dum nempe perfectionem bonorum operum inde probare sategit; quemadmodum & Emserus; qui non tantum ipse transfert: **auffdas yhr kundt in allen dingen bestehen als die vollkommene**; (quomodo item Dietenbergerus ac Moguntini) sed & Lutheranæ versioni gravem dicam scribit, quod habeat: **in allen dingen gerüst sein**/annot. cxv, b. Non penetravit etiam, quæ Bellarminus heic vidit, auctor versionis antiquæ Germanicæ, cujus supra num. XXII fiebat mentio, ut qui transfert: **daß ihr müge volkommen steen in allen dingen**; quemadmodum priscus Saxo: **up dat gy mögen vulkamen staen in allen dingen**.

De loco Heb. 9, 28.

XXXIV. Porro ait Bellarminus, Chemnitium conqueri, Heb. IX, 28. male haberi in Vulgata: *ad multorum exhaurienda peccata*; cum ἀναενεγκέω (ubi vero in fonte ἀναενεγκέω, vocabulum Græcis inauditum?) non sit *exhaurire*, sed *auferre*. Respondet autem, sensum esse eundem; & *præterea*, inquit, *videtur Interpres propriissime vertisse. Nam* ἀναφέρω *est propriè sur-*

rursum ferre, efferre, educere. Sicut ergo, cum aqua vel sordes educuntur ex aliqua sentina, dicuntur sordes exhauriri, ita etiam peccata, quæ Christus extulit & eduxit ex profundo pectoris nostri, recte dicuntur ab illo esse exhausta.

XXXV. Ubi sciendum, ut memoratum locum heic adduceret Chemnitius, occasionem ipsi dedisse Andradium suum; qui, probaturus, in baptisatis nec vestigia nec reliquias ullas manere peccati, eundem citaverat; *Quod exhaustum est*, inquiens, *ibi nihil reliqui est.* Ex quo ac similibus exemplis Chemnitius collegit, non esse causam omnino nullam, quare tam acriter & pertinaciter pro Vulgata sua dimicent Pontificii, cum hinc inde in ea occurrant, quæ speciose pro erroneis suis dogmatibus urgere illi possint. Quod sane ipse Gretserus confirmat, dum gloriatur, versionem loci, de quo agimus, Latinam *nimis manifeste sententiam* Papisticam *de perfecta & omnimoda peccati abolitione oculis subjicere.* col. 720.

XXXVI. Ceterum quod Bellarminus ait, interpretem Latinum propriissime heic vertisse; id certe ratio, quam affert, nullatenus evincit. Qualis enim, obsecro, consequentia: interdum, quæ ἀναφέρεσθαι, exhauriuntur, ergo ἀνενεγκεῖν propriissime vertitur per exhaurire? annon ejusdem census cum ista: interdū qui disputat, συζητεῖ, ergo συζητεῖν propriissime vertitur per disputare? Nec juvat Gretseri effugium: non omne quidem *sustollere* esse *exhaurire*, sed illud *quod fiat per respectum & habitudinem ad fontem, sentinam, cloacam, aut aliud quid simile.* Nam supponitur ita, ex interpretatione Bellarmini, hoc loco Christum dici peccata col. 721.

ſurſum tuliſſe, quatenus illa *eduxit ex profundo pectoris noſtri.* quæ hypotheſis falſa. *Eſt* enim, ut recte obſervat Beza, *manifeſta & perelegans paranomaſia inter* προςφέρειν *&* ἀναφέρειν *hoc in loco, & per alluſionem ad holocauſti ritum dicitur Chriſtus ſeſe obtuliſſe, & peccata ſibi impoſita in crucis altare ſuſtuliſſe, ſui videlicet oblatione expianda.* Confer 1 Petr. II, 24. Unde fa&um, ut Syrus reddiderit: *in ſeipſo* דבח *immolavit*; quemadmodum nec Arabs Græcum ἀναφέρειν aliter heic accepit, nec vetus Scholiaſtes, qui habet: ἀνήνεγκε τὰς ἁμαρτίας τῶν ἀνθρώπων τῷ πατρὶ, ἵνα αὐτὸς συγχωρήσῃ καὶ ἐξαλείψῃ αὐτάς. Sed & 1 Petri II, 5. vocabulum iſtud notat *offerre*, facta alluſione ad ſacrificandi ritum, quo victima in aram attollebatur. Porro, etiamſi verum eſſet, quod vox ἀναφέρειν reſpectum hoc loco involveret ad fontem, ſentinam, aut ſimile quid, plus tamen id non probaret, quam poſſe eam verti per *haurire*. In præſens autem de τῷ *exhaurire* quæritur, quod cum *haurire* idem nequaquam eſt; ſiquidem non ſtatim, qui, v. g. ex fonte haurit, eundem exhaurit.

col. 721. ſq. XXXVII. Reponit Gretſerus, *ſignificationes vocabulorum ex circumſtantiis ſubjectis vel ampliandas vel reſtringendas eſſe: itaque*, ait, *licet ſurſum ferre, ſeu ſuſtollere, non ſit ſimpliciter idem, quod, omnia ſurſum ferre & extollere, ſicut haurire non eſt abſolutè idem quod exhaurire; hoc tamen loco, de cujus verſione diſceptamus, neceſſariò per* ἀνανεγκεῖν, *ſuſtollere, intelligere debemus, omnia perfecte & funditus eſſe ſurſum lata, hoc eſt, exhauſta; quia Chriſtus peccata non* ἀνήνεγκεν *imperfecte, ſed perfectiſſime; & conſequenter,* ἀνενεγκεῖν *ſeu ſurſum ferre, idem erit quod exhaurire: neque enim ita ſurſum*

tulit

tulit aut sustulit peccata, ut aliqua peccata vel aliquid peccati in illa sentina relinqueret, sed totam evacuavit, & per consequens, exhausit.

XXXIIX. Ad eum modum Gretserus, committens sane heic grandem crassamque petitionem ejus quod in principio. Hocipsum enim in quæstione est, an ita tollatur in hac vita peccatum, ut nihil ejus remaneat? quod proinde non potest, tamquam certum ac indubitatum, supponi. Quin manifestus est circulus, si ex eo, quod simpliciter omne peccatum in renatis per Christum tollitur, colligas, recte heic poni vocabulum *exhaurire*, ut facit Gretserus; & vicissim inde, quod heic ponitur vocabulum *exhaurire*, colligas, simpliciter omne peccatum in renatis per Christum tolli; ut facit Andradius. Sed nimirum hæc non curat Gretserus, in cujus Philosophia ejusmodi Circuli minime vitiosi sunt, uti constat ex ejus tractatu de quæstione: Unde scis, Scripturam esse canonicam? cap. IV. Verum quid de isthoc paradoxo habendum, ex professo ostendimus alibi.

Vide n. 35.

col. 1888.

XXXIX. Pergimus ad locum Hebr. XIII, 16. ubi Vulgata habet: *Talibus hostiis promeretur Deus*; at in Græco est: τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός. Agnoscitque heic Bellarminus, verba Græca significare proprie: *delectatur Deus*, sive, *placetur Deo*; addit autem, Latine recte dici bene mereri de aliquo eum, qui facit rem illi gratam. *Sic ergo dixit noster Interpres*, ait, *his hostiis promeretur Deus, id est, his hostiis res grata fit Deo, & bene meretur de Deo qui illas offert.*

De loco Hebr. 13. 16.

XL. Resp. Primo nota, etiam hunc locum eo nomine a Chemnitio adduci, ut ostendat, Pontificios

pro sua Vulgata tam acriter & pertinaciter dimicare, quod multa in illa sic observent reddita, ut dogmata nonnulla, quorum ex ipso fonte probationem desperant, inde videantur haud inepte posse stabiliri. Et solere sane præsens testimonium, ob vocem *promereri*, quæ in Latino extat, pro meritis operum urgeri ab adversariis, palam est. Etiamsi enim de eo Gretserus, col. 722. *Non hic fundus est*, inquit, *& fundamentum meriti; alia longe meliora & efficaciora loca suppetunt*; secus tamen visum Salmeroni in hæc verba commentanti, sive quicumque alias adjecit quæ in margine habentur. Tanti quippe is fecit locum isthunc, ut vel ex eo solo de Protestantibus, merita & satisfactiones Papisticas negantibus, indubitatum sibi triumphum promiserit; *Impie Lutherane*, inquiens, *contra Satisfactiones quid etiam oblatras? nunc tandem tace & obmutesce!* In ipso commentarii textu dicitur: *Vide, hæretice, merita & satisfactiones ad abluenda peccata!* Sic Bellarminus ipsemet, libro v de Justificatione, cap. 11, ex hoc loco probat, in Scripturis opera justorum vocari *merita*. Confer item Lindanum, lib. III Panopliæ, cap. XX.

XLI. Videamus autem nunc amplius, quo pacto Vulgatam cum fonte heic conciliare nitatur Cardinalis noster. Scribit, verba Græca significare proprie, Deum delectari hostiis beneficentiæ, sive, placere eas Deo. Et hoc quidem ita se habere fatemur. Subjungit vero, *Latine recte dici bene mereri de aliquo eum, qui facit rem illi gratam, nemo est qui nesciat.* Quomodo etiam libro v de Justificatione cap. 11 ait: *Certe propriissime dicimus Latine, unum apud alterum mereri, & eum sibi obstringere, qui facit aliquid quod ei placeat, eumque*

eumque delectet. Atque hinc concludit, recte vertisse vulgatum Latinum: *Talibus hostiis promeretur Deus*; cum sensus non sit alius, quam quod bene mereatur de Deo quisquis hostias illas offerat. Plane ad mentem Emseri, qui transtulit: **Mit solchen opffern verdienet man sich wolum Gode.** Quæ sane nullo modo admitti possunt. Etenim bene mereri de aliquo Latinis significat, facere aliquid, quo alter juvetur, & propter quod vicissim aliquid officii aut beneficii præstari debeat, vel saltim gratiæ haberi. Jam vero non statim qui facit quod alteri placet, eumque delectat, dicto modo illum sibi obstringit, cum fieri possit, ut ad id faciendum sit obligatus. Exemplo esse possunt filii. Honorant illi parentes; idque parentibus placet gratumque est: non autem bene de parentibus eo merentur, nec ipsos sibi obstringunt. Quamvis enim parentes alant liberos & curent, non tamen id faciunt, quod a filiis honorantur, sed quod lex naturæ, atque adeo ipse Deus, ita jubet. Cum proinde homines, si quid faciunt quod Deo placeat, nihil tamen faciant ad quod faciendum non sint obligati, Luc. XVII, 10. non posse eos dici bene de Deo mereri, manifestum est. Atque hinc apparet, quam absurdus sit Gretserus, scribere non dubitans: *Si rem gratam facere alicui, est bene de illo & apud illum mereri, isque, de quo, & apud quem bene meremur, nobis obligari & devinciri dicitur, sequitur, etiam illum, qui rem gratam Deo facit, apud Deum mereri, talique Deum devinciri & obligari.* ὰδὲν ὑγιές. col. 722.

XLII. Amplius monet Chemnitius, Pontificios ex voce, *alleviabit*, quæ Jacobi V, 15. in vulgata Latina habetur, probare efficaciam extremæ suæ unctionis; De loco Jac. 5. 15.

cum

cum tamen in Græco sit ἐγερεῖ. *Unctionis extremæ efficacia*, inquit, *probatur inde, quod Jacob. 5. vetus editio habet verbum (alleviare) quod de spectris incursioneque Satanæ interpretatur, cum Jacobus habeat verbum* ἐγερεῖ.

XLIII. Respondet Bellarminus, nescire Kemnitium quid loquatur: nam verbum Græcum melius ostendere effectus extremæ unctionis, quos Catholici in eo Sacramento agnoscant, quam verbum Latinum. Ad quæ ita Fr. Junius: *Chemnitius reprehendit, tum, quia alleviare vulgo legitur pro allevandi verbo, quo fuerat vetus interpres usus, tum quia ejusdem verbi argumento narrationem a Monachis confictam narrat de terriculamentis diaboli & mortis in extremo vitæ actu. Ad horum neutrum Bellarminus respondet, qui Chemnitium criminatur; sed agit de verbi Græci significatione, de qua nullum verbum Chemnitius fecerat, ut diligentissime pugnare videatur. De Monachorum fabulis ne χρὼ quidem: has enim Bellarminus non audierat audiens. Strophæ.* Quod ubi legisset Bellarmini propugnator Gretserus, *Mentitur Junius*, scribit, *cum ait, Kemnitium reprehendere verbum* alleviandi *loco verbi* allevandi *positum. Nihil enim de hoc Kemnitius, sed tantum hoc carpit, quod Græcum* ἐγερεῖ *per Latinum* alleviandi *Interpres reddiderit. Nec de Monachis ulla est hic apud Kemnitium mentio; quos tamen Junius dicit à Kemnitio reprehensos, quasi ex verbo alleviandi collegerint, effectum extremæ unctionis hunc esse, ut spectra fugat, & incursionem Dæmonis repellat. Sed non est bene istis figulis, nisi fingant.*

col. 724. *Gretseri & Junii pugna ridicula.*

XLIV. Uterque autem, si dicendum quod res est, an-

andabatarum more pugnans. Etenim Junius existimavit, Bellarminum refellere heic voluisse, quæ habet Chemnitius in examine decreti Tridentini de extrema Unctione, ubi ita scribit: *Conati sunt Pontificii*, quod Iacobus affirmet, Christum instituisse extremæ Unctionis sacramentum, *ostendere inde, quod verbum allevare, quo vetus Interpres usus fuerat, à Monachis mutatum fuit in alleviare: quod postea exposuerunt de terriculamentis diaboli & mortis in extremo actu vitæ.* ad hunc, inquam, Chemnitii locum Junius respexisse putavit in sua refutatione Bellarminum; qui tamen non hæc, sed ea quæ leguntur in examine decreti de versione Scripturæ, indeque supra a nobis recitata sunt, impugnat. Contra Gretserus arbitratus est, Junium vindicare voluisse locum Chemnitii, qui est, ut dixi, in capite de versione Scripturæ, nec animadvertit, respexisse eum ad locum illum alterum, ubi de ipsa Unctione extrema ex instituto agitur. Atque hinc factum, ut falsus sit uterque: Junius, dum Bellarminum data opera dissimulasse credidit quæ de voce *alleviare* hujusque a *Monachis* allata expositione Chemnitius monet; Gretserus, dum tribui eidem Chemnitio a Junio arbitratus est quæ ille non scripserit.

XLV. Ad rem ipsam quod attinet, reprehendit Chemnitius, quod Pontificii ex voce *alleviare*, quæ in Vulgata legitur, probare ausint efficaciam Unctionis extremæ adversus spectra & incursionem Satanæ; cum tamen τὸ ἐγείρειν, quod in fonte extat, nihil hujusmodi insinuet. Ubi frustra est Bellarminus, quando contēdit, verbum hoc Græcum melius ostendere proprium extremæ unctionis effectum, (quem esse ait, ut homi-

nem in articulo mortis mœstitia & doloribus oppressum ac torpentem erigat & exhilaret) quam Latinum. Nam primo falsum, quod ἐγείρειν heic significet, animum doloribus oppressum exhilarare: notat enim, corpus ex morbo decumbens, sanitate restituta, erigere, respondetque priori membro: ἡ εὐχὴ σώσει τὸν κάμνοντα. Deinde, si maxime id significaret, quod vult Cardinalis, num ideo nescire dicendus quid loquatur Chemnitius, dum Papistas efficaciam extremæ unctionis adversus spectra Satanæque incursionem ex Latino *alleviare* probare ait, cum Jacobus habeat verbum ἐγερεῖ, nihil ejusmodi innuens? Esto: non agnoscat hunc effectum Bellarminus, nec admittat istiusmodi ex vocabulo *alleviare* probationem, num idcirco somnia statim erunt quæ de aliis Pontificiis Chemnitius annotat? Certe Aureolus, ut ipse etiam Chemnitius observat, sex recenset Unctionis extremæ fructus, quorum quartus est, *robur contra dæmonis insidias*, quintus, *arctatio diabolicæ potestatis, quæ non ita potens, sumpto isto sacramento.* Verum de his alibi fusius.

De loco 1 Joh. 5, 13.

XLVI. Tandem ubi 1 Joh. v, 13. Vulgata legit: *Hæc scripsi vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei*; in Græco autem est: Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε, ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, Bellarmino judice Græcus textus redundat. *Nam*, ait, *cùm dictum sit: Hæc scribo vobis, qui creditis in nomine filii Dei; quorsum adjicitur: ut credatis in nomine filii Dei? quid enim opus erat monere, ut facerent quod jam fecerant?* Addit, etiam Bedam legere ut Vulgata habet.

XLVII.

XLVII. Verumenivero utut in sensu seu sententia magnam heic discrepantiam non esse largiamur, Græcæ tamen lectioni merito inhæremus, quippe quam consensus veterum optimorumque codicum confirmat. Unde etiam Beza, licet in Latino planiorem sententiam agnoscat, nostram nihilominus lectionem in sua editione exhibet, cum non nisi unum reperire potuerit exemplar mscr. quod pro altera illa faceret. Neque ratio, quam contra Græcum textum affert Bellarminus, ullius momenti est. Quid enim usitatius vel in vulgari sermone, quam monere alios, ut faciant quod jam faciunt? Sic dicit Poëta:

Quod facis, ut facias, teque imitere, rogo.

Solentque in hæc verba definere frequenter epistolæ: *Vale, & me, quod facis, ama*, id est, constanter me amare perge. Refer etiam omnino huc illud Apostoli, 1 Thess. v, 11. *Adhortamini alii alios, & ædificate singuli singulos, sicut & facitis.* Ita ergo credentes quoque hortatur Apostolus, ut credant, hoc est, credere pergant, ac fide crescant. Confer insuper loca Exod. XXXIII, 13. Apocal XXII, 11. ubi redundare aliquid, non dicent, opinor, Pontificii. Bedæ, auctori Latino, ad quem Cardinalis provocat, opponere nos possumus Scholiasten veterem, qui synopsin ex Græcis scriptoribus condidit, adeoque longe majoris heic auctoritatis est.

CAPUT XV.
DE
VERSIONIBUS LATINIS ALIIS.

I.

HUcusque, pressis Bellarmini vestigiis, eumque & ipsius hyperaspistas κατὰ πόδα sequuti, de Hebraico, Chaldaico, Syriaco, Græco, Latinoque vulgatæ versionis Scripturarum Sacrarum textu egimus. Placet nunc, tum de translationibus Latinis recentiorum, tum de versionibus Orientalibus, quas Bellarminus, utpote sibi ignotas, & quod aliquæ earum ipsius ætate in abdito adhuc laterent, non attigit, tum denique de traductionibus Bibliorum vulgaribus, in studiosæ Juventutis commodum nonnulla subjungere.

Pagnini Versio Biblica, deque ea judicium Serarii.

II. Ad Latinas ergo quod attinet editiones, primo heic sistit se versio Xantis, sive Santis, aut Sanctis Pagnini. De qua Jesuita Serarius, Prolegom. Bibl. cap. XIIX, quæst. III: *Præ aliis pene omnibus Latinis versionibus commendari solet ea quæ Pagnini est, & quæ Leonis Judæ, per Hispanos Theologos recognita.* Sixtusque Senensis, Bibliothecæ sanctæ libro IV: *Sanctes Pagninus, Lucensis, Prædicatorii ordinis concionator Apostolicus, vir in divinis Scripturis apprime eruditus, & trium linguarum, sed Hebraeæ potissimum, peritissimus, cum animadvertisset, celebrem illam Hieronymi versionem, temporum injuria & hominum incuria, vel magna ex parte intercidisse, vel magna ex parte fuisse corruptam, tentavit & ipse novam aggredi totius Scripturæ translationem, Leone X. Pontifice Maximo hortante, & sumptus operi necessarios præbente. Collatis igitur inter*

Sixti Sen.

se

se multis, iisdemque probatissimis Hebræorum exemplaribus, quanta maxime valuit diligentia ac fide, omne Vetus Testamentum ex Hebraica veritate Latinitati donavit, & Hebraicorum nominum multitudinem, quam priores interpretes in Latinas voces inflexerant, Hebraicæ linguæ prolationi restituit. Utque lector haberet rectam rationem pronunciandi Hebraice, accentus Hebræis dictionibus superposuit, additis quibusdam in margine totius voluminis numeris, qui indicarent, quot in singulis Hebraicæ scripturæ capitulis versiculi, quos Pesuchim appellant Judæi, continerentur. Quæ omnia tam solerti cura executus est, ut ejus editionem peritissimi Hebræorum Rabbini omnibus, quæ nunc extant, translationibus præferant, multis eam laudibus attollentes. Vertit quoque non minori laude Novum omne Testamentum juxta Græcam fidem: in quo, sicut & in Veteri Testamento, Vulgatæ editionis authoritatem, manente Græci contextus sententia, sequi conatus est. Opusque suum Clementi VII. Pont. Max. dedicavit. De eodem auctore Petrus Dan. Huetius, lib. II de Interpretatione cap. III, 15. judicat, quod *felicissimo successu perfectæ propemodum & absolutæ sanctorum voluminum interpretationis exemplum dederit;* quodque *Rabbinorum peritissimis summopere* ejus versio *probetur, ac reliquis anteponatur.* & Buxtorfius, præfatus in Lexicon suum Hebraicum, Santen *post Hieronymum primum Biblia Hebræa integra in Latinum fidelissime convertisse* ait. & Similiter M. Polus, in præfatione Synopseos Crit. *Versionem hanc,* inquit, *maxime literalem, cum commode fieri potuerit, fidam, singulari judicio atque peritia concinnatã, docti fere omnes consentiunt.* Laurentii porro Beyerlink, in Bibl. variarũ interpretationum versionem

Huetii.

Buxtorfii.

Poli.

Beyerlink.

præfati, verba sunt: *Omnes* translationes (*Vulgatam excipio*) *præcellit, cum sermonis puritate, tum proprietate verborum, ab ipsis fontibus cum delectu petita, ea quam Santes Pagninus, Lucensis, indefesso studio & stupenda judicii maturitate, e pererudito suavissimi sui pectoris arcano, magno Ecclesiæ commodo, deprompsit.* Ubi mirum non est, Vulgatæ Latinæ Pagninianam postponi ab homine Pontificio, quem Tridentini Concilii auctoritas judicare aliter non sinit. Secus vero heic visum nostro Dn. D. Franzio, cujus verba, sub initium Tractatus de Interpretatione S. Scripturarum, pag. m. 31. *Quod attinet ad Latinam versionem a Pagnino adornatam, illa viris solide doctis & piis præ vetere millies carior habetur, certiorque & purior deprehenditur.* Tametsi statim addit, ne hanc quidem translationem ita esse comparatam, ut in omnibus & singulis possit probari. Uti de eadem pariter & Münsteri versione (de qua paulo post dicemus) ita Lutherus judicat, sub finem libri de Schemhamphoraſch, Tom. IIX Jen. G. fol. 135, a. Ich sehe / wie die zween feine Männer / Sanctes und Münster / haben studio incredibili & diligentia inimitabili die Biblia verdolmetzscht / viel gutes damit gethan. Aber die Rabinen sind ihr etwo zu mächtig / daß sie auch der Analogia des Glaubens gefeilet / der Rabinen glosse zuviel nachgehängt haben.

Franzii.

Lutheri.

Arias Montanus, Xantis corrector.

III. Et certe cum anno cIↃ IↃ LXXI in Biblia Regia transferenda esset Veteris Testamenti versio Pagniniana, ab Aria Montano, Raphelengio, Guidone Fabricio, aliis, castigari illam prius & ab erroribus liberari oportuit. Qua de re ita in præfatione Arias: *Cum nihil simul & inventum & perfectum sit, neque una eademque*

Arias

atas omnia in lucem proferat, neque etiam unius mente omnia perspici ac peragi possint, non potuit vir ille, licet ob eximiam doctrinam prope singularis, in re tam ampla, & in ea lingua in qua infinita prope mysteria continentur, ita omnia accurate diligenterque vidisse, quin aliquid etiam exercitatis ingeniis dispiciendum examinandumque reliquerit. Plerique igitur eximii illius viri laboribus & doctrina adjuti, nonnulla observarunt, quæ minus diligenter (pace tanti viri dixerim) ab ipso animadversa sunt. Atque ita mox narrare pergit, quomodo insigni linguarum cognitione præditi Theologi, qui ad omne opus Regium recognoscendum electi erant, collatis inter se tribus ipsius Pagnini diversis temporibus in lucem emissis exemplaribus, adhibito etiam ejus Dictionario Hebraico, aliisque lucubrationibus & vigiliis, pleraque loca adnotarint, quæ ipse auctor aliter, quam in prima editione habebantur, legenda & tenenda esse agnoverit, idque Montano hujusque συνεργοῖς negotii dederint, ut tum ex interpretatione Pagniniana, tum etiam ex Hebraicæ locutionis ac proprietatis diligenti observatione, novo labore novum opus contexerent, in quo omnes dictiones quam aptissime, quoad effici posset, de verbo expressæ essent. Ergo, inquit, *communicatis in singulos dies sententiis, ac verbis omnibus, eorumque modis, ceterisque orationis partibus, quam maxime fieri potuit, ad Latinæ linguæ proprietatem examinatis, non pristinam quidem illam Pagnini editionem, sed Hebraicam locutionem simplicissime redditam in omnibus Veteris Testamenti libris, tandem absolvimus.*

IV. Quamquam vero illustria plane ab ipsismet Pontificiis nonnullis elogia tulerit Pagniniana Biblio- *Sinistra de Pagnini*

rum

translatione judicia Genebrardi, &

rum versio, haud defuerunt tamen ex eadem schola alii, quibus nequaquam ad palatum illa fuit: siquidem Gilberto Genebrardo, præfat. in Opera Origenis, *minus diligens* audit, *nimis ambitiosa*, *nimis curiosa*, *nimis Grammatica*, *nimium Rabbinicarum minutiarum æmula*, *quæque recentium præceptionum subtilitate noxam sinceritati & sententiarum & rerum sæpiuscule afferat*; imo

Mariana

e Jesuitis Johannes Mariana, libro pro Vulgata cap. xxv, quod ipsa fidei Christianæ mysteria evertat, insimulare eam non veretur: parum fortasse memor, Theologos Lovanienses, subscribentibus Parisiensibus in opere Regio, hancipsam Pagnini translationem, ut quæ *ex illustribus summorum Pontificum privilegiis probationibusque multum auctoritatis habeat* (nempe Hadriani VI & Clementis VII; quorum epistolæ in fronte editionis anni LXXV comparent: uti jam antea auctoris deparanda ex fontibus nova translatione consilium probaverat Leo X) *inter eas, quæ recens editæ sunt, commodissimam tutissimamque* judicasse. Quid enim? an virum decebat sincere Romano-Catholicum, suspectam reddere tamquam Christianæ fidei mysteria evertentem sacri textus versionem, quam tot Pontifices sua auctoritate communiverunt, quamque TUTISSIMAM pronunciarunt illustres adeo Romanarum partium Theologi?

v. Et quî docet, obsecro, Mariana, quod habeat Pagniniana translatio quibus ipsa fidei mysteria evertantur? Dicit, Jobi XIX, 26. ubi Vulgata legit: *rursum circumdabor pelle mea*; unde Hieronymus corporum resurrectionem probet, Pagninum reddidisse: *postquam pellem meam contriverunt*; quin obscurius etiam

am in prima editione: *& post pellem meam contritam vermes contriverunt hanc carnem.* Quasi vero fidei mysteria evertere is statim dicendus, qui Scripturæ locum aliquem, etiam de fidei capite agentem, non satis accurate e fontibus transfert: & quasi eversum protinus esset Christianum de corporis resurrectione dogma, nec Scripturæ auctoritate sufficienter posset stabiliri, si vel maxime de eo hic Jobi locus non ageret. Aliud est, evertere fidei mysteria, aliud, pervertere testimonium quoddam, cui fidei mysterium aliquod sic innititur, ut tamen id solum & unicum ejus fundamentum non sit. Quamvis enim & hoc improbari omnino debeat, præsertim si temere fiat, vel data opera, prius tamen illud longe atrocius esse crimen, vidisset ipse Mariana facile, ni Vulgatæ suæ amor nimius Conciliique Tridentini splendor ipsum excœcasset.

Ariam Montanum sugillant Jesuitæ.

VI. Atque is ipse etiam glaucoma sine dubio ob oculos objecit Jesuitis, quo minus de Ariæ Montani labore, quem Pagninianæ versioni emendandæ impendit, æquum ferre potuerint judicium; licet invidiæ forsan & æmulationi primas deferre heic oporteat: de qua Arias queritur, Tract. de varia Ebraicorum librorum scriptione, *Nos*, inquiens, *Pagnini diligentiam imitati, atque pressius etiam secuti, eam quam in prima hujus operis præfatione exposuimus operam præstabamus, quamque a nemine hactenus doctorum & candidorum virorum improbari audivimus, præter unum Erostratum, qui Theologorum suæ ætatis & superiorum fere omnium laboribus obtrectare, atque Pagnino inprimis bellum indicere, summæ sibi, ut existimo, laudi fore speravit. Is quoniam Pagninum vivum habere non potuit, nostrum præ aliis*

nomen præscindendum suscepit, nactus fortassis opportunitatem in quorundam animis & consiliis, qui cum soli sapere, & soli bene vivere, JESUMQ. propius insequi & comitari sibi videantur, atque id palam professi jactitent (descriptionem notes & encomia Societatis) *me, qui minimum atque adeo inutilem JESU discipulum ago, odio habuerunt gratis. Atque hi, quod neminem, qui alias bene audiat, palam improbare audent, aliorum, quos ad eam rem occulte inducere possunt, ingeniis & nominibus abutuntur. Horum autem nos neque artes fallunt, nec gregem prodere, aut cognomen indicare juvat. Utuntur illi quidem magno & inaccessibili ad suas res agendas mysterio, sed quod facile iis, qui simplicius apertiusque agere volunt, pelluceat, quodque non post multos annos tandem aperiendum est, virtute illius qui illuminabit abscondita cordis & occulta tenebrarum: tunc enim laus unicuique secundum opera sua.* Tametsi non semper occulte heic egerit gens Jesuitica, sed palam tandem in lucem contra Ariam prodierit: uti inter alia ex Jacobi Bonfrerii Præloqu. cap. XIIX, sect. 1, constare potest.

Simonii esse eundem Arii judicium.

VII. Et quid dixisset bonus ille Montanus, si elogia legisset, quibus hodie Latina ejus Biblia ornat, in sua Historia Critica V. T. lib. II, cap. XX, famosus ille Gallus, Richardus Simon? *Vere*, inquiens, *& acute de ipsius correctionibus dictum: QUOT CORRECTIONES, TOT CORRUPTIONES. Nedum enim vitia castigavit; quæ innumerarant, prorsum auxit.* & paulo post: *Nequaquam jure fidissimus Interpres dicitur* (uti scilicet Huetio audit). *Imo merito INEPTISSIMUS vocandus. Tunc enim fidissimum interpretem dixeris, qui ubique sensum textus pervertit?* Quæ tametsi severior est censura, negari interim

terim nequit, notare quædam de Ariæ transferendi ratione Simonium non susq; deq; habenda: cujusmodi præ ceteris illud, quod ad diversas proque contextus & circumstantiarum conditione immane quantum sæpe variantes vocum significationes minus attenderit. *Cum voces Hebraica æquivocæ sunt*, ait, *attendenda tunc earum significatio juxta locorum circumstantias propria*: *& absurdum est, absque discrimine quamlibet significationem afferre, sive conveniat, sive non. Toto Ariæ versionis corpore fusum hoc vitii genus: qua in re non multo valere se judicio demonstravit.* moxque exempli loco affert, inter cetera, quod particulam לע ubique reddat *super*, quam nemo nesciat aliquando *super* significare, aliquando *juxta*, aliquando *cum*; quod Ex. IX, 30. Hebræum טרם absurde vertat *antequam*, expuncta, qua rectissime heic usus fuerat Pagninus, voce *nondum*: & similia, repetita quoque in Disquisitionibus Criticis de Variis Bibliorum editionibus anno LXXXIV Londini a Roberto Denison publicatis, quas & ipsas Simonium parentem agnoscere, & Denisonis præfatio & res per se satis loquitur. Vide præterea eandem in rem Jacobum Bonfrerium Præloqu. in Pentateuchum cap. XIIX, sect. I. & C. Frassenium, Doctorem Sorbonicum, Disquisit. Bibl. lib. II, cap. VII, pag. 404. cujus verba: *Probetur sane hac aliis versio; mihi vero probari non potest tanta in vertendis divinis oraculis verborum religio & ridenda barbaries.* Sed & e Reformatis Matth. Polus, præfatione in Synopsin Crit. de Montano, *Illum*, inquit, *nec immerito, viri docti hac censura perstringunt, quod Pagnini versionem temere loco movit, & pro bonis Pagnini, sua prava, inepta, ac barbara vocabula reposuit.* *Poli judicium.*

& Waltoni. *fuit.* Quæ mutuatus est ex Waltoni Proleg. v, 5. sed qui mox addit: *Hoc tamen pro Aria dici potest, quod hoc modo tyronibus in lingua Hebræa consuluit, nec Pagnini verba prorsus sustulit, sed tantum in marginem transtulit.* Atque hæc de Pagnino-Ariana Bibliorum versione.

Munsteri translatio.

IIX. Ea vetustiorem nonnulli faciunt translationem Sebastiani Münsteri, eo moti haud dubie, quod anno cIↃ IↃ XXV hæc versio prodiit, cum Pagniniana demum XXIIX publicata credatur. Verum alii Pagninianam jam tum anno XXIII lucem adspexisse annotant, & illam anni XXIIX pro iterata editione habent: quemadmodum & Munsteriana meliori facie prodiit anno XXXIV, XXXIX, XLVI. ad quas forte editiones respiciunt qui eam Pagniniana recentiorem statuunt. Lutheri de hac traductione judicium supra num. II dedimus.

Di ea judicium Huetii,

Huetius de eadem ita, lib. II de Interpretatione: *Sebastianus Münsterus, Bibliorum interpres sane doctus, in Ebraica semper stylum collineans, ad eaque nunquam non se componens; nec ideo tamen Latini coloris negligens, in ejus quamvis linguæ elegantiis parum se torserit. Quod si quando obscuris explanandis unam alteramve dictionem e proprio penu adjecit, certis illam notis homo religiosus insignivit, quo adulterinis lector germana seponeret.*

Simonii,

Quod judicium calculo suo sic approbat Simonius, Historiæ Criticæ lib. II, cap. XXII, ut ipse addat: *Nova hæc Münsteri versio Pagnini & Montani, quippe qui sensum negligere solent ut Grammaticæ religiose hæreant, versionibus longe melior videtur. Münsterus enim conatur pro viribus, ne a sensu unquam discedat, etsi Grammaticam haud spernat. Nec propriam quatum-*

rumque vocum in se significationem solum attendit, sed & rerum & locorum circumstantias expendit. Utut pariter stylus ejus haud exacte purus sit, nil habet tamen quod barbarum adeo videri queat. — Pure scribere potuisset; sed veritus nimium a sensu Grammatico recedere, nec satis vim vocum Hebræarum exprimere ac reddere. Uno verbo, scopum quem sibi proposuerat, ferit & assecutus est. — Imo omnium Interpretum Protestantium exactissimus ac fidissimus merito habendus. Quæ postrema sic exprimit Disquis. Crit. cap. XXIII: *Nemo recentiorum Interpretum, inprimis Protestantium, contextus Hebrai verba & sensum melius videtur expressisse, quam Sebastianus Münsterus.* Cumque recitasset verba Sixti Senensis, ex Biblioth. S. libro IIX: *Münsterus ubique horridus, senticosus, & asper, usque adeo Hebraici sermonis horrorem secutus est, ut, cum multa Latinis auribus molliter accommodare potuisset, omnes tamen Hebraici sermonis proprietates ac phrases adeo servare studuit, ut nec ipsos Hebraicorum nominum stridores prætermittere voluerit*; hæc ubi recitasset, inquam, *Miror Sixtum*, subjicit, *qui Caietanum, Pagninum, Oleastrium, & alios laudet, qui in suis sacri contextus versionibus longe majorem barbariem in Latino sermone quam Münsterus affectaverint.* Potuisset ipsam adjicere Vulgatam: quæ quam molliter Latinis auribus multa accommodet, specimen docere potest quod sub finem hujus commentarii damus. Sed nimirum e Sixti sententia duo cum faciunt idem, non est idem, nihilque vetat, eadem illa culpari in Hæreticis, quæ laudantur, saltim non improbanturæque, in Catholicis. *Sixti Sen.*

IX.

Tigurina Biblia, a Leone Juda, Bibliandro, Cholino, adornata

IX. Tigurina Biblia, a loco ubi adornata sunt sic vocata, non unum agnoscunt auctorem. Primus enim translationi huic manum admovit Leo Juda. Quem natione Judæum fuisse, perperam tradunt (forsan nomine ipsius propriout, pote Judaici quid sonante, in errorem adducti), Genebrardus, Serarius, Bonfrerius, Gretserus; cum parentibus Pontificiis natus sit, posteaque ad Zvvinglii transierit partes, quem olim studiorum socium habuerat, Minister tandem factus Tigurinus; uti in vita ejus annotat Melchior Adamus. ubi etiam de Tigurina versione hæc habentur: *Cum præter alias linguas Hebraica esset peritissimus* Leo, *ac supra annos octodecim, quibus Vetus Testamentum apud Tigurinos ex veritate Hebraica a viris doctissimis fuerat explicatum, multa observasset, ac veluti sylvulam futuro operi collegisset; instantibus fratribus, libros Veteris Testamenti sincere ad veritatem Hebraicam transferre est aggressus. In transferendo autem usus est & adiutus plurimum opera & industria virorum tam linguarum quam rerum peritissimorum; tum vero & Hebraico exemplari emendatissimo, quod religiosissime, ceu cynosuram & aternæ veritatis regulam, observavit; consultis quoque aliis exemplaribus Hebraïs in locorum difficilium interpretatione, Græcis item Latinisque editionibus aliis non neglectis.* Ceterum ubi, morbo interceptus, totam absolvere translationem nequiret auctor, quæ restabant, Theodoro Bibliandro, Professori apud Tigurinos Theologo, perficienda paulo ante obitum commendavit. Cujus etiam opera traducta sunt quæcumq; ex Hebræo adhuc vertenda supererant. Apocryphorum autem ex Græco translationem adjecit Petrus Cholinus, Tugienfis.

Nar-

Narrat hæc, præter jamjam citatum Adamum, illustris quoque Thuanus, lib XXXVI, ann. LXIV: & postquam addidisset, translationem istam tum Parisiis a Stephano, tum diu post ab Hispanis Theologis recognita Lugduni fuisse excusam; id *eo commemorandum duxi*, subjicit, *ut versionis tanti apud nos & Hispanos ipsos factæ origo cognosceretur, & insigne documentum extaret, quid utilitatis ex adversariorum libris & industria, si, semotis odiis, caritatem & æquitatem induamus, ad Dei gloriam capi possit.* De ejus judicium Thuani.

x. Quæ Thuanéa longe aliter tinniunt quam Genebrardi ista, Chronogr. lib. IV, an. cIↃ Ↄ XXXVI, & præf. in Origenem, quod versio hæc non probetur iis qui leviter linguis tincti sint, quippe adeo impura & indocta, ut, dum ipse eam legat, & cum Hebræo conferat, in alio mundo versari, nec sacras literas, sed fabulas ex sacris literis adductas legere sibi videatur. De quo judicio sic judicat Simonius Histor. Crit. V. T. lib. II, cap. XXI: *Acerbe nimis in* Leonem, *uti & in Munsterum, invehitur Genebrardus. Modestius sane vitia carpere poterat. Verum sartam Parisiensium Theologorum authoritatem præstare volebat, a quibus damnatus fuerat.* & in Disquisitionibus Criticis cap. XXIII: *Léonis Judæ versionem severe castigavit Genebrardus: qua in re Theologis Parisiensibus, ipse eiusdem Facultatis Theologus, placere visus fuit. Sed longe mitius a Theologis Hispaniæ exceptus Robertus Stephanus: qui editionem Bibliorum a Theologis Parisiensibus improbatam, de auctore versionis Latinæ ex Hebræo minime solliciti, simul cum Notis, paucissimis in ea immutatis, Salmanticæ publicarunt, eamque dignam judicarunt quæ a viris Scripturæ sacræ studio-* Genebrardi. Simonii.

diosis legeretur. Quibus mox suammet subjungens sententiam, *Minus quidem proprie*, inquit, *voces Hebraicas reddidit Leo Judæ quam Sebastianus Münsterus: sed editionem suam Latinis auribus accommodavit; quod a Münstero præstitum non est. Si qua in re reprehendi meretur Leo Judæ, in hoc maxime, quod, ne ob brevitatem obscurus fieret, Paraphrasten interdum potius quam Interpretem se ostendit.* Quomodo etiam in Historia Critica, citato loco, de eodem scribit: *Perperam nimisque interdum styli magnitudinem & sublimitatem affectat, & suis periphrasibus nimium a sensu proprio recedit, scilicet ut intelligibilem magis se faceret.* & paulo post: *Haud negandum videtur, liberiorem paulo Leonem fuisse, singulares sensus in versione sua sequi, ac vel nimis textum limitasse, vel nimis ampliasse.* Supra de translatione hac dixerat: *Sane primo intuitu grata videtur, ac medium tenere locum inter aliarum barbariem & ad literæ scribeiam exactam austeritatem, ac aliarum affectati styli & elegantiæ nimiæ studium. Sunt tamen aliqua loca, ubi author, nimiam dictionis simplicitatem refugiens, haud satis proprie autographi verba interpretatur.* Longe etiam aliter quam Genebrardus de Tigurina sentit Jesuita Serarius, cujus verba num. 11 dedi. Huetius de Interpretatione lib. II, 17. judicium suum heic suspendit, *Quid de Leonis Judæ editione pronunciem*, ajens, *incertum me faciunt varia de ea hominum judicia.* Videtur tamen in Casauboni hac tandem, quam recitat, acquiescere epicrisi: *Constans ea fere est doctorum hominum sententia, recentioribus illam, cum fide & doctrina, tum perspicuitate antecellere: cui sane, si Sautianam sepposueris, refragari religio est. Elegan-*

Serarii, Huetii.

Casauboni.

gantiæ tamen ſtudium de indole nonnulla, & verborum fide, ipſorumque ſitu, qui, ut ex ipſo Hieronymo ſanximus, myſterium eſt, detraxiſſe fatentur: ut non converſionem, at paraphraſim, Salmanticenſes appellandam illam cenſuerint. Quin ex ipſis Hiſpanis Theologis, notante Bibliothecæ Theolog. lib. I, cap. IV, p. 167. Hottingero, luculenter verſionem hanc commendavit Ferdinandus de Eſcalartes. Quod ægre ferens maledicus ille Jeſuita Gretſerus, Admonitionem ad exteros de Bibliis Tigurinis edidit: quam ſuis pro Translatione Tigurinorum Latina Vindiciis profligavit Joh. Jacobus Huldricus. Quem & reſponſum ad oppoſitam ſibi Defenſionem Gretſerianam paraſſe (tametſi id lucem non adſpexit) teſtatur Bibliothecæ Hottingeri Tigurinæ ex autographo adjecta ejusdem Διατύπωσις. Videatur etiam dicti Gretſeri tractatus de Novis Translationibus Biblicis cap. I ſub finem, ubi indignatur, quod *translationem, quæ eſt peſtilentium Zvvinglianorum, in Catholicis locis recuderint.*

Ferd. de Eſcalartes.

XI. Qua de cauſa verſio hæc Franciſco Vatablo, Romanis ſacris addicto Profeſſori Pariſienſi, tributa olim fuerit, dicimus infra cap. XXXII, 11. Quod autem Hottingerus, loco ſupra laudato, ſcribit: *Quæ Vatabli nomine vulgata eſt translatio, Tigurina per omnia non reſpondet. quod obſervatum hactenus non ſatis eſſe, miror. Vatabli certe editio mixta, pro Tigurina pura habenda non eſt*; id neſcio de qua varietate ſit accipiendum. Equidem Theologi Hiſpani Tigurinæ verſioni medicas ubi manus adhibuiſſent, anno CIↃ IↃ LXXXIV Salmanticæ per Gaſparem de Portonariis Codicem publicarunt ſub hoc titulo: *Biblia ſacra, cum duplici translatione, & ſcholiis*

Tigurina Vera, quæ nunc ſub Vatabli nomine extat Bibliorum editio, quid differant.

scholiis Franciſci Vatabli, nunc denuo a plurimis, quibus scatebant, erroribus vindicata & repurgata, doctiſsimorum Theologorum, tam almæ Univerſitatis Salmanticenſis, quam Complutenſis, judicio, ac Sanctæ Generalis Inquiſitionis juſſu. Ceterum in Hiſpanica hac editione pauca adeo, in ipſo quidem translationis textu, ſunt variata, ut *mixtæ* propterea *editionis* nomen non poſſit tueri. Nempe quatuor dumtaxat in locis, idque leviter, aliquid fuiſſe mutatum, annotavit, præfatione in Synopſin Critic. Matthæus Polus. En ipſa viri verba.

Poli de Tigurina judicium.

Verſio hæc, inquit, de Tigurina loquens, *ſumma eruditione & magno judicio confecta. Hebraici textus licet verba non ſemper exprimat, at ſenſum in plerisque ac maxime in difficillimis locis ingenioſe ſimul & fideliter reddit. Porro proprietate & puritate ſermonis, perſpicuitate atq; elegantia ſtyli, reliquisque bonæ traductionis virtutibus, vel cum primis contendere poteſt. Quo facit, quod ipſi Romanenſes, qui alias verſiones (nominatim Münſteri, Caſtalionis, Junii) damnant, earumque uſum prohibent, in Indice expurgatorio, hanc tamen quodammodo probare videntur; eamque Hiſpanienſes Theologi Salmanticæ recuſam dederunt, QUATUOR TANTUM IN LOCIS, ET QUIDEM LEVITER, IMMUTATAM; ut ex viro doctiſſimo, qui utramque inter ſe contulit, didici.* Ubi cum Expurgatorii indicis mentionem faciat Polus, obſerva, eodem illo anno, quo Salmanticenſia, quæ diximus, excuſa ſunt Biblia, prodiiſſe etiam Madriti, apud Alphonſum Gomezium, Regium Typographum, Indicem librorum Expurgatorium, Gaſparis Quiroga, Cardinalis & Archiepiſcopi Toletani, Hiſpan. Generalis Inquiſitoris, juſſu editum: in quo

cum

cum notentur omnia quæ in Bibliis Rob. Stephani mutari debeant, textus tamen ipse relinquitur integer, duobus solum locis exceptis, puta III Regg. IIX, 47. & Ps. XVI, 10. Quæ cum ita sint, tantillam Hispanorum emendationem supra expressis verbis tangere voluisse Hottingerum, vix fit verosimile. Quæ ergo sit illa, quam *Tigurinæ puræ* opponit, *Vatabli editio mixta*, dispiciant quibus ad id otium, editionumque varietas in promptu.

Castalionis interpretatio, deque ea judicium Thuani.

XII. Tandem & Sebastianus Castalio, sive Castellio, circa ipsum seculi superioris medium, Biblia nobis Latina dedit, quæ Ciceroniana non immerito forsan dixeris, quod majorem, quam par erat, Latinitatis rationem in versione hac sua auctor habuerit. De ea sic Thuanus, lib. XXXVI, ann. LXIII: *Castalio cum puriorem linguarum cognitionem ad Theologicam scientiam adjunxisse se putaret, impuras manus, multorum judicio, ad sacra tractanda attulit, cum, a rebus ad tantum opus necessariis homo imparatissimus, novam Bibliorum interpretationem insolenti temeritate molitus est.* Quæ ubi recitasset Rivetus, Isagog. ad Script. S. cap. XII, 14. subjungit mox: *Id cuivis legenti patebit. Nam etsi versio ejus, si quis ea cum judicio utatur, in nonnullis adjumento esse possit, nec plane in omnibus contemnenda; sunt tamen plura, in quibus sibi nimium indulsit, ut præstet, præsertim minus exercitatis, ab ejus lectione prorsus abstinere; cum inter eas non injuria referri possit, de quibus Antonius Reuchlinus, præfat. ad Concord. Ebraitus Rab. Nathan, dicebat: multas translationes Bibliorum in lucem prodire, quas melius fuisset non natas, aut statim interiisse.* Paulo ante probaverat Alberici

Rivet.

Alb. Gentilis. Gentilis judicium, *audaciam profanam* Castalioni tribuentis, versionemque ejus *puerilem* appellantis *interpretationem*. Cumque Jesuita Guil. Bailius in suo Catechismo Controversiarum, tract. 1, qu. v, scripsisset: *Castalio in sua versione, relicta sincera interpretandi ratione, liberius excurrens, sequutus est spiritus sui ventum. Unde etiam censuram eorum, qui judicio pollent,* Beza. *subit, nec ei parcunt sui: inter quos Beza eum mordet & lacerat quavis occasione data*; occupatus in examine hujus libri Rivetus, in Catholico suo Orthodoxo, *Castellionis temeritatem non praestamus*, ait, *qui turbulento suo ingenio, se non solum in eo, sed & in aliis, indignum bonorum omnium defensione reddidit. Nec ignorant Jesuita, fuisse inter nostros, qui locutionum ejus vanitatem, & versionum Latinarum & Gallicarum errores & ineptias, redarguerint.* Ubi haud dubie Theologos Genevenses innuit, in Biblia Genevensia edit. ann. clc lo lix præfatos, & præ ceteris ab ipsomet Bailio jam nominatum Bezam: qui non solum in suis in N. T. Annotationibus Castellionem passim perstringit, sed & in Responsione ad hujus defensiones & reprehensiones, præter alia multa, *intolerandam* ei *audaciam* objicit, dum *ab illa nuda quidem & simplici, sed vere tamen divina & plena masculæ majestatis eloquutione discedens, Prophetici & Apostolici sermonis puritatem quasi fuco quodam orationis inficiat*: imo translationem ejus talem esse pronunciat, quæ *una potius litura quam correctionibus indigeat.*

Sixti Sen. XIII. Et certe non omnino præter rem scripsisse arbitramur Sixtum Senensem, Bibliothecæ sanctæ lib. IIX, quod in versione sua, *Gentilem se verius ac prophanum*

rum, quam Latinum ostendat Castalio, *nec vere se Latine loqui putet, nisi quam effœminatissime loquatur, & citra omnem divinæ Scripturæ majestatem, ac divini interpretis gravitatem, singulas quasque sententias meretricularum more fuco pingat, & calamistris inurat, lasciva quadam mollium verborum affluentia luxurians.* quemadmodum nec plane falsa judicamus Genebrardi hæc, præfatione in Origenem: *Castalionis versio est affectata, plus habens pompæ & phalerarum, quam rei & firmitatis; plus ostentationis quam substantiæ, plus fuci quam succi, plus hominis quam Spiritus, plus fumi quam flammæ; plus humanarum cogitationum quam divinorum sensuum; plus foliorum quam fructuum.* atque Huetii ista, de Interpretatione lib. 11, 18. *Quid de intemperantissima S. C. conversione statuendum est? quæ res purissimas fastidiosa venustate oblimavit, & omnem divini Verbi vim nimia curatura elisit, & verba a Patribus & toto Christianorum cœtu recepta & usurpata ineptissime repudiavit.* Etenim cui Christiano pectori probabunt se illi *Genii*, illa *pollubra*, ac similia ex *Orco* (qua etiam voce delectatur) resuscitata Ethnicismi vocabula; quæ pridem sepulta oportuit, nedum ut in ipsum Scripturæ textũ inferri debuerint? quis in sacrosancti Cantici interpretatione diminuta illa molliterque tinnula vocabula, *sororculam, amiculam, columbulam, corculum, vulticulum, cerviculam, capitulum, accellulos, mammulas*, hujusque farinæ plura, elegia Tibulliana quam divina ode digniora, æquo ferat animo? quis pro *Baptista*, similibusque Theologicis rebus consecratis vocibus, Johannem *Lotorem*, & id genus alias profanas novitates in codice Biblico, & quidem sine ulla necessitatate, sibi patiatur obtrudi?

Genebrardi.

Huetii.

XIV. Ut igitur libenter Riveti subscribimus sententiæ; Castalionis versionem, si quis ea cum judicio utatur, in nonnullis adjumento esse posse, nec plane in omnibus esse contemnendam; & geminæ huic
Poli, Matthæi Poli, præfat. Synopseos Crit. eam *sensum* Scripturæ *plurimis in locis perspicue, pure, eleganter, & fideliter exprimere:* ita plus justo eidem tribui censemus in Epitome Bibliothecæ Gesneri Simleriana; cujus
Gesner. Bibl. verba: Castalio *vertit tota Biblia, ita diligenter ac summa fide ad Hebraica & Græca exemplaria collatis Veteris ac Novi Testamenti libris omnibus, ac inde in Latinam linguam, observata ubique & perspicuitatis, & elegantiæ, proprietatis ipsius ratione, ut* OMNES OMNIUM VERSIONES HACTENUS EDITAS LONGO POST SE INTERVALLO
Furii Coriolani, *RELIQUISSE VIDEATUR.* similiterque in hoc Frederici Furii Coriolani elogio:

Nescio quis Veterum voluit, sermone Latino
Biblia cum priscis ut loquerentur avis.
Tentavit, fecitque suis pro viribus omnem
conatum: at fantur Biblia barbarice.
Eusebius tentavit idem, tentavit Erasmus.
Frustra est; fantur Biblia barbarice.
Pagninus tentavit idem cognomine Santes.
Frustra opera est; fantur Biblia barbarice.
Tentarunt hoc idem alii; sed non bene cesserit.
Frustra opera est: fantur Biblia barbarice.
En tibi CASTALIO *tentat, Cœlo auspice: idipsum*
Successit: ponunt Biblia barbariem.
O opus egregium! Latio sermone loquuntur
Biblia nunc tandem Castalionis ope.

Episcopii, XV. Sane in excusando Castalione operosus est Simon

Simon Episcopus, Institut. Theol. lib. IV, sect. 1, cap. XXI. Neque tamen rem acu tetigisse ipsum putamus, & iis satisfeciisse quæ editioni huic objici supra notavimus. *In verbis*, inquit, *istis* profanis *error non est: nec Latinitatis puræ studium convitio mactari meretur. nemo ideo errasse dicendus est, quisquis erravit, ut recte censuit Laurentius Humfredus Anglus, quod Latine & eleganter studuerit sacros libros traducere. Errorum aliæ sunt causæ: eloquentiam nemo jure accusandam censet.* Verum esto, non erraverit adeo in rebus ipsis Castalio (quamquam aliis aliter heic visum) error tamen est, res divinas convenienti stylo non exprimere, quiq; deceat cœlestium oraculorum majestatem: error est, quod *Baptismi, Angelorum, Mediatoris*, similiaque solemnia & omnibus perspicua vocabula expunxit, & profana quædam, ac in iis etiam nonnulla plerisque ignota, substituit. Purioris latinitatis studium etsi minime improbari oporteat, tantum tamen id esse non debet, ut in ejus gratiam voces longissimo usu tritas omnibusq; cognitas e Theologia, quid? ex ipso Scripturæ contextu, eliminare ausimus, novasque, nec a cunctis intellectas, & sæpe vel ambiguas, vel diversas, pro iis obtrudere. Si aliarum artium Magistris licet, quæ longo usu optimaque fide possederunt, tamquam sua retinere, utut apud Tullium similesque puriorisLatinitatis custodes non legantur; quidni idem liceat, & multo quidem magis, sanctissimæ disciplinarum Theologiæ Doctoribus: quibus præ ceteris cavendum solicite, ne vocabulis amissis tandem etiam ipsarum rerū possessione depellantur? *Etsi enim Christiana religio sita non est in literis & syllabis, tamen*

nemo

nemo non videt, quantopere ad rerum cognitionem interſit, quid quibus verbis dicatur: adeo quidem, ut multæ gravisſimis de rebus controverſiæ ſæpe unius vocabuli explicatione dirimantur; rectiſſime heic ſcribit Beza. Porro annon error eſt, in exprimendis rebus divinis, quas ſermo decet majeſtaticus, tali verborum uti lenocinio: *Mea columbula, oſtende mihi tuum vulticulum: fac ut audiam tuam voculam. Nam & voculam habes venuſtulam, & vulticulam habes lepidulum* Cant. II, 14. Cujusmodi mollium dictionum amatoriarumque blanditiarum effluentia, qua ubique in illius libri traductione luxuriat auctor, magis ludentem de Lesbiæ paſſerculo Catullum refert, quam ſacrarum literarum interpretem; ceu recte in Diſquiſitionibus ſuis Criticis cap. XXIII judicat Simonius. Quem tamen in Caſtalionem id fecit propenſiorem, quod, ut ipſe quidem cenſet Hiſtor. Crit. lib. II, cap. XXI *nil dubitans, Codices Hebræos eandem cum cæteris aliis libris fortunam expertos fuiſſe, non raro textum Hebraum juxta Criticæ leges, quam alicubi exacte obſervet, reformare nullus dubitet*; indeque *libere loca mutila notet, quibus pro virili medeatur.* Quæ ſi vera, vel ſolo hoc nomine meretur improbari Caſtaliana translatio. Videatur de ea etiam Iſaac Levita, ex Iudæo Chriſtianus Hebraice doctiſſimus, Medit. in librum Ruth, & Jac. Gaffarellus Qu. Pacif. pag. 105. 106.

Simonii.

Verſio Tremellio-Juniana, ejuſque ſcopus.

XVI. Poſt Caſtalionem aliam rurſum ex Hebræo Bibliorum translationem moliti ſunt, Immanuel Tremellius, Ferrariæ patre Hebræo natus, poſteaq; Profeſſor Hebraicorum Heidelbergenſis, & Franciſcus Junius, celeberrimi nominis uterque inter Reforma-

tos Theologus, ille socer, hic gener. Qui quo potissimum consilio novum istum laborem susceperint, ipsimet in præfatione his verbis docent: *Regula est γραμματικωτάτη, singularem vocum naturam, constructionem earum, & interpunctionem observandam esse. At multa antehac fuerunt præter vocum naturam formamque reddita, voces detorta, res constructa aliæ ab aliis distractæ, earum interpunctiones, quasi quædam sententiarum sepes, avulsæ, denique multa advecta incommoda: quæ si nostra opera saltem aliqua ex parte amoveri possint, omne punctum (quod ille ait) tulisse nobis videbimur. Ut autem nihil amplius de alieno labore cogamur dicere, ad formam nostram descendemus. Ad rectam intelligentiam rerum obtinendam, naturam singularum vocum expendimus, constructionem ex similium locorum comparatione, quam maxime fieri potuit, observavimus, interpunctiones Hebræas, non ut otiosas (quod vulgus opinatur) sed plurimum ad rem facientes, retinuimus quanta commoditate potuimus, denique sermonis & argumentorum seriem accurate exploravimus, ut evidentior esset illorum cohærentia. In quibus omnibus aptè & accommodatè reddendis, etiam Hebraici sermonis ordinem, ut per Latinam linguam licuit, servavimus, nisi aliud evidentia loci postularet. Hebraismos singulares, & ἰμφατικωτέρους quàm ut mutari possent, Patrum exemplo religiose retinuimus, alios Latine, quam optime per nos fieri potuit, expressimus in contextu, Hebræarum vocum interpretationē de verbo ad verbum margini apponentes; Barbarismos fugimus: denique enixi sumus, ut Mosche Latinus Christianum orbem personet, idque eodem argumento, quo civium suorum & gentilium aures, dum vixit, personabat.*

Transtulerunt autem solum Vetus Testamentum. Cui jungi solet in codicibus N. T. traductio Latina gemina; altera Tremellii ex Syro, altera Bezæ ex Græco textu.

Mutata passim post Tremellii obitum a Junio, deque mutatione hac sinistrum Lætj judicium.

XVII. Vulgata primum est hæc versio anno CIↃ IↃ LXXIV, sed post defuncto Tremellio heic illic mutata a Junio, & Notarum adjectione aucta, aliquoties prodiit. De quibus sic judicat, in suo Historiæ universalis compendio, period. German. cap. XXXV, sect. II, art. II, Johannes Lætus: Fr. Junius *post Tremellii fere septuagenarii obitum eandem editionem, in opere alieno plus justo ingeniosus, recensuit, & additis multis auctiorem potius quam meliorem reddidit.* Verum non video, cur ita absolute *opus alienum* dici debeat, in quo Junius æque ac Tremellius operam consumpsit. Atque hinc ille, ad lectorem præfatus, *Ego*, ait, *de MEO labore ut mutem cum bona venia, ac non de Tremelliano (si ita placuerit) hoc, inquam, ego ab omnibus postulo.* moxque, nec Tremellio inscio, invito, aut inconsulto, mutationem istam fuisse factam, his verbis testatur: *Hoc voluit Tremellius ipse, quicum ego de locis aliquot amanter contuli, antequam alter ab altero coacti essemus discedere: hoc me facere jubet mea conscientia.*

De Biblia Tremellio-Junianis Gallorum sententia.

XIIX. Quod additionibus suis auctiorem potius quam meliorem editionem istam reddiderit Junius, nescio an aliis, suæ præsertim sectæ, persuasurus sit Lætus. Tametsi inter hos non defuisse constat, quorum severiorem censuram totum illud Tremellio-Junianum opus fuit expertum; sic ut non solum ex Reformatis Doctoribus Gomarus, Rivetus, Fullerus, in Johanne Drusio inprimis & Hugone Brouchtono æqui-

quitatem heic desiderent; sed & ex nostris Dn. D. Calovius, Bibl. Illustr. præloqv. gener. num. xiv, asperum Drusii de Junio judicium, quod nempe Hebraicas literas, ut infelicissime didicerat, ita infelicissime docuerit, omnino improbet; *Aliud*, inquiens, *erudita ejus scripta merebantur & benignius judicium. Sed Grammaticastris, ut barbara voce id genus hominum notemus (purus enim putus Grammaticus erat Drusius) licent omnia.* Ipse interim Calovius Ebraizantis nimium sermonis, vocumque plurium supplendi sensus causa nimis audacter textui insertarum, editionem hanc postulat. quemadmodum & Rivetus, Isagog. cap. xii, 917. cumque sequutus haud dubie Huetius de Interpretatione lib. ii, 19. licentiam sive libertatem nimiam in ea carpunt: perinde ut Episcopius Instit. Theol. lib. iv, cap. xxi, ac Simonius Histor. Critic. lib. ii, cap. xxi, & Disquis. Crit. cap. xxiii. qui in exemplum adducit, quod Nehem. ix, 9. habeatur: *Exponendo sensum dabant intelligentiam* PER SCRIPTURAM IPSAM: quæ postrema in fonte non extent. Addi potest locus Jer. i, 12. ubi verba: *Ut cito amygdalus floret*, itidem in Hebræo non leguntur. Cujusmodi certe vix apparet quopacto excusare liceat. Nam esto, sit hæc genuina locorum istorum sententia; aliud tamen est, translatorem agere, aliud commentatorem, ut ipsimet supra monuimus cap. xii, 38. Affectati præterea styli, quique inusitatam Latinitatem sapiat, & vitiis scateat, interpretationem Tremellio-Junianam arguunt jamjam memorati Episcopius ac Simonius. Eandem nec Anglis Theologis usquequaque probatam fuisse, ex censura ipsorum; quæ ann. cIↃ Ↄ xciii impressæ Lon-

dinensi editioni præfixa, apparet. Cumque locis innumeris ab illa discesserint in sua versione Batavi, quod nec ipsis per omnia placuerit, manifestum est. Et quamvis Matth. Polus, præfatus in Synopsin Critic. miris elogiis hanc translationem ornet, omnibusque aliis eam præferat, agnoscit nihilominus, quod *nonnullæ versiones propius in quibusdam locis ab Hebraïs absint, nonnullæ etiam sensum & dilucidius & elegantius reddant.* Constantini I. Empereur in Epicrisi ad novam Davidis lyram hæc est sententia: *In vertendis Hebraicis a Junio & Tremellio non raro abire debui. Hoc enim in ista Bibliorum versione sæpe observavi, conceptam analysin veluti normam statui, ad quam in vertendo respiceretur; cum hoc modo sæpe a vero sensu recedatur.* Ex Socinianorum schola Erasmum Johannis, Pastorem in Transylvania Claudiopolitanum, *versionem Bibliorum Junii & Tremellii, quoad Prophetas, correxisse,* in Bibliotheca Anti-Trinitariorum Sandiana pag. 88. notatur.

Isidori Clarii emendatio Vulgatæ Latinæ, deque ea judicium

XIX. Et hucusque de illis auctoribus, qui versionibus Latinis plane novis textum sacrum exprimere conati sunt. Præter quos aliis, non tam novam condere translationem, quam Vulgatam antiquam corrigere & emendare visum fuit. Talis e Pontificiorum Schola Isidorus Clarius, Brixianus, Abbas primum Benedictinus, post Fulginas Episcopus. De quo Melchior Canus, Loc. Theol. lib. II, cap. XIII: *Isidorus Clarius ferendus non est; cujus emendatio nihil est aliud quam Interpretis veteris reprehensio. Pollicetur enim in operis fronte veterem editionem correctam; postea vero quam pollicitatione hac depellit invidiam novitatis, mul-*

Cani,

multa inserit, adjicit quædam, nonnulla mutat: ut lector non aliud possit in locis mutatis intelligere, quam aut veteris Interpretis errorem, aut veterum codicum depravationem. Quam bellum erat potius, novam editionem confiteri, quam veterem emendatam; ne lectores simplices verbis ambiguis deciperentur! Quæ censura ut displicet Huetio, de Interpretatione lib. II, 16. sic probatur per omnia Frassenio Disquis. Biblic. lib. II, cap. VII, ac Simonio Histor. Critic. lib. II, cap. XX, & Disquis. Crit. cap. XXII. qui præterea Isidoro objicit, quod *in plerisque locis, quæ castigat in Latino interprete, ineptum se ac linguæ Hebraicæ imperitum ostendat*; quodque *Münsteri, tantum suppresso hominis nomine, notas exscripserit.* Cujus posterioris ipsum insimulat etiam Polus, idque tanta vehementia, ut *ignavum illum manifestumque plagiarium* appellet, *qui ex Münstero plerumque non modo sententias, sed & verba fere singula, descripserit; quique, si in republ. vixisset, ubi, ingeniosis furibus impunitate concessa, imperitis tantum & segnibus pœna capitis statuebatur, ad furcam procul dubio damnatus fuisset.* Conveniens autem est Isidori versio, de qua agimus, sententiæ, quam, teste P. Sarpio lib. II, in Concilio Tridentino is dixit; pura: *nullam translationem cum sacro contextu linguæ originali æquiparandam: quamobrem in hac se esse opinione, editionem vulgatam aliis omnibus anteponendam approbandamque, modo ad textum originarium corrigatur, ea vero emendata, ut & aliæ omnes extinguantur, & ne quis aliam inposterum edat, severo edicto prohibendum.*

Huetii.

Frassenii. Simonii.

Poli.

XX. Eodem pertinet Augustini Steuchi Eugubini *Veteris Testamenti ad Hebraicam veritatem Recognitio,*

Eugubini V. T. Recognitio.

quam in Apparatu suo sacro Possevinus memorat. Cujus tamen non nisi pars aliqua prodiisse videtur, Annotationes videlicet in Pentateuchum, quibus iste titulus præfigitur, & in quo opere Latinam vulgatam passim emendat.

Osiandri correctio Vulgatæ,

XXI. Ex nostris Lucas Osiander Vulgatam Latinam & ipse emendavit; sed ita, ut versionis Lutheri quam ipsius textus Hebræi potiorem interdum habuerit rationem. Dn. D. Waltherus, Officin. Bibl. Repos. I, thec. IV, arc. V, 434. id sibi aliisque in auctore hoc displicere ait, *quod cum quibusdam seculi sui antesignanis non raro textum originalem Hebræum hic & isthic suspicetur amanuensium cura falsatum esse & corruptum.* Loca varia, emendationem poscere visa, neque tamen ab Osiandro correcta, in Lexico suo Pentaglotto Valentinus Schindlerus annotavit. Superiori seculo

& Eberi,

simili ratione Paulus Eberus, Theologus Wittebergensis, Vulgatam sic reformavit, ut versio plane alia, quam nov-antiquam dicere possis, enata inde fuerit.

Pellicani item.

XXII. Sed & ex Reformatorum schola Conradus Pellicanus, commentarios suos Biblicos editurus, medicas Vulgatæ adhibuit manus. Quo de ipsemet ita in præfatione: *Translationem vulgatam D. Hieronymi titulo adhibuissem, si meo licuisset arbitrio agere. Sed rogatus a fratribus & Calcographo, cum jam liber commentariorum prælo subjiciendus esset, ut veterem textum alicubi emendarem, — amicorum piorum tum consilio tum precibus obsecutus, translationem, quæ sub Hieronymi nomine in ecclesiis recepta est, interpolatam reddidi.*

XXIII.

xxiii. Præterea maximæ V. T. partis nova versio Thomæ Malvendæ, Dominicani, Lugduni anno clɔ lɔ l edita est; sed *adeo barbara, adeo inconstans, ut, nisi author statim notas explanationis gratia, & in textus explicationem observationes adjecisset, nullius plane utilitatis foret*; judice Simonio Histor. Crit. lib. ii, cap. xx, & Disquis. Crit. cap. xxii. qui tamen aliquam ejus utilitatem ipse mox agnoscit, *Si quis*, scribens, *pure versiones Grammaticas textus sacri habere velit, legat Malvendam, qui ipsi & Grammaticæ & Dictionarii instar axus erit.* Simile fere judicium Matthæi Poli, in Synopsin Bibliorum Criticorum præfati.

Malvendæ aliquot V. T. librorum translatio.

xxiv. Psalterium speciatim ex Hebræo reddidit, vel potius, Hebraicorũ ipsemet ignarus, opera studioq; duorum Judæorum, quorũ alter baptizatus, alter non, reddendum curavit, Card. Cajetanus: quo consilio, omniũ rectissime disci potest ex libri illius præfatione; ubi Cajetanus, *Testor ego*, ait, *quod inter hos labores dicebatur mihi ab Interpretibus: Dictio Hebraica sonat hoc; sed non apparet sensus, nisi mutetur in hoc alterum. Respondebam ego, auditis omnibus significationibus: Non sit vobis curæ, si sensus non apparet; quia non est vestri officii exponere, sed interpretari. Interpretamini sicut jacet, & relinquetis Expositoribus curam intelligendi.* Ubi Melchior Canus, Loc. Theolog. lib. ii, cap. xiii, *Quid Hieronymus?* inquit, *Psalmosne ad verbum translatos pateretur? qui in libro de ratione interpretandi, Horatianum præceptum illud:*

Psalterii nova versio Cajetani.

De ea judicium Cani.

Nec verbum verbo curabit reddere fidus
Interpres,

etiam in sacris literis interpretandis magnopere commendat.

dat. — Fallitur ergo præ cæteris Cajetanus, qui, hujus præcepti immemor, Psalmorum versionem, dum fidam voluit reddere, reddit ad Ecclesiæ quidem usum prorsus inutilem. & Gretserus, Tract. de Novis Translationibus cap. 11: *Quis ad psallendum adigi posset, si psallendi pensum ex Cajetani translatione persolvendum esset, qua nihil insuavius & insipidius?* Verum neque id intendebat Cajetanus, quod versionis hujusmodi per se talis deberet in Ecclesia esse usus: sed existimabat ille, si stricte adeo & verbotenus Latine exprimeretur, qui solus ἰσόπνοος, textus Psalterii Hebræi, fore ut rectius mentem Spiritus sancti inde liceret assequi sacrarum literarum expositoribus. In quo tamen fugit illum ratio. Turbabit enim potius commentatorem quam juvabit istiusmodi translatio, ni idiotismi Hebraici probe gnarus sit ipsemet. Cano & Gretsero longe adhuc impudentior Gabriel Prateolus, ob dictam illam interpretandi rationem hæreseos notam Cajetano inurere non dubitavit, teste Simonio Histor. Crit. lib. 11, cap. xx. qui tamen e vestigio, *At sciunt omnes*, subjicit, *hunc vesanum hominem pro libitu hæreses confinxisse.* ut solent nimirum prompti in eo esse & faciles Romanæ curiæ mancipia.

Prateoli.

Translatio Psalterii Fel. Pratensis, Variorumq; aliorum.

xxv. Traduxit quoque Psalterium, præter librum Jobi, ex Hebraica veritate Felix Pratensis, natione Hebræus, interque suos magni nominis Rabbi, postea Augustinianus, anno cIↃ IↃ LIX prope centenarius Romæ mortuus. Quam versionem præ ceteris sæpe citant Matthæus Aurogallus libro de Hebraicis nominibus, Franciscus Titelmannus in sua Psalmorum expositione, & Wolfgangus Musculus in suis commentariis:

tariis: quibus & ipse, perinde ut aliis commentariis nonnullis, novam translationem præmisit. Ediderunt insuper versiones Psalterii ex Hebræo Rudolphus Agricola, Johannes Bugenhagius, Martinus Bucerus, (sub Aretii Felini nomine) Georgius Major, Henricus Mollerus, Jodochus Willichius, Joh. Calvinus, Huld. Zvvinglius. Qui præterea Isaiam & Jeremiam ex fonte reddidit; uti similiter libros V. T. aliquot Joh. Oecolampadius, nostraque ætate Joh. Coccejus, & Dn. D. Sebast. Schmidt. Denique Psalterium, Jobum, libb. Salomonis, & Prophetas omnes, ex Hebraica veritate vertit Franciscus Forerius, qui Tridentino interfuit Concilio, Indicemque librorum prohibitorum conficere jussus est. Siraciden comptiori stylo Latino expressit Justus Jonas.

Novi Test. Versio Erasmi, deque ea judicium Huetii.

XXVI. Qui speciatim in Novo Testamento ex Græca in Latinam linguam traducendo patrum memoria laborarunt, eorum primus est magnus ille Desiderius Erasmus, Roterodamus. Atque *is*, judice Huetio de Interpretatione lib. II, 22. *ea felicitate hanc ornavit spartam, ut & verba verbis, & sententias sententiis, & saporem sapore exæquaverit; & perspicuitatem tamen cum dictionis castitate & nativo illo colore obtinuerit: quæ ad integram Interpretis laudem unice requirebamus. Quin etiam ubi propter Latinæ linguæ indolem, quod uno Græci, idem pluribus exponere verbis necesse habuit, ascititia verba vario & insigni charactere depingi curavit, quo fidei suæ integritas palam extaret. Inde adeo Leonis X Pontificis Maximi diplomate commendari meritus est hic ipsius labor. Et tamen, quæ rerum humanarum varietas est, eodem nomine sugillatus est a*

Oppositerunt se illi Sutor.

multis: inter quos familiam duxit Petrus Sutor; pius quidem homo, & doctus; sed neque doctrina, neque acuminis, neque urbanitatis, neque elegantiæ merito cum Erasmo componendus.

Stunica.

XXVII. Præter Sutorem hunc Erasmi Novo Testamento se objecit Jacobus Lopis Stunica. Qui quid in summi viri labore isto desideraverit, quemque sibi scopum habuerit in illo impugnando præfixum, docere nos potest quam operi suo præmisit præfatio; ubi scribit: *Pervenit ad manus meas Erasmicus ille Codex, numeroso proœmiorum ambitu veluti satellitio præmunitus, perpulchris literarum figuris Græce & Latine deformatus, ac titulum in fronte gestans, qui & autoris nomen & operis argumentum magnificis quidem verbis & admiranda quædam ac pene θαυμάσια pollicentibus præ se ferre videbatur. Ut autem librum cœpi volvere, traductionemque illam novam & annotationes a vertice, ut ajunt, ad calcem diligentissime transcurri, audaciam hominis, qua ille pro sapientia eo in opere usus est, vehementer sum admiratus. Cum enim in Gentilium autorum lectione fuerit semper versatus, secularemque eloquentiam ex parte inde didicerit, elegantia illa dicendi qualicunque confisus, omnia sibi licuisse existimavit. Quoniam vero non ex Charitatis affectu, ut res ipsa plane indicat, neque ut S. Scripturarum studiosis quoquomodo prodesset, ad id operis Erasmus videtur accessisse, sed laudis potius cupiditate ductus, atque eo inprimis animo, ut veterem Ecclesiæ traductionem, ejusdemque autorem, captata occasione libere posset reprehendere; necessarium mihi visum fuit, ut ego Ecclesiastici Interpretis partes tuendas susciperem. Quod eo libentius feci, quod videbam non solum*

lum immerito ab Eraſmo illum reprehendi, verum etiam contumelioſiſſime paſſim compellari, atque ex eruditorum virorum corona penitus explodi: atque id nullo quidem iure, quantum ego arbitror, utpote quem conſtet & Latine & eleganter ſacros N. T. Codices ex Græco in Latinum traduxiſſe. Quod ſi aliquibus in locis a Græcis exemplaribus, quæ paſſim circumferuntur, veterem tralationem diſcrepare Eraſmus ſenſerat; ſi, quæ per librariorum aut incuriam aut inſcitiam errata progreſſu temporis Codices noſtros ſubintrarunt, reformanda videbantur; extrarium id operis futurum erat: ſeorſum illa erant annotanda; non totum S. Scripturæ corpus denuo transferendum; non immutanda vetera; non quæ tamdiu uſitata fuerant tam licenter invertenda; non denique, ut unica oratione complectar omnia, tam aperte Eccleſiaſtica traductio damnanda. Annon damnat qui Interpretem illius damnat? qui dormitantem appellat? qui abſurditatis affectatorem? qui Latinitati vim afferentem? quique iisdem titulis ac cognominibus non veretur illum inſignire quibus ineruditi illiteratique homines ludibrii cauſa a doctioribus notari ſolent? Hæc Stunica. Cui cum Apologiam Eraſmus opponeret, liti huic immiſcere ſe cœpit, præſertim quod ad annotationes Eraſmianas attinet, Sanctius Caranzaa, Theologus Complutenſis, editis pro Stunica Vindiciis; quibus reſpondit Eraſmus.

XXIIX. Inſurrexit porro in Eraſmum heic Edo- *Leus.*
ardus Leus. De cujus in ſe animo hoſtili Lutherus etiam non ſemel queritur: ut in epiſtola quadam ad Nicolaum Hauſmannum, Tom. II, pag. 170. ubi, *Fama eſt*, inquit, *apud nos, Angliæ Regis Oratorem Leum Norenbergæ* (in habito ibi anno clɔ lɔ XXIII Principum con-

ventu) *mihi facturum esse negotium*; & Tom. II Jen. G. fol. 146. ubi Leum hunc, Erasmi antagonistam, auctorem fuisse suspicatur libri sub Regis Henrici IIX nomine contra se editi. quem ab aliis ipsimet Erasmo fuisse tributum, ex hujus epistola liquet ad Georgium Saxoniæ Ducem, quæ legitur operis Epistolici libro XIX, pag. 686. ubi tamen Erasmus, *Ego nunquam dubitavi*, scribit, *quin ille libellus Serenissimi Regis Angliæ, — ipsius, cujus habet titulum, ingenio Marteque, quod ajunt, sit elaboratus.* Sed Bellarminus, de Scriptor. Eccles. Joannem Fischerum, Episcopum Roffensem, libri istius parentem credi testatur. Verum hæc obiter. Scripta reciproca inter Erasmum & Leum, ceterosque illius antagonistas, de hoc argumento edita, Hottingerus memorat Bibliothecæ Theolog. lib. I, cap. IV, II. Videatur insuper hanc in rem Erasmi Apologia, quam Novo suo Instrumento præmisit, epistola item ejus ad Martinum Dorpium (qui ab operis istius editione illum deterrebat) ubi inter cetera discrimen inter suos, Laur. Vallæ, & Jac. Fabri, N. T. impensos labores indicans, *Laurentius*, ait, *tantum annotavit locos aliquot, idque, ut apparet, in transcursu, levique, quod dici solet, brachio. Faber in Paulinas duntaxat Epistolas edidit commentarios, easque suo more vertit; tum, si quid discrepabat, obiter annotavit. Nos universum Testamentum Novum ad Græcorum exemplaria vertimus, additis e regione Græcis, quo cuivis promptum sit conferre: adjecimus separatim Annotationes, in quibus partim argumentis, partim veterum autoritate Theologorum docemus, non temere mutatum quod emendavimus; ne vel fide careat nostra correctio, vel depravari possit quod emendatum est.*

Valla & Fabri emendationes in N. T.

XXIX.

XXIX. Post Erasmum Theodorus Beza idem saxum volvere cœpit. De cujus labore ita Daniel Chamier, Panstrat. Cathol. Tom. I, lib. XII, cap. I: *Theodoro Bezæ palmam omnes tradunt in hoc negotio, Novi, inquam, Testamenti versione. Nec mirum: viro & humanioris literaturæ peritissimo, & jam tot annos in Theologia versato, acerrimisque pugnis exercito; quique maximam sui temporis partem huc contulerit; scisciatus etiam doctorum virorum judicia, quibus, qua est modestia, multum semper detulit. Itaque fœtum sæpius lambendo ita perfecit, ut vix quicquam addi posse videatur.* & Balduinus Walæus, præf. in N. T. *Jam a dimidio seculo, & quod excurrit, omnium cordatorum calculo in hisce palmam cæteris præripuit* THEODORUS BEZA. *Quo nemo plenius hoc opus pertexuit, accuratiori cum judicio, quo pollebat insigniter, ea quæ* VALLA & ERASMUS *tentaverant, pensitavit, omnia, quæ ad genuinum sacri contextus sensum eruendum potuerunt tum temporis adhiberi, adduxit, & se suaque, iterata libri editione, emendavit & auxit.* Josephus item Scaliger, in epicedio quo Bezæ parentavit:

Beza translatio N. T. deque ea judicium Chamieri.

Walæi.

Scaligeri.

— — *Fœtus supra caput extulit omnes*
ille, tuorum operum summa caputque, liber,
quo penetrale Novi reseratur Fœderis, & quo
discussa lucem nocte videre datur.

Non desunt tamen, notante Waltono Proleg. Bibl. Angl. πολυγλώττων IV, sub finem, *qui* Bezam *nimis audacem fuisse judicant; dum a recepta lectione sæpius sine necessitate recedit, & unius, interdum nullius, Codicis authoritate fretus, Prætoriam exercet potestatem, ex conjecturis mutando & interpolando textum sacrum pro libito.*

Waltoni.

bito. Quam in rem exempla producit Luc. IX, 48. 53. III, 36. 1 Cor. XV, 55. Ubi tamen in ipso textu, quem in suo exhibet codice, nihil mutavit aut interpolavit auctor, sed in Annotationibus dumtaxat, quomodo legendum sibi videatur, admonuit. Huetius, loco sæpius citato, *laudi facundiæ & Latinitatis studio nimium* in translatione sua *velificatum* esse Bezam observat. & Richardus Mountacutius Orig. Eccles. parte 1, pag. 5. *Errare potuisse Bezam quis negaverit?* ait. *In multis, etiam per illas* (in N.T.) *annotationes, & postremas illarum editiones, graviter & pueriliter errasse agnosco.*

Mountacutii.

In Bezæ N.T. Annotationes versioni ipsi nonnunquam adversantur.

XXX. Ubi dum postremarum editionum Mountacutius meminit, non possum quin verbo moneam, per illam editionum varietatem factum esse, ut annotationes interdum versioni parum respondeant, imo aperte sibi adversentur. Sic in editione ann. cIↃ IↃ XCIIX, cum Gal. I, 12. Apostoli illud: δι' ἀποκαλύψεως ἰησοῦ χριστοῦ, in ipso versionis Bezianæ textu redditum sit: *per revelationem Jesu Christi;* idque etiam initio repetatur in Annotationibus, paucis tamen interjectis lineis his diserte verbis translatio ea rejicitur: *Vulg. & Erasmus ad verbum*: Per revelationem Jesu Christi, *ambigue*: *quamvis Græcis ad verbum respondeat. Potest enim istud accipi passive de revelato Christo, ut in his libris sæpe: quum hîc Christus significetur ipsemet Evangelium, id est, semetipsum ἀμέσως patefeciſſe.* Nimirum verterat alias Beza: *Illud retegente mihi Jesu Christo;* eoque aptaverat quæ jam recitavimus, minime illis editionibus convenientia, ubi, mutata mente, vulgatam & Erasmianam traductionem retinendam au-

auctor censuit. Similiter Philipp. III, 20. verba Paulina: ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, in dictæ translationis contextu vertuntur: *Nostra civitas in cœlis est*; at in subjectis annotationibus: *Nos ut cœlorum cives nos gerimus*. Additque paulo post Beza, vocem ὑπάρχει per *existit* quam *est* vertere se maluisse; cum tamen in memorata editione habeatur contrarium. Conf. II Tim. I, 7.

XXXI. Cum vero, præterquam quod facundiæ & latinitatis studio nimium velificatus est, ut paulo ante Huetium observasse diximus, non solum in Annotationibus Theologiæ suæ placita magno Zelo passim propugnaverit Beza; sed & ipsum versionis textum ad ea hinc inde manifesto accommodaverit, malis istis medelam allaturus Academiæ Witteberg. Professor celeberrimus, Erasmus Schmidius, novam adornavit, eamque accuratissimam, Testamenti Novi versionem, additis Animadversionibus, quibus, præter alia monita necessaria, partim mutatæ alicubi Bezianæ translationis ratio redditur, partim Notis ipsius, sicubi a vero aberrant illæ & τῇ θέσει δουλεύουσι, erudite occurritur. Vide, e.g. quæ observat ad Act. III, 21. *Schmidii nova N. T. versio.*

XXXII. Huc porro spectat Ben. Ar. Montani labor: qui, ut in Veteri Testamento Pagnini versionem, sic in Novo translationem vulgatam ita Græco textui inter lineas inseruit, ut multis locis ab originali discedentem correxerit distincto charactere, altera lectione in marginem relegata. *Ar. Montani versio N. T. interlinearis.*

XXXIII. Similem fere in modum Codice N. T. Tubingensi, qui D. Matthiæ Hafenrefferi cura prodiit, Erasmi Latina translatio fuit inserta. Quo de sic in præ- *Tubingensis Hafenrefferi N. T. editio.*

præfatione editor: *Erasmiana versio non ubique ad verbum servata est: sed, sicubi vel vox, vel sententia, ab originis textu aut mente quoquo modo recedere visa est, ea non temere quacunque sua significatione est reddita, sed ponderatis cujusque loci circumstantiis & genuino sensu, ea demum adhibita est, quæ in illa ipsa convenientissima significatione apud probatos authores reperta est. Et ut constaret, quænam vox aut sententia, non Erasmi, sed meæ esset versionis, illam diverso characterum genere exprimendam curavi, Erasmianis (confusionis vitandæ causa) prætermissis.*

Interpret. Lat. Vers. Bibl. Gr. Ch. Sam. Syr. Ar. Pers. Æth.

XXXIV. Denique referri huc possunt interpretationes Latinæ translationum Biblicarum, Græcæ, Chaldaicæ, Samaritanæ, Syriacæ, Arabicæ, Persicæ, Æthiopicæ: quas opera polyglotta exhibent, præsertim Anglicana Waltoni.

CAPUT XVI.
DE
PENTATEVCHO SAMARITANO.

I.

Pentateuchus Samaritanus diu fuit desideratus, præsertim a J. Scaligero.

SAmaritani cum ex Scripturis Biblicis solum Pentateuchum recipiant, mirum non est, præter hunc unum nihil sacrarum paginarum extare, aut aliquando extitisse, ab ipsis quod sit profectum. Jacuit autem Pentateuchus iste per multa secula in tenebris sepultus, & ab Hieronymi fere ætate ad nostra usque tempora Christianis vix visus fuit. Quod quidem graviter inprimis molesteque tulit magnus ille Jos. Scaliger; ceu patet ex ejus libro VII de Emendatione Temporum,

porum, ubi scribit: *Qui in Palæstina peregrinantur, possent & alia, & Pentateuchum a Samaritanis adipisci. Nam sane Christianæ pietatis homines paulo hac in re negligentiores hactenus fuerunt: ex cujus rei cognitione uberrimi fructus in sacram historiam redundarent. Spero, non defuturos, qui voto nostro satisfaciant.* Et studuit certe satisfacere Nicolaus Claudius Fabricius de Peiresc, Senator Aquisextiensis, quando inter plures alios libros hunc etiam Pentateuchum in Ægypto coëmi afferrique ad se mandavit. Qui tamen cum ad Peireskii manus non pervenerit, navi, qua vehebatur, a piratis direpta, spe nihilominus frustratus est Scaliger exoptatissimi codicis; quemadmodum hæc in Peireskii vita, ad ann. Chr. CIↃIↃCXIX, Petrus annotavit Gassendus. Qui & ibidem, ad ann. XXIX, de eodem refert Peireskio, quod in Orientem miserit, ut Biblia Samaritana acquireret, Theophilum Minutium: per quem etiam obtinuerit. Nempe faciebat id, ut rursum scribit, ad ann. XXXII, Gassendus, in gratiam Johannis Morini, Congregationis Oratorii Presbyteri, in editione operis Parisiensis Pentateuchum Samaritanum tunc curantis. cui etiam quod tres codices transmiserit, ipse Morinus Opuscul. Hebræo-Samarit. pag. 95. testatur: quamvis ille Pentateuchum jam tum edidisset ex alio codice, quem Damasci emi curaverat, & Bibliothecæ Oratorianæ Parisiensi donaverat, Achilles Harlæus, Episcopus Macloviensis, antea Congregationis Oratorii & ipse Presbyter. Sic ergo qui tantopere antea desiderabatur, satis obvius in Europa tandem factus est Samaritanus ille Pentateuchus; cum hodie publicis typis impressus extet, & in He-

Tandem tamen satis obvius in Europa est factus.

ptaplis Parisiensibus, & in Bibliis πολυγλώτ∫οις Anglicanis; ut de mss. exemplaribus Usserii, Golii, aliorumque nihil dicam. Et esse quidem nostros istos codices Samariticos eosdem plane cum vetustis illis, quorum apud priscos scriptores habetur mentio, ostendere satagit Waltonus, Proleg. Bibl. XI, 14. ac operosius Morinus, Exerc. in Pentateuchum Samar. III, cap. I, seqq. neque negat in sua, quam Morino opposuit, Censura cap. III, Simeon de Muis, Professor Parisiensis; licet alias Pentateuchi hujus auctoritatem acerrime adversus eundem impugnet.

Morinus Samaritano Codici nimium tribuit, ut qui κάλλιστος est, vitiisque careat.

II. Scilicet Morinus, nimio Codicis sui Samaritani amore fascinatus, eo progressus est temeritatis, ut, præfatione quam versioni LXX virali operis Parisiensis præmisit, sect. VI & XLII, persuadere lectori sit conatus, exhiberi eodem purum putum Mosis Pentateuchum, & qui Pentateucho Judaico omnino sit superior, (conformiter scilicet judicio ipsorum Samaritanorum, de quibus ille Hebræorum Magister Moses Alaschkar in שית cap. LXXIV: *Liber Legis Cuthæorum, & omnes reliqui illorum libri, scripti sunt illa scriptura Hebræa* (Samaritana) *& adhuc hodie pertinaciter contendunt, & dicunt, in ea scriptura datam esse Legem: item, se habere exemplar libri legis in Sichem, scriptum a diebus Pineas filii Elieser, & similia multa.*) Cui audaciæ non tantum se objecit supra memoratus ille Sim. de Muis, sed & Joh. Henr. Hottingerus, Franc. Tailerus, Arn. Bootius, aliique. & merito. Samaritanum enim illum codicem κατόρθωμα esse, & quidem vitiose satis ex Hebræo transsumptum, docet illa toties admissa confusio literarum cognatæ formæ, ה, ח, ac simi-

similium, ipsum non raro sensum in Samaritano Pentateucho pervertens: qui & variis modis aliis a prototypo Hebræo abit; dum scilicet nunc literas transponit, nunc ipsas voces phrasesque immutat, & duas dictiones in unam corripit, nunc integras omittit sententias aut infarcit, nunc commata & magnã capitum partem transjicit, nunc repetit & bis ponit quæ in Hebræo non nisi semel leguntur: quemadmodum non modo docent, qui adversus Morinum calamum strinxerunt, sed ob oculos etiam ponit collatio textus Hebræi & Samaritani, quæ instituitur ultimo tomo Bibliorum Aeglicanorum πολυγλώττων. Præ ceteris autem vitiis omnibus observatu dignum, quod cum Deuter. XXVII, 4. Codex Hebræus, eumque secuti Interpretes reliqui omnes, habeant: *Ubi trajeceritis Jordanem, erigitote lapides istos, de quibus ego præcipio vobis hodie* בהר עיבל *in monte Ebal*; Samaritani, illi montis Garizim cultores superstitiosi, (vide Josephum l. XI Antiq. Iud. c. IIX, Ioh. IV, 20. quæque ex Chronico Samaritano mscr. Hottingerus affert in Exerc. Anti-Mor. num. XLIX, seqq.) sacrilega fraude substituerint הר גרזים *montem Garisim*; ac ne quidem hoc contenti, ipsa insuper recitata illa verba Exod. XX, 17. loco decimi præcepti & scribere & recitare consueverint. Quæ quidem si perspecta habuisset Scaliger, forte non ita impatienter tulisset desiderium Samaritani illius codicis, uti quidem feciſſe eum supra notavimus. Sed nimirum persuasus ex aliorum fuit relatione, ut significat memorati operis libro VI, *totidem*, quot Iudæi, *literis*, *ne una quidem minus aut amplius*, *Pentateuchum legere* Samaritanos, & *tantum abesse ut ali-*

quid assuerint Pentateucho, ut totidem literis, quot Judæi, scriptum habeant. Credo, si voti sui compos esset factus Scaliger, idem dicturum fuisse, quod de Lexico Hebraico R. Pomarii ad celeberrimum scripsit Buxtorffium, lib. III, epist. CCXLIV: *Quum tandem Lexicon Davidis de Pomis, quod reperire plurimi faciebam, adeptus sim, volebam tibi significare, tanti non esse, ut tantopere a me expeteretur. — Nostrorum hominum libri faciunt, ut æquo animo carere illo Lexico possimus. — Quod si fefellit me spes mea, est tamen quod gaudeam, quod, quanquam oleum, vel potius nummos, perdiderim, est aliqua voluptas, potiri eo quod optaveris.* Ita de Iudaico isthoc Lexico Scaliger, cui tamen gloriosum צמח דוד titulum indere auctorem non puduit. Sed hæc obiter. Ad Pentateuchum nostrum redeamus.

Pentateuchi Hebræi Samaritano charactere scripti translatio Samaritano-Chaldæa & Arabica.

III. Ejus, lingua pure Hebraica scripti, sed charactere Samaritico, duplex hodie extat translatio: Samaritano-Chaldæa, & Arabica. De priori utut affirmet Morinus, quod textum Pentateuchi Samaritano-Hebræum κατὰ πόδα sequatur, verbumque de verbo exprimat; quod tamen sæpissime ab eodem abeat, variisque laboret nævis, ostendit Hottingerus Analect. Historico-Theolog. dissert. II, II. & inprimis Dissert. Theologico-Philolog. III, 31. seq. Confer quoque Waltonum Proleg. Bibl. XI, 20. ubi etiam, sicut & in dissertatione de linguis Orientalibus, num. XXV, de indole linguæ seu dialecti, qua translatio hæc conscripta, agit. quamquam fusius, quæ illuc spectant, persequantur Morinus in Lexico Samaritano, & Castellus in Annotationibus Samariticis, ultimo tomo Biblio-

rum

rum Anglicanorum insertis. Videatur etiam de hoc argumento Pfeifferi Critica sacra digress. subj. cap. x, §. 4. De versione Arabica (quæ tamen Samaritanis characteribus exarata) judicat Hottingerus, supra laudata dissertatione Theologico. Philolog. III, 41. quod a Chaldæo-Samaritana raro quidem, sed tamen interdum abeat, & vel emphasin pressius urgeat, vel textui Hebræo propius accedat, vel Saadianam sequatur interpretationem (de qua paulo post) vel Chaldæo-Samaritanam obscurius loquentem explicet, vel etiam plane nova sit translatio. Adde Waltonum Prolegom. XI, 21. & ante memoratas Annotationes Samariticas, quæ ad calcem operis Anglicani habentur. Præter istas versiones, Chaldaicam & Arabicam, Græcam insuper Pentateuchi hujus translationem aliquando extitisse nonnulli affirmant; quod tamen in dubium vocant alii. Lege de eo, si placet, Hottingerum loco proxime citato, & libro I Thesauri Philologici, cap. III, sect. III, quæst. I, Waltonum Proleg. XI, 22. Conferantur insuper heic dissertationes Epistolicæ de Ecclesiæ Or. antiquitatibus, epist. IV, seq. & ep. XIII, seqq. ubi inprimis de Pentateucho Samaritano, quem celeberrimus ille Patritius Romanus, Petrus a Valle, ex Oriente secum advexit, multa notatu digna leguntur, item epist. XXXVI, seqq. XLIII, seq. L, seqq. ubi de aliis ejusdem Samaritani Pentateuchi Mss. agitur. Addi potest denique vita Morini, quæ dictis illis dissertationibus præmissa, cujus auctor itidem varia narrat de Samaritano codice, suumque de eo judicium, a Moriniano plane diversum, interponit. Tandem addantur quæ habet Richardus Simon Histor.

Crit. V. T. lib. 1, cap. x, seqq. lib. II, cap. IX, & Disquis. Critic. cap. XI.

CAPUT XVII.

DE VERSIONE ARABICA ET TURCICA.

I.

Translatio V. T. Arabica Saadia.

IN Arabicum idioma totam Veteris Testamenti Scripturam traduxit, seculo IX, R. Saadias, dictus κατ' ἐξοχὴν רנאון sive *Excellens* (quo titulo ornabantur olim Rectores Scholarum Babyloniæ) in usum Iudæorum, qui longe lateque per imperia Saracenorum vivebant dispersi. De qua versione consuli possunt Th. Erpenius præfat. in Pentateuchum Arabicum, Gv. Fabricius Boderianus præf. in N. T. Syr. Edvv. Pocokius Specim. Arab. p. 365. & præfatione variarum lectionum Arab. quæ ultimo tomo operis Anglicani habentur, Hottingerus Thesaur. Philolog. lib. I, cap. III, sect. II, & Dissert. Theologico-Philol. III, 27. Waltonus Proleg. Bibl. XIV, 15. Nobis de ea heic monuisse sufficit, quod sæpe paraphrasis magis sit quam nuda translatio, & a versis phrasibusque Hebraicis longius interdum recedat, ac in Pentateucho modo Onkelosum sequatur, modo LXX, modo suum ingenium, id est, Judaicum. Unde ab ipsomet Aben-Ezra reprehenditur, tum alibi, tum præsertim Gen. II.

Alia Versio Arab.

II. Præter Saadianam isthanc interpretationem extat alia itidem Scripturæ universæ, inter Arabes Christianos nata: de qua quod *elegans* sit *& antiqua*, testatur, loco ante memorato, Erpenius. Eandem proxime quidem accedere ad alteram illam Saadiæ,

&

& in omnibus fere locis difficilioribus ipsa exprimere, interim tamen non plane eandem cum illa esse, ostendit prolixe Hottingerus Analect. Historico-Theol. dissert. II, 3. 4. A cujus judicio dissentit in dissertatione de Linguis orientalibus num. XLVII Waltonus, *Certum est*, inquiens, *ut e collatione patet, versionem Pentateuchi Arabicam* (loquitur de posteriori hac) *non esse aliam quam illum R. Saadiæ, licet in paucis mutatam: contra Hottingerum & Erpenium, qui aliter sentire videntur.* At in editis postea Prolegomenis Bibliorum πολυγλώττων, Proleg. XIV, 17. idem vir doctissimus interpretationem Saadianam *vel eandem esse* scribit *cum Parisiensi* (est vero translatio Arabica, quam Parisiensia Biblia exhibent, illa ipsa de qua nunc agimus) *ut existimet D. Pocokius, vel ad eam proxime accedere, eamque in locis difficilioribus exprimere, ut sentiat D. Hottingerus*; & mox subjicit, vel esse unam eandemque versionem Saadianam & Parisiensem, vel, si ab autoribus profectæ sint diversis, alterum alterius vitulo arasse. *Cum vero*, concludit, *de hoc dissentire video viros Arabice peritissimos, non est meum, sententiam ferre, sed unicuique judicium esto liberum.*

III. Imo duplicem V. T. translationem Arabicam apud Christianos Orientales obtinere, constat ex Augustino Justiniano, Episcopo Nebiensi, qui utraque se usum significat in Psalm. XIV ac LXXXIV; & a regionibus, ubi in usu erant, alteram Syriacam vocat, alteram Ægyptiacam. Cornelius a Lapide, proœmio in Prophetas minores, a sedibus Syriæ & Ægypti Patriarchalibus illam appellat Antiochenam, hanc Alexandrinam; & utriusque exemplum in Bibliotheca Va-

Vaticana ac Medicea extare scribit. Idem confirmat, in indice Auctorum Commentario suo Biblico subjuncto, lit. A, Iacobus Tirinus. Et Ægyptiacam quidem sive Alexandrinam eandem prorsus esse cum illa, de qua numero præcedenti dictum, quæque in Bibliis Parisiensibus & Anglicanis habetur, demonstrat Waltonus Proleg. XIV, 18. Syriacam autem seu Antiochenam in suo Psalterio Arabico exhiberi, affirmat Nebiensis loco memorato. Et quidem ex Alexandrina illa seu Ægyptiaca editione ipsum etiam Testamentum Novum Arabicum Parisiani operis esse, liquet e præfatione in Psalterium Syriacum Gabr. Sionitæ, ubi totam Scripturam Arabice versam, quæ postmodum facta est pars Heptaplorum Parisiensium, dicit se habuisse ex antiquo codice in Ægypto descripto annis abhinc trecentis. Adde tandem quod habet Simonius Disquis. Critic. cap. XXVI, sub finem: *Placet nonnullis, Biblia Arabice versa ab Hispalensi Episcopo, cum Hispani Maurorum dominationi parebant.*

Translationes Arab. certorum librorum Bibl.

IV. Atque hactenus de translationibus Arabicis Scripturæ universæ. Præter has extant & aliæ quædam certorum librorum: cujusmodi est Pentateuchus Iudæorum Maurorum ab Erpenio editus, & alius Ibn-Sinæ; de quibus vide prolixius agentem Hottingerum Thesaur. Philol. lib. I, cap. III, sect. II. quales item sunt versiones Psalmorum ac Evangeliorum non unius generis, sed & Prophetarum omnium interpretatio præstantissima mscr. de quibus consule Waltonum loco laudato.

Versionum Arabic. auctoritas.

V. Quod ad auctoritatem Arabicarum translationum attinet, non multum iis monet tribuendum.

Ri-

Richardus Simon, Histor. Critic. V. T. lib. II, cap. XVI, & Disquis. Crit. cap. XXI, quod parum antiquæ sint & negligenter admodum adornatæ: quodq; ab Hebræo textu, imo a LXX etiam & aliis interpretationibus vetustioribus, innumeris in locis dissideant, variisque insuper aliis erroribus ac vitiis laborent. De quibus ipsum auctorem erudite dtsserentem & exemplis etiam manifestis fidem assertionibus suis facientem, consule. Varias nihilominus earundem versionum utilitates enumerant C. Frassenius, Doctor Sorbonicus, Disquis. Biblic. lib. II, cap. V, 12. quique ibi citantur auctores alii. *utilitas*

VI. Referenda etiam huc, quæ celeberrimi Ungnadii cura & sumptibus prodiit, versio Scripturæ Turcica. De qua sic illustris Thuanus, lib. XXXIIX, ann. LXV: *Johannes Ungnadius Sonnekius, vir & natalium splendore & industria propria clarus, — cum incredibili propagandæ religionis desiderio arderet, immensis quoque sumptibus Biblia sacra, & Theologorum aliquot scripta, in linguam Turcicam & Croaticam converti, & ad gentes illarum linguarum peritas transferri curavit, laudabili sane, & digno quod ad posteritatem transmittatur, pietatis exemplo, quodque Principes, & qui majoribus opibus subnixi sunt, deinceps imitentur.* Novum Testamentum Turcicum Oxoniæ anno hujus seculi LXVI vulgatum est. Judæi quoque Taurici Turcica lingua Pentateuchum legere dicuntur. *Versio Scripturæ S. Turcica.*

CAPUT XIIX.
DE
VERSIONE ÆTHIOPICA.

I.

Tota Scriptura S. Æthiopice versa habetur.

DUbitandum non est, ait Hottingerus Dissert. Theologico-Philol. III, 63. *versionem Æthiopes habere in universa Biblia antiquam.* & Waltonus Proleg. operis Anglicani πολυγλώττης XV, 10. *Constat, apud Æthiopes totam Scripturam lingua ipsorum, quam Chaldæam & Gheez sive liberam vocant, esse descriptam.* ac mox: *Totam eos habere Scripturam tam Vet. quam Novi Testamenti, satis exploratum & certum est: totamque sperabam me in hisce Bibliis in lucem editurum, si promissis stetissent qui exemplaria perfecta Æthiopica mihi promiserant. Habuit doctissimus Gaulminus in Gallia universum Vet. Testamentum Æthiopicum, quod ope D. Bigo, viri undiquaque doctissimi, consecutus essem, nisi quod exemplar ipsum, Serenissimæ Reginæ Suecorum commodatum, & in ipsius Bibliotheca repositum, fortuito an fraude alicujus nescio, amissum, haberi non poterat.* Sed & de iisdem Æthiopibus Franciscus Alvarez, qui ante seculum circiter Legato Regis Lusitaniæ Emanuelis in Æthiopiam eunti comes additus, ipsum sexennium apud eos commoratus est, Historiæ suæ capite CLIX testatur, quod lingua Tegiana, quæ Abassinorum dialectus, sacras Scripturas legant. Adde inprimis, quæ Ἀβάγαν titulosq; librorum Biblicorum in codice Æthiopico accurate ob oculos ponit, epistolam Jobi Ludolfi, apud Hottingerum in Bibliotheca Orientali cap. VI, quæque de libris sacris Habessinorum idem Ludolfus tradit Historiæ Æthiopicæ lib.

III,

III, cap. IV. ubi etiam, *De autore*, inquit, *& tempore versionis nihil certi compertum habeo. Probabile tamen est, eam tempore conversionis Habesinorum, vel paulo post, non vero tempore Apostolorum, ut quidam tradiderunt, concinnatam fuisse, & quidem a diversis interpretibus: quin vocabula rariora & difficiliora, ut sunt gemmarum nomina, non uno modo in diversis libris exponuntur.* Quidquid hujus; sane jam Theodoriti & Chrysostomi tempore in lingua Æthiopica Scripturam fuisse lectam, docent quæ ex iisdem producimus tractatu de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. XC, seqq. edit. rec.

Autor & tempus Versionis Æth. incerta.

II. Ceterum non extant typis edita Æthiopice nisi Psalterium, Canticum Canticorum, Novumque Testamentum. Et Psalterium quidem, antequam ab Anglis excuderetur, operisque πολυγλώττου pars fieret, bis prodiit; primo Romæ, anno seculi superioris XIII, iterumque Coloniæ anno XIIX. Quæ editiones quid distent inter se, & in quibus abeant ab exemplo Usserii mscr. patet ex variantium lectionum catalogo, qui, contextus ab Edm. Castello, habetur tomo VI Bibliorum Anglicanorum. Hottingerus, Dissert. Theologico-Philolog. III, 64. observat, Æthiopicam hanc Psalmorum traductionem fere semper exprimere versionem Græcam τῶν LXX, (quam etiam fuisse causam ait Waltonus Proleg. XV, 10. quod noluerint peculiarem ipsi dare interpretationem Latinam in opere suo Biblico Angli, sed sufficere putaverint eam quæ LXX-virali addita) interdum quoq; Syram; nec raro convenire cum Arabica: aliquando autem a reliquis versionibus omnibus recedere, non minus quam a textu

Quanam Æthiopica typis edita extent.

Hebræo. Quæipſa etiam monet de Cantico. De Novo Teſtamento Æthiopico ita Waltonus, dicto loco: *Quod ad Nov. Teſt. attinet, mihi videtur ex Græco codice expreſſum eſſe, non ex Syro, quod autumant quidam. Nam qui Syrum cum Æthiopico conferet, plane percipiet magnum ubique inter eos diſcrimen, & ſæpiſſime a Syro Æthiopicum recedere tum verbis tum ſenſu. Hoc tamen notandum, in multis cum Syro convenire.* & paulo poſt: *Obſervandum, Verſionem hanc textum ſatis fideliter plerumque reddere, verumque ejus ſenſum exprimere, obſcura quoque loca illuſtrare; ita ut ex hujus cum antiquis collatione multum lucis textui oriri poſſit. Unde temeraria & injuſta videtur Joſ. Scaligeri de hac verſione, quam vix ſatis intellexit, cenſura, cum ſcribit, peſſima fide illorũ libros traductos eſſe, & malã fidem in Epiſtolis Pauli reperiri, in quibo vix tria commata continua reperias, in quibus aut verba aut ſenſus Apoſtoli reddita. Quod, qui Epiſtolas diligenter contulerit cum verſione noſtra Latina, aliter ſe habere deprehendet.* Interim certum, aliquando nimis longe a contextu originali Græco translationem iſthanc abire. Id quod in ſuis variis lectionibus obſervat quoque Edmund. Caſtellus. Confer & Hottingerum ſupra citato loco. Ludolfus in ante laudata Hiſtoria, *Novum Teſtamentum*, ait, *ex textu Græco authentico verſum quidem habent* Habeſſini; *ſed nondum purum & integrum in Europam eſt invectum. Romana etiam editio ex lacero & mutilo exemplari facta eſt, cujus lacunas Teſfa-Tzeionus ex Græcis & Latinis exemplaribus explere coactus fuit. Hoc obſervaverunt viri quidam eruditi, ſed cauſam ignorantes, putaverunt verſionem Æthiopicam ex vulgata Latina factam fuiſſe* Ludovi-

dovicum de Azèvedo, Jesuitam Lusitanum, qui circa seculi hujus initium in Æthiopia egit, in Amaranum sermonem, qui Curialis ibi est, Novum Testamentum transtulisse, testatur in Bibliotheca Scriptorum Soc. Jesu Philippus Alegambe.

CAPUT XIX.
DE
VERSIONE PERSICA.

1.

PErsas jam olim habuisse Scripturas sacras in suam linguam conversas, docent Theodoriti & Chrysostomi testimonia, quæ damus ac vindicamus tractatu de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. xc, seqq. Vide etiam quæ hanc in rem habet C. Frassenius, Doctor Sorbonicus, Disquis. Bibl. lib. II, cap. V, §. IV. Ceterum quæ hodie nobis notæ translationes Persicæ, recentiores sunt. Videlicet Pentateuchum in idioma hoc ex Hebræo traduxit Jacobus Tavvosus, vel, ut alii vocant, Tavusius, aut Tusius, (ab urbe Tus, ubi Academia celebris, sic nominatus) Iudæus: quem anno superioris seculi LI typis ediderunt Constantinopoli, sed charactere Hebræo, ipsius gentiles, Persicis autem literis exhibet Bibliorum Anglicanorum πολυγλώττων tomus IV. De translatione illa Waltonus Prolegom. XVI, 7. *Ex hujus paraphrasis cum aliis versionibus collatione multum utilitatis exsurgere, facile perspiciet lector Christianus: cum textum Hebræum plerumque feliciter exprimat, veramque lectionem locique sensum consensu suo corroboret. Vaticinium Jacob* *Pentateuchus Persicus.*

de venturo Christo, cum sceptrum de Juda aufferetur, de Messia plane explicat, non, ad mentem Rabbinorum quorundam, in alienos sensus detorquet: unde insolubile argumentum contra Judæos, ad probandum Messiam jam venisse, depromitur.

Evangeliorū Persica translatio gemina.

11. Amplius extat Persico sermone Evangeliorum versio gemina; altera ex ipso originali Græco expressa, altera ex textu Syriaco. Prior edita est, auspiciis Abrah. Whelocki, Lingg. Arabicæ & Saxonicæ in Academia Cantabrigiensi Professoris, anno seculi hujus LVII. posterior, quod optima & antiquissima judicaretur, puta annis abhinc trecentis, ut in fine indicavit translator, confecta, inserta habetur tomo V operis Anglicani. De hac notat Hottingerus, Dissert. Theologico-Philol. III, 57. quod, etiamsi omnino ex Syriacis fluxerit rivulis, interdum tamen ab his non minus quam ab ipsis fontibus Græcis recedat: item quod alicubi magnam observet vocum & phrasium emphasin; nonnunquam liberior sit, & de suo multa addat, quæ nec in Græco, nec in Syriaco extent contextu; delectetur verborum æquipollentia pleonastica; mutet nomina appellativa in propria, ac vice versa; phrasesque Muhammedicas referat ad Christianismum. Quæ & similia prolixe ibi persequitur, variisque in medium allatis demonstrat exemplis, modo laudatus Hottingerus. Videantur etiam observationes & annotationes in textum Persicum Thomæ Gravii, tomo ultimo Bibliorum Angl. πολυγλώτ̃των. Historiam porro CHRISTI Persico idiomate dedit Hieronymus Xaverius Jesuita, Francisci cognatus: quam Latine vertit, Animadversionibus additis, Ludovicus

Historia Christi Persica Xaverii.

de

de Dieu. Pura autem hæc Evangelii historia non est, sed petitis ex Eusebio, Nicephoro, libris Sibyllinis, & Legendis, quæ vocant, narrationibus, ipsiusque auctoris commentis, passim interpolata, ut ipsa operis inspectio plus satis docet.

Psalterii Versio Persica itidem gemina.

III. Præter Pentateuchum & Evangelia, de quibus hactenus, extant etiam duæ distinctæ versiones Persicæ Psalterii; quarum una auctorem agnoscit Fratrem quendam Carmelitam in civitate Spahanensi, altera a Jesuitis nonnullis, ut libri indicat titulus, est profecta. De quibus hoc fert judicium Waltonus, loco citato: *Pluribus erroribus & solœcismis utraque scatet: nec ex Hebræo fonte traducta, sed ex vulgata Latina, cujus vestigia exacte premunt.* Et sane eidem adhæserunt adeo religiose illi interpretes, ut, ridicule admodum, τὸ *os* Latinum Psal. cxxxix, 15. acceperint, non pro *osse*, sed pro *ore*. Quem errorem tam crassum non commisissent, si saltim Græcum consuluissent codicem, vel consulere potuissent. *Talia* siquidem *linguæ præcedentis* (unde facta traductio) *inspectione dijudicantur: nam in Græco non* στόμα, *sed* ὀστέον *positum est*; scribit, de hoc ipso loco agens, Augustinus libro III de Doctrina Christiana cap. III. Confer Tract. nostrum de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. LXXII, & inprimis de Origine Christianismi ex Gentilium sententia cap. XI, 20. edit. recent.

CA-

CAPUT XX.
DE
VERSIONE ARMENICA.

I.

Armenica Scripturæ Versio a nonnullis Chrysostomo tribuitur.

ETiam Armenos jam Theodoriti ætate Scripturas in sua lingua legisse, ex hujus constat testimonio, quod producimus in tract. de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. XCII; idemq; confirmatur ex Gregorio Syro, qui mentionem in Scholiis suis injicit non semel textus Armenici; uti observat, productisque exemplis monstrat Hottingerus Dissert. Theologico-Philol. III, 54. Nec desunt, qui ipsi Chrysostomo vetustam illam translationem Armenicam tribuant. Ita Sixtus Senensis, libro VI Bibliothecæ sanctæ, annot. CLII, *E priscis*, inquit, *Ecclesiæ Patribus, ut plerique Ecclesiastici scriptores testantur, Chrysostomus Novum Testamentum & Davidicos Psalmos in linguam Armenicam transtulit.* Similiter libro VI scribit: *Extat translatio utriusq; Testamenti in linguam Armenicam, qua nunc Armeni utuntur, Chrysostomi, ut ipsi credunt, industria & sollicitudine edita. Meminit hujus translationis Gregorius, Patriarcha Alexandrinus, in vita Chrysostomi, referens, eum, cum in Cucusum, Armeniæ oppidum, exularet, incolas ejus regionis ad* CHRISTUM *perduxisse, ac subinde curasse, ut Psalmi Davidis, una cum sanctis Evangeliis atque aliis Veteris Instrumenti historiis, Armenice verterentur, quo facilius divinæ Scripturæ cognitionem gentes provinciæ illius obtinerent.* Vide etiam quæ de hac Chrysostomi versione habent Petrus Galesinius Commentar. de Græcis LXXII Bibliis, Ioh. Azor parte

tē 1 Instit. Moral. lib. IIX, cap. XXVI, Angelus Rocha in sua Bibliotheca Vaticana pag. 157. Andr. Schottus, in catalogo Interpretum Scripturæ, & Anglo-Rhemenses, præfati in suas ad Nov. Testamentum annotationes.

II. Ipsi interim Armeni, ceu liquet ex Historia Armen. Eccles. annis abhinc aliquot Armenice & Latine edita, cap. II, ut gentis suæ conversionem, ita etiam Scripturæ, qua utuntur, traductionem, ad Georgium, primum suum Patriarcham, referunt. At Rich. Simon, Histor. Crit. lib. II, cap. XVI, & Disquis. Crit. cap. XXI, a quodam Armeniæ Episcopo Uscam accepisse se memorat, quod Mosis, Grammatici dicti, & Davidis Philosophi, virorum apud Armenos Græcæ linguæ peritissimorum, eorumq; Chrysostomo συγχρόνων, industria, secundum LXX Armenica versio concinnata sit. Qui ipse etiam Uscam, Jacobi, Armenorum Patriarchæ, jussu, Amstelodami, anno clɔ lɔc LXIV, Armenica Biblia typis exscribi curavit.

ab aliis Georgio, primo Armen. Patriarcha, aut Mosi & Davidi cuidā;

III. Quod ad Msc. attinet, meminit Bibliorum Armenicorum Bibliothecæ Vaticanæ Athan. Kircherus, Prodromi Copti cap. v. & Waltonus Dissert. de Linguis Orientalibus num. LXXXV, *Quatuor*, inquit, *Evangelia ipse habeo ex Oriente allata; & in aliis Bibliothecis privatis quorundam virorum doctorum eadem versio tota habetur. — In Bibliotheca Oxonienſi asservantur Psalterii Armenorum exemplaria tria antiqua, tribus voluminibus descripta.* Confer eundem Proleg. Bibl. §. 6.

Msc. Bibl. Arm.

CAPUT XXI.
DE
VERSIONE ÆGYPTIACA S. COPTA.

I.

Ægyptii jam inde ab antiquo in sua lingua Scripturam habuerunt.

SEd & Ægyptios antiquissimis jam temporibus Scripturas idiomate legisse vernaculo, iterum ignorare nos non sinunt aliquoties jam memorata Theodoriti & Chrysostomi loca, quæ damus tract. de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. XCII, seqq. Testaturque Athan. Kircherus Prodromi sui Copti capite IIX, habere Ægyptios hodie etiamnum sua lingua exaratos omnes cum Veteris tum Novi Testamenti Codices, quos traductos existimat annis abhinc CIↃ CCC. Verba ejus: *Quantum è Martyrologio Coptico, quod Arabicè scriptum in Maronitarum collegio conservatur, colligere licuit, ea* translatio *facta est abhinc mille circiter & trecentis annis, quo tempore, teste Nicephoro, studium sacrarum literarum in Thebaide, & per totam passim Ægyptum, maximè florebat: quod & dictum Martyrologium in prima prolusione mensis Thoth apertè dicit, præcipuam Monachorum ejus temporis occupationem fuisse, sacra Biblia è Græca, Chaldaica, & Hebraica, in linguam ipsis propriam, Coptam nimirum, transferre: quæ prototypa deinde succedentibus seculis alii & alii identidem describentes, numerum librorum pro multitudine cœnobiorum monachorumque in immensum auxerunt.*

Quinam libri Biblici Copt hodie extent.

II. Idem Kircherus ibidem paulo post catalogum exhibet librorum Coptorum seu Ægyptiorum, qui hoc tempore in Bibliotheca Vaticana conservantur; unde patet, reperiri ibi dicto idiomate Pentateuchum

chum Mosis, Psalterium Davidis, IV Evangelia, Acta Apostolorum, Epistolas XIV Paulinas cum tribus Canonicis, Apocalypsin Johannis. Similiter Hottingerus refert, Biblioth. Oriental. cap. V, habere se Codicem msc. Arabico-Copticum, quo vel uno abunde probari possit, Coptos Scripturam in linguam suam transtulisse. Eum nempe exhibere, inter alia varia, Analysin Psalterii, Cantic. Mosis, IV Evangeliorum, Actorum, Epistolarum Apostolicarum omnium, excepta illa quæ ad Ephesios scripta, denique etiam Apocalypseos. Joh. Morinus, epistola quæ inter Dissertationes Epistolicas de Ecclesiæ Or. antiquitatibus est XIII, *Sunt*, ait, *in Bibliotheca nostra* (Parisiensi) *quatuor Evangelia lingua Coptica eleganter atque ab antiquo descripta: quæ R. Pater de Sancy Constantinopoli Lutetiam attulit.* Etiam nostras Theodorus Petræus, inter alia Æthiopica Psalterium Copticum ex Oriente in Europam invexit. Sed & Augustinus Nebiensis ad Psal. LXXXIV & XIV, versionis meminit Psalmorum Ægyptiacæ. imo occurrit quoque crebra ejus mentio in scholiis Gregorii Syri. Confer præterea Thomæ Mareschalli Observationes in versionem Evangeliorum Gothicam §. I.

CAPUT XXII.

DE

VERSIONE ITALICA.

I.

Utriusque Instrumenti divina volumina primus omnium in Italicam linguam summa fide ac diligentia transfudit, Sixto Senensi teste Bibliothecæ sanctæ libro

Translatio Italica facta Paragine a Sixto Sen. commendata.

bro IV, Jacobus de Varagine, Archiepiscopus Genuensis, ord. Prædicatorum, *vir*, ut idem Sixtus scribit, *multæ variæque lectionis, propria lingua mire facundus, & in sacris declamationibus omnium opinionine celebris; historiarum quoque non contemnendus scriptor, & Augustini voluminum ita studiosus, ut ea pene omnia memoria teneret.* Quod judicium sugillans, in Apparatu suo sacro, verb. *Biblia*, p.m.225. Anton. Possevinus, *Nec vero*, inquit, *uni Sixto Senensi ita fides habenda, ut credamus, Jacobi de Varagine versionem nulla egere animadversione, quippe cui nec linguæ politioris Italicæ, neque historiarum, quas idem affert de viris sanctis, notitia defuerit* (sic enim haud dubie legi debet quod perperam sensuque nullo typis heic expressum) *quin in Martyrologiis, & Annalibus Ecclesiasticis, sive hujusmodi aliis perlegendis, quæ deinceps Ecclesiæ Catholicæ jussu ac pietate prodierunt ad omnium usum, rectius ponendum sit tempus.* Nempe ingenium sapit viri Romano more Catholici, quæ Ecclesiæ, recentioris etiam, auctoritate ac jussu prodierunt, ridiculis non raro absurdisque fabulis permixta, iis præferre, quæ ipsius Dei mandato & ex afflatu ejus infallibili in literas relata, omnibusq; legenda divinitus proposita & commendata, Deut. VI, 6. XI, 19. Ps. 1, 2. Joh. V, 39. II Tim. III, 15.

vingente licet Possevino.

II. Quanto rectius cetera Possevino ὁμόδοξος ille Abbas Gallicus, Michaël de Marolles, præfatus in suam N. T. metaphrasin vernaculam, quod omnino liceat & expediat in linguis etiam vulgo cognitis Scripturam sacram legere, inter cetera, quibus ad id ostendendum utitur, argumenta, hujus quoque ipsius

laudata item Abb. de Marolles.

Ita-

Italicæ translationis exemplo probat: quam Venetiis prodiisse dicit anno cIↃ CCCC LXXVII, sub Sixto IV, & Andrea Vendramino, Venetorum Duce. conformiter scilicet iis, quæ Rivetus notat, Isagog. cap. XIII, 4. *Habeo*, inquiens, *exemplar Bibliorum Italicorum, editum Venetiis anno 1477. apud Gabrielem de Petro Trevisanum, regnante (ut ait) Sixto IV Pont. Max. & Andrea Vendramino, inclyto Duce Veneto. Quæ fortasse versio est, quam Jacobus de Varagine, Genuensis Archiepiscopus, ante annos trecentos adornavit.*

III. Antiquissimam hanc versionem Italicam excepit, anno superioris seculi XXX, Antonii Bruccioli translatio, secundum originalem textum adornata quidem, sed ita, ut, cum Hebrææ linguæ non satis gnarus forte esset ipsemet, Pagnini vestigia religiosius presserit quam par erat, ne ab erroribus quidem ejus & lapsibus sibi cavens. Notatu vero dignum, cum diversæ hujus versionis editiones extent, ei quæ anno XL publicata, epistolam præmitti ad Renatam Ferrariæ Principem, qua pro Bibliorum in linguas vulgares translationibus, earumque usu, non minus ac supra memoratus Abbas de Morelles, operose auctor disputat. *Versio Ital. Bruccioli.*

IV. Sequuta est anno cIↃ IↃ XLI Nicolai Malermii, Abbatis monasterii S. Michaelis de Lerno, Italica Scripturæ traductio, sed ex Vulgata Latina expressa. *Malermii.*

V. Palmam vero ceteris Italicis præripit Johannis Diodati Genevæ publicata translatio: quam ipse Richardus Simon, licet Genevensibus parum æquus, *in multis feliciter & egregie vertisse, & præ omnibus aliis Interpretibus perspicue sensum reddere* agnoscit, Hist. *Diodati.*

Critic. lib. II, cap. XXIV; ubi tamen etiam, quid in illa desideret, nullo modo dissimulat.

CAPUT XXIII.
DE
VERSIONE GALLICA.

I.

Versio Scripturæ Gallica Waldensium,

VEtustissima Bibliorum ex Latino translatio Gallica videtur esse, qua Waldenses usi, postquam diversa a Romanis sacra sequi cœperunt. Nec de eo dubitandum, si ipsum Waldum versio illa auctorem habet, quod in Catalogo Testium veritatis cap. XV Matthias Flacius tradit, *Ipse*, inquiens, *non suas aliquas regulas, suique capitis somnia dictare, sed sacras literas tum explicando declarare, tum in vulgarem Gallicam linguam transferre. Fuit enim homo doctus, ut ex vetustis membranis cognosco, & non curavit sibi ab aliis verti, ut quidam veritatis inimici mentiuntur.* Cujusmodi videlicet est Angelus Roccha a Camarino, qui in Bibliotheca sua Vaticana, de picta generalis Concilii Lateranensis I imagine, deque damnato in eodem cum afflictis Waldo, seu, ut ipse appellat, Waldone, agens, *Quosdam*, inquit, *libros vulgari maternaque lingua, cum idiota esset, sanctorum dictis ac testimoniis extortis, sibi conscribi curavit.* Quidquid hujus, sane primos statim Waldenses vernaculo suo, id est, Gallico idiomate sacra Biblia legisse, ex Innocentii III ad Metenses epistola constat, & ex Reineri Sachoni Placentini, seculi XIV scriptoris, libri contra Waldenses capite IV; ubi inter ceteras, quas recenset hæreseos illius, ut ipse vocat, causas, tertio loco hanc po-

ponit, quod *Novum & Vetus Testamentum vulgariter transtulerint.* Imo fuisse penes se traductionis hujus Biblicæ exemplum, testatur in sua Vallium Alpinarum Historia Joannes Leger: quemadmodum & in Provincia hodieque reperiri MSS. Bibliorum vernacula, quæ Waldensibus originem debere videantur, Simonius annotat. Histor. Critic. lib. II, cap. XXIII, & Disquis. Crit. cap. XXIV.

G. Molinæi.

II. Posthac apud Gallos concinnavit vernaculo sermone Scripturarum versionem, itidem secundum Latinam vulgatam, Guiars des Moulins, s. Guiartus Molinæus, Presbyter & Canonicus in diœcesi Tornacensi, anno CIↃ CC XCIV. Quam *Caroli octavi jussu primum, & aliorum subinde cura, prælo commissam fuisse* scribit Huetius de Interpretatione libro II, 12. At contra numquam publice editam esse hanc translationem, exemplar autem illius in Genevensi bibliotheca asservari, & alterum Parisiis in museo Henrici Justelli, Simonius testis est Historiæ Critic. lib. II, cap. XXII, XXIV, libri III appendice pag. 142. & Disquis. Crit. cap. XXIV.

Oresmi;

III. Porro seculo sequenti, Nicolaus Oresmus, sive, ut alii nomen ejus exprimunt, Oremus, Decanus primum Rhotomagiensis, Lexoviensis deinde Episcopus, aliam edidit, similiter ex Latino textu, Scripturæ sacræ translationem Gallicam: quam in quibusdam Franciæ Bibliothecis extare, & cujus aliquot manu exarata fragmenta penes se habuisse Carolum Molinæum, Simonius tradit Disquis. Critic. loco paulo ante laudato. quemadmodum & Rivetus ait Isagog. cap. XIII, *Hujus translationis exemplaria multa manuscripta in*

Gal-

Gallia reperiuntur; quorum duo memini me vidisse elegantissima, auro, minio, & lasurio, sive cæruleo colore, curiosissime illustrata, in bibliotheca Taliburgi, & insulæ Buchardi, ditionis Illustriss. Ducis Tremolliani. ac Chamier Panstrat. Cathol. Tom. I, lib. XI, cap. V, II. *Hanc editionem memini videre eleganter descriptam in membranis.* deniq; & Mornayus in Mysterio Iniquitatis, sub annum clɔ ccc LXIII: *Huius exemplaria in illustrium regni* Galliæ *familiarum bibliothecis adhuc reperiuntur. In Regia ipsa unum inprimis, in quo Caroli ipsius manu testatum, hæc Biblia suo jussu translata.* Nimirum Caroli V, sive Sapientis, Galliarum Regis, auctoritate opus illud adornatum est, indeque Biblia Caroli Quinti id vulgo dictum, ipsumque hunc Principem ejus auctorem habitum fuisse, Huetius loco supra citato memorat. Qui etiam de hac aliisque Oresmi traductionibus tale ibi fert judicium: *Plurima veterum scripta, Gallice Oresmus vertit: sed fontibus, quorum aditum, propter linguarum imperitiam, sibi præclusum sentiebat, relictis, e Latinis interpretationes suas lacunis ita derivavit, ut quæ forte fœdatæ essent erriorbus, non modo eas non purgaret, sed novis etiam, ut fere fit, accessionibus passim inquinaret. Quod si ætatem tamen, qua vixit, respexerimus, tantum in his tenebris eum vidisse, tantamque in interpretando temperantiam adhibuisse mirabimur, nedum severe hunc & contumelioſe habeamus.* Et vidit sane acute adeo in spissis istis tenebris Oremus, ut etiam Pontificem Romanum Antichristum esse perspexerit. Quo de consulantur qui illorum temporum historiam consignarunt. Videatur amplius de his Oresmianis Bibliis C. Frassenius, Doctor

Sor-

Sorbonicus, Disquis. Biblic. lib. II, cap. IIX, §. II, pag. 416. ubi præterea, *Habemus etiam*, ait, *in Bibliotheca nostra historicos, sacros libros una cum Psalterio, Gallice elaboratos ad usum filiæ S. Ludovici Regis.*

Lugdunensis cum Caroli 5. privilegio.

IV. Superiori seculo Biblia prodierunt Gallica, Caroli V Cæsaris privilegio munita, primum quidem Lugduni, post Antvverpiæ. De quorum γνησιότητι licet dubitari posse scribat Richardus Simon, Histor. Critic. lib. II, cap. XXII, & Disquis. Crit. cap. XXIV, quod annus editionis cum his, quæ in privilegio habentur, nequaquam concordet: dici quippe ibi, annum quo prodiit versio ista, excusa Antvverpiæ, typis Martini L'Empereur, anno cIↃ IↃ XXX, primum esse imperii Caroli V; qui tamen anno XIX ad dignitatem illam sit evectus; quodq; in eodem privilegio fidei Inquisitorũ fiat mentio; cujusmodi illo tempore in Flandria nulli fuerint: subjungit tamen mox, tanti hæc non esse, ut merito translationem isthanc suspectam faciant: forte enim errorem aliquem in privilegii verba irrepsisse; idque probari posse ex publicata anno XLI ejusdem versionis editione, cui aliter conceptum Caroli privilegium præfigatur. Ita, inquam, Simonius. Cujus dubia hinc enata, quod existimavit, nec ante annum XXX, nec alibi quam Antverpiæ, typis excusa esse Gallicana isthæc Biblia; quorum tamen jam anno XXI, idque Lugduni, publicata editio Andreæ Riveto innotuit; uti in ejus Isagoge ad Scripturam S. cap. XIII, 4. videre est.

Lovanienſis.

V. Omnium vero celeberrima, earum quidem quæ ex vulgatæ Latinæ textu traductæ, interpretatio Gallica est Theologorum Lovanienſium: quæ a variis

sæpius emendata multoties prodiit; & de cujus origine sic scribit Richardus Simon, Disquis. Critic. cap. XXIV: *Id operis non ob alias rationes aggressi sunt Theologi illi, quam ut homines plebejos & ineruditos a Bibliorum Genevensium, qua tunc pluris fiebant, lectione averterent. Similibus quoque adductos se fuisse testantur rationibus Theologi illi, qui Biblia in sermonem Anglicum, Germanicum, Polonicum, Hungaricum, & in alia plebeja idiomata, converterunt; ne scilicet ab omnibus passim legerentur Protestantium Biblia.*

Conf. Tract. nr. de lectione Script. in lingg. Vulg. num. 6.

Genevenses Olevitani,

VI. Ubi quod ad Biblia attinet Genevensia, sunt illa prima, quæ ex ipsis fontibus, Hebræo videlicet & Græco textu, idiomate Gallico expressa, idque a Roberto Olevitano, anno clɔ lɔ XXXV. Cujus versionem postea revidit, in multis castigavit, Gallicamque magis & intellectu faciliorem reddidit, ejus propinquus, Iohannes Calvinus. Quamquam nec in hujus judicio & industria penitus acquiescentes Genevenses, Cornelii Bertrami, Hebraicorum ibi Professoris doctissimi, a Beza, Fajo, Rotano, Jaquemartio, & Goulartio, adjuti, opera, anno clɔ lɔ LXXXIIX de novo recognita publicarunt Gallicana Olevitani Biblia. In quibus nihil immutatum posthac, nisi quod in subsequutis eorum editionibus novis, obsoleta vocabula cum usitatioribus subinde permutata.

recognita a Calvino, & Bertramo.

Maresii,

VII. Et quamquam novum videri possit opus Biblicum, quod typis Elzeviriorum nitidissimis in splendida papyro apud Batavos Samuelis Maresii cura prodiit, revera tamen nec illud a Genevensi diversum est, quantum ad textum attinet: cui suas ac Iohannis Diodati (qui & ipse Scripturas in Gallicum transfudit sermonem) Notas auctor addidit.

Diodati,

IIX.

IIX. Similiter non alia est a Genevensi translatio, quam anno clɔ lɔ LVII Lugduni Iohannes de Tournes publicavit. Quæ enim in illa mutantur, perpauca sunt, eoque solum tendunt, ne esse videatur, qualis tamen reapse est, Genevensis scholæ partus hæc interpretatio. Quo fine etiam ut in Vulgata Latina libri sacri in editione ista distribuuntur, nec alias ibi quam Hieronymianas præfationes legimus. *Lugdunensis Jo. de Tournes,*

IX. Eadem dissimulatione usus est Parisiensis ille Doctor Renatus Benedictus, quamquam alio consilio. Nempe *cum vidisset is homo* (verba damus Richardi di Simonis, Histor Critic. lib. II, cap. XXV) *novam Logicæ Aristotelicæ versionem valde probatam fuisse, etsi prorsus linguæ Græcæ ejus author imperitus esset; pariter Gallicam versionem juxta Hebræum & Græcum, etsi neutrius linguæ peritum se libens ipse confiteatur, procudere aggreditur. Quo rem facilius perficeret, Genevensem accipit versionem, quibusdam vocibus immutatis, & synonymis suffectis. Infeliciter vero accidit, ut, cum folia jam impressa cum suis ipsius emendationibus Typographis traderet, non exacte admodum istæ emendationes excusæ fuerint. Quocirca Theologi Parisienses, inventa in iis* Cœnæ *voce, & quibusdam aliis similibus Genevæ prognatis, palam hanc versionem condemnarunt, utut nomine unius e Collegis ipsorum insignitam. At ultro crimen illud author confessus est.* Hæc Simonius. Quo paulo verecundior Anton. Possevinus, auctoris nomini parcens, ejusque excusaturus plagium, rem eandem ita narrat in Apparatu sacro, verbo, *Biblia*, pag. 225. *Calviniani cum a Calvino, Magistro suo, Biblia in Gallicam linguam potius transversa quam* *Renati Benedicti,*

conversa accepissent, occasionem præbuere curiosis ingeniis, ac præcipue plerisque Nobilibus, ut ea perlegerent. At cum hæreticam versionem Catholici desiderarent, fuit qui alteri versioni manum admovit. Quam cum inchoatam neque vero absolutam prælo Typographi subjecissent, dum opera folia urgebant, factum est, ut ex Calviniana versione plura extemporarie multis in locis desumpta fuerint, & ita evulgata. Quare non ita multo post agnita mendis atque erroribus gravissimis referta, a Sorbonica Schola unanimi sunt condemnata.

Castalionis. x. Supereſt Sebaſtiani Caſtalionis Gallica Bibliorum verſio. De qua Huetius, ſub finem operis de Interpretatione : *Omnium non ludibrio ſolum & cachinnis, ſed contentioni etiam, ſeſe propinavit Sebaſtianus Caſtalio, quum grave & ſerium convertendæ Scripturæ molitus opus, ſermonis intemperiem, quam in Latina interpretatione comparanda ineptiſſime exeruerat, in Gallica etiam inſolentius explicavit.* & Simonius Hiſtoriæ Crit. lib. II, cap. XXV : *Sebaſtianus Caſtellio ſive Caſtalio, de quo nos ſupra, Gallicam quoque Bibliorum editionem confecit, Henrico II Francorum Regi dicatam. Cum ſuæ Latinæ verſionis Gallica hæc interpretatio mera ſit, crambem non recoquemus. Iisdem vitiis, quibus Latina, ſcatet. Affectatæ elegantiæ ubique ſe reum facit. Nova & inſolentia vocabula uſurpat, etiam fingit.* Vide ſupra cap. XV, 12.

CA-

CAPUT XXIV.
DE
VERSIONE HISPANICA.

I.

Hiſpanica Scripturæ Verſio ſec. 15.

ANtiquiſſima, quam editam legimus, translatio Bibliorum Hiſpanica eſt, quæ tempore Vincentii Ferrerii, Dominicani, id eſt, circa initium ſeculi XV, in folio charta Regali prodiit; ceu teſtatur, præfatus in ſuam verſionem Hiſpanicam, Cyprianus de Valere, *La Biblia*, inquiens, *en lengua Valenciana con licencia de los Inquiſidores à cuya translacion aſſiſto S. Vincente Ferrer.*

Verſio Judæorum,

II. Poſthac, anno cIↃ IↃ LIII, Judæorum ex Hæbræo traducta interpretatio Hiſpanica, Ferrariæ prodiit, ſcabra admodum & inepte ſuperſtitioſa. Præter quam Judæos Hiſpanos in Oriente profugos aliam partis Bibliorum verſionem habere, Simonius tradit in Catalogo qui libro III Hiſtoriæ ejus Criticæ ſubjunctus.

de Reyna.

III. Ferrarienſem, quam diximus, ſed inprimis Pagnini, ſequutus translationem, ut in præfatione monet, Caſſiodorus de Reyna, aliam adornavit, duodecim annorum ſpatio, Bibliorum verſionem, quæ Baſileæ vulgata anno cIↃ IↃ LXIX.

de Valere.

IV. Hanc excepit Cypriani de Valere editio: quæ tamen non tam nova translatio eſt, quam Reynianæ, alicubi, ex Genevenſi præſertim Gallica, mutatæ & emendatæ, repetitio.

N. T. Hiſp.

V. Extat præterea Novi Teſtamenti anno cIↃ IↃ XLII per Franciſcum de Enzinas, & alia anno cIↃ IↃ LVI per Johannem Perez excuſa interpretatio Hiſpanica.

CAPUT XXV.
DE
VERSIONE GERMANICA.

I.

Versio Scriptura German. sec. 9.

GErmanicam Bibliorum traductionem a Caroli M. tempore repetendam censet Hottingerus in Bibliothecario suo, Biblioth. Theol. lib. I, cap. III, *De Carolo ipso*, inquiens, *authores fide digni referunt, eius sive cura sive opera N. T. in linguam Germanicam fuisse translatum. Et certe, sive spectemus ejusdem per Paulum Diaconum collectos textus* ἐγκυκλίους, *circulari anni cursu absolvendos, sive Capitulare eius Saxonicum, & in eo de Verbo Dei audiendo singulis diebus Solis strictum mandatum, a vero non abhorret, jam tum eo tempore Germanos sua lingua, vel totam Scripturam, vel certa ejus tmemata legisse. praesertim cum constet, quod asservata fuerint in Bibliothecis Psalteriorum Davidis exemplaria, quibus vel sola styli ratio antiquitatem tribuit.* Ita Hottingerus, qui mox de translato circa annum Io CCC LXX Psalterio, quod in cœnobio D. Galli extet, Gesneri testimonium laudat, inque Bibliotheca etiam Tigurina ex Psalterio depromptum vetustæ Germanorum linguæ specimen haberi ait; sed & de Beato Rhenano refert, quod Valdoni Episcopo Frisingensi circa annum Christi Io CCC translationem Evangeliorum vendicet.

Caroli M. circa Scriptura textū & expositionem curas.

II. Ubi vellem nominasset vir doctissimus auctores illos, a quibus, quod Caroli M. sive cura sive opera Novum Testamentum in linguam Germanicam trans-

translatum, referri dicit. Equidem de Caroli circa Vulgatam Latinam recognoscendam solicitudine ita, ex Capitularibus & mscr. codice, Baronius, ad ann. Ↄ CC LXXIIX, 22. *Carolo Magno debemus ingens opus illud ab Alcuino sive Albino elaboratum, quo totius divinæ Scripturæ, tam Veteris quam Novi Testamenti, Vulgata editio emendata est. Acciderat enim, ut ipsa multiplicium librariorum exscribentium vitio mendis obsita jam vilesceret: quod periniquo animo ferens Carolus, ut quam emendatissima ederetur, in pristinamque vendicaretur integritatem atque splendorem, studio propensiori curavit.* Similiter, quod *quatuor Evangelistas* idem *cum Græcis & Syris optime correxerit*, apud Andr. du Chesne Tom. II Theganus testis est. Sed de curata ipsius auspiciis versione Bibliorum Germanica nihil ibi habetur.

III. Textus porro Biblicos ἐγκυκλίους, sive certas illas singulis Dominicis ex Evangelistarum & Apostolorum scriptis adsignatas lectiones, Caroli jussu per Paulum Diaconum delectas fuisse, vulgaris quidem opinio est. At si Sigebertum audimus Gemblacensem, non tam ipsi Scripturæ sacræ textus, quam, quibus illi exponerentur, Doctorum veterum homiliæ, Caroli auctoritate sunt selectæ. Ita enim, quem dixi, Sigebertus ad ann. Ↄ CCC VII: *Carolus imperator per manum Pauli* (Warnefridi) *Diaconi sui, decerpens optima quæque de scriptis Catholicorum Patrum, lectiones unicuique festivitati convenientes per circulum anni in Ecclesia legendas compilari fecit.* Gemina habet Sixtus Senensis, Bibliothecæ suæ libro IV, nisi quod in Alcuinum confert operam, quam Sigebertus Paulo tribuit, Al-

Homilia Patrum in textus Scripturæ ἐγκυκλίους Caroli jussu ordinata.

Albinus Flaccus, inquiens, *cognomento Alcuinus, Monachus, Diaconus, & Abbas monasterii S. Martini Turonensis, natione Anglicus, Bedæ Presbyteri auditor, vir in omni scientiarum genere suo tempore celebratissimus, & Caroli Magni Augusti Præceptor, — collegit & in ordinem redegit, jussu Caroli Magni, præstantissimorum ecclesiæ Doctorum homilias in Evangelia, quæ per anni ambitum publice in templis leguntur*: videlicet, ut mox sequitur, aliquot Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Fulgentii, Origenis, Maximi, Chrysostomi, Severiani, Leonis, Gregorii, Bedæ, Isidori; omnes numero CCIX.

Caroli ævo prælecta fuerunt lingua Germanica in conventibus Ecclesiasticis homilia sacra.

IV. Constat interim ex his ipsis modo productis testimoniis, jam tum Caroli ævo certas pericopas Biblicas, quibus videlicet dictæ istæ Patrum homiliæ aptatæ, statis temporibus publice in conventibus Ecclesiasticis fuisse prælectas. Idque lingua factum esse cuivis genti vernacula, res ipsa loquitur. & de Germanico speciatim idiomate testari potest celebratum Caroli jussu, anno DCCC XIII, Concilium Turonense III. cujus can. XVII hæc leguntur: *Visum est unanimitati nostræ, ut quilibet Episcopus habeat homilias, continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur. — & ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam* (Gallicam) *aut Theotiscam* (Germanicam) *quo facilius possint cuncti intelligere quæ dicuntur.*

Tota Scriptura Germanice reddita sub Ludovico Pio.

V. De universo utriusque Instrumenti codice in Germanicum sermonem Ludovici Pii cura traducto testimonium hoc extat illustre præfationis cujusdam in librum antiquum Saxonica lingua scriptum, apud

apud Andr. du Cheſne, Tom. II, 326. *Cum divinorum librorum ſolummodo literati atque eruditi prius notitiam haberent, eius* (Ludovici) *ſtudio, atque imperii tempore, ſed Dei omnipotentia atque inchoantia, mirabiliter actum eſt nuper, ut cunctus populus ſuæ ditioni ſubditus, Theudiſca loquens lingua, eiusdem divinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam, uni de gente Saxonum, qui apud ſuos non ignobilis Vates habebatur, ut Vetus ac Novum Teſtamentum in Germanicam linguam Poëtice transferre ſtuderet: quatenus non ſolum literatis, verum etiam illiteratis, ſacra divinorum præceptorum lectio panderetur.* Nimirum, ut alias Rhytmico dicendi genere majores noſtros delectatos fuiſſe conſtat; ſic in translatione etiam Biblica eodem fuerunt uſi. Exhibetque rhytmicarum ejusmodi verſionum ſpecimina quædam ſatis curioſa loco ſupra laudato Hottingerus. Porro huc refer, quod Johannes Huſſus, in edita cIↃ CCCC XI contra Joannem Stokes pro Wiclefo Replica, apud Angliæ Reginam Teutonica lingua Evangelium eo tempore extitiſſe, indicium faciat.

Verſio Germ. 1441.

VI. Ad Hottingerum vero ut revertamur, is amplius dicto loco, *Antiquiſſimam*, inquit, *typis excuſam editionem, & quæ non multo poſt inventum ſubſidium chalcographicum prodiit, vidi anno hujus ſeculi 57. in Bibliotheca Auguſtana publica. Adſcriptam, ni fallor, Epocham habet 1448. quæ in aliis raro obſervatur exemplaribus.* Ubi fateor ſtatim dubitaſſe me, quando hæc legi, an recte rem obſervaverit Hottingerus, præſertim cum nec ipſemet ſuæ ſatis heic fidat memoriæ. Tametſi enim errat Eraſmus Schmidius, quando in

De Bibliis Germ. quæ 1448. & 1433. excuſa dicuntur, quid habendum.

Notis ad Matth. 1, 1. anno demum cIↃ CCCC LXV primum librum typis excusum fuisse refert, Officia scilicet & Paradoxa Ciceronis, (extat quippe in ipsa Kilonienſi nostra Bibliotheca Academica opus Grammaticum in fol. sub titulo: *Summa, quæ vocatur Catholicon, edita a fratre Johanne de Janua, Ordinis fratr. Prædicatorum*; in cujus fine ista leguntur: *Altissimi præsidio, cujus nutu infantium linguæ fiunt disertæ. Quique sæpe parvulis revelat quod sapientibus celat. Hic liber egregius, Catholicon, Dominicæ incarnationis annis* CIↃ CCCC LX *alma in urbe Maguntina nacionis inclitæ Germanicæ, Quam Dei clemencia tam alto ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum nacionibus preferre illustrare dignatus est, non calami, stili, aut penne suffragio, sed mira patronarum formarumque concordia proporcione & modulo impressus atque confectus est.* quod tamen jam anno CIↃ CCCC XLIIX libri excudi cœperint Germanici, difficile creditu mihi videbatur: cum Angelus Roccha, in sua Bibliotheca Vaticana, primum typis impressum librum, Donati scilicet Grammatici opus, ex officina Johannis Fausti, civis Moguntini, artis Typographicæ inventoris, anno demum CIↃ CCCC L prodiisse, notabili admodum Mariangeli Accursii testimonio confirmet. Nec mea me fefellit suspicio, memoria lapsum heic esse Hottingerum: siquidem ex amico, qui sæpe in manibus habuisse se Augustanum illum Codicem affirmat, anno demum CIↃ CCCC LXXX, idque Augustæ, eundem impressum esse rescivi. Et quis credat, obsecro, quod in Analectis suis Historico-Theologicis, dissert. II, 16. idem Hottingerus ex Michaele de Marolles refert, *ante natum Lutherum ver-*

sio-

sionem Bibliorum *Germanicam anu. Chr. 1433. per Antonium Robergerum publici juris factam esse?* Sane si de typis publicata editione intelligi id debet, (uti vix dubito, qui Ant. Kobergerum Typographum fuisse scio Norimbergensem, e cujus officina anno clɔ CCCC LXXV Biblia prodierunt mihi visa editionis vulgatæ) perspicue falsum est. Artis enim Typographicæ primam inventionem, aut certe detectionem, in annum clɔ CCCC XL communi consensu auctores referunt. Errorem igitur subesse heic puto chalcographicum.

VII. Porro Hottingerus, supra citato Bibliothecarii loco, *Est & versio Germanica*, scribit, *cujus partem inde ab Esaia ad finem usque N.T. nuper amicus mecum communicavit, manu Sacellani cujusdam, Nicolai Brakmii, ann. Chr. 1472. exarata.* Pergit: *Habeo quidem ad manum Codicem ἀνεπίγραφον, quem nonnemo ann. Chr. 1457. impressum conjectat. Ita sua ad Cod. observavit manu Joh. Jac. Huldricus, Theologus Tigurinus.* Memorat præterea editiones Bibliorum German. Norimbergenses ann. clɔ CCCC LXXVII & LXXXIII, nec non aliam anno clɔ lɔ XIIX vulgatam: Augustanam videlicet illam haud dubie, cujus & alii auctores mentionem faciunt. Præter quas ego vidi & legi translationem Germanicam clɔ CCCC LXXXVII Augustæ excusam, unde supra cap. XII, 42. XIV, 22. 33. quædam sunt recitata: uti ex ceteris ante laudatis versionibus specimina producunt Hottingerus loco proxime expresso, Calovius Bibliorum Illustratorũ Præloqv. num. XIV. Pfeifferus Critic. sacr. cap. XIII, sect. II, quæst. I.

Biblia Germ. ann. 1472.

1459.

ann. 1477. 1483. 1518.

1487.

IIX. Provocat præterea ad traductionem Psalterii Germanicam vetustam Michael Beringerus, He-

Biblia Germ. antiqua Beringero visa.

brææ linguæ olim apud Tubingenſes Profeſſor, in Defenſione verſionis Bibliorum Lutheranæ anno clɔ lɔc xiii Erfurti edita; indeque ſpecimen affert, comma videlicet primum Pſalmi 1, hoc modo redditum: Selig iſt der Mann / der nicht den weg iſt gegangen der Unmilden; und den weg der Sünder nicht iſt geſtanden / und in dem Meiſter-ſeſſel der Schelmen nicht iſt geſeſſen.

Tremalia Matheſio.

ix. Johannes tandem Matheſius Bibliorum quoque Germanicorum ante Lutheranam reformationem editorum meminit, conc. xiii de vita Lutheri. Verba ejus: Ich habe in meiner Jugend eine unteutſche Teutſche Bibel geſehen / ohne zweiffel aus dem Latein verteutſchet. Die war dunckel uud finſter. Denn zu der zeit achteten ſich die Gelahrten der Bibel nicht faſt. Mein Vater hatte eine Deutſche Poſtill / darin neben den Sontags Evangelien auch etliche ſtück aus dem Alten Teſtament poſtilliret und außgeleget waren: darauß hab ich ihm offt mit luſt geleſen. Wie gern / ſagte mein Vater / möcht ich eine gantze Deutſche Bibel ſehen!

Verſio Lutheri Germanica.

x. Idem Matheſius eodem loco de traductis ex ipſo textu originali a Luthero Bibliis Germanicis, eorumque ortu, progreſſu, & repetitis ſubinde editionibus, prolixe agit: indicans videlicet, quomodo initium verſionis hujus factum ſit a Novo Teſtamento, indeque ad Vetus perrectum; quomodo item, poſtquam per partes primum libri Biblici Germanice prodiiſſent, ſingulari deinde ſtudio & diligentia Lutherus ejusque συνεργοὶ omnia recognoverint, integrumque ſic tandem Scripturæ corpus & ſyſtema vernaculo noſtro idiomate fuerit publicatum.

Initium &

xi. Nempe cœpit manum arduo huic operi admo-

movere Lutherus anno cIↃ IↃ XXII. Ita enim patet ex data tunc epistola ejus ad Hartm. de Cronberg, sub cujus finem scribit, Tom. II Jen. G. fol. 93. a. Ich hab mir fürgenommen die Biblia zu verdeutschen. Das ist mit noth gewesen. Ich hätte sonst woll sollen in dem irthum gestorben seyn / daß ich were gelehrt gewesen. Es solten solch werck thun die sich lassen dünckē gelehrt seyn. & ex publicato eodem anno ipsius libro adversus Henricum IIX Angliæ Regem, sub cujus itidem finem objecta sibi a Rege omnia & singula examinare se posse negat, quod in Bibliis Germanice traducendis occupetur, loc. cit. fol. 161, a. a quo etsi proposito per Saxoniæ Duces, Fridericū Electorem ac Johannem, repellere eum conatus est Rex Henricus, uti ex epistola ejus patet, quæ ibidem fol. 211, b. legitur, frustra tamen fuit, successitque prospere adeo sacrum illud negotium, ut eo ipso adhuc anno Novi Testamenti prima Wittebergæ prodierit editio, repetita paulo post, alia atque alia forma, tum ibi, tum Basileæ, Augustæ, Argentorati.

progressus Versionis Germanica Lutheri.

XII. Seqvutum mox Testamentum Vetus. Et Pentateuchus quidem anno XXIII publicatus est, libri Historici ac Poetici anno XXIV. Isaias anno XXIX prodiit: Prophetæ cuncti anno XXXII. De qua editione ita Dn. D. Calovius, Bibliorum Illustrat. præloqv. num. XIV, pag. 5. *Anno 1532, omnes Prophetas Germanice hoc loco* (Wittebergæ) *divulgavit typis Joh. Lufft. cujus translationis & editionis aliquas pagellas manu B. Lutheri scriptas habeo, easque cum editione illa conferendo observo, iisdem chartis usum esse Typographum: inprimis autem non sine admiratione & veneratione summi studii Megalandri deprehendo, quanta accuratione elaboraverit,*

rit, ut textum Ebræum & emphatice & pure Germanice redderet; siquidem subinde verba & phrases correxit, donec inveniret quibus acquiesceret.

Systematis Biblici Lutherani editio prior.

XIII. Tandem anno clo lo xxxv omnes & singuli junctim inq; unum corpus coacti libri Biblici idiomate Germanico Wittebergæ vulgati sunt; sed ita, ut revide-rentur ante, ac, ubi opus esset, emendarentur, Psalterii autem in locum prioris, utpote Hebraismum plus justo passim sapientis, plane nova substitueretur translatio. Qua de re ita Lutherus, præfatione breviori in Psalteriū:

Psalterium Lutheri Germ. duplex.

Ob jemand klügeln wolt / und fürgeben / wir hätten den Psalter zu fern von den Worten gezogen / der sey bey sich selbst klug / und lasse diesen Psalter ungetadelt. Denn wir habens wissentlich gethan / und freylich alle Wort auff der Goldwage gehalten / und mit allem fleiß und trewen verdeutschet / und sind auch gelahrter Leute gnug darbey gewesen. Doch lassen wir unsern vorigen Deutschen Psal-ter auch bleiben / umb deren willen / so da begehren zu sehen unser exempel und Fußstapffen / wie man mit Dolmetschen näher und näher kommet. Denn der vorige Deutsche Psalter ist an vielen öhrtern dem Ebreischen näher / und dem Deutschen ferner: dieser ist dem Deutschen näher / und dem Ebreischen ferner.

Germanicorum Lutheri Bibliorum editio posterior quanta cura & solicitudine adornata,

XIV. Primam istam totius systematis Biblici editionem excepit altera, annorum XLI & XLII. Quæ quanta cura fuerit & solicitudine adornata, nemo re-ctius nos docuerit quam laudatus jam supra Mathesius, testis horum omnium αὐτόπτης. Cujus pro-inde ea de re verba repeti heic omnino meren-tur. Sic vero illa habent, loco citato: Als erstlich die gantze Deutsche Bibel außgangen war / und

ein

ein tag lehret immer neben der anfechtung den andern / nimmet D. Luther die Biblien von anfang wider für sich / mit grossem ernst / fleiß und gebete / und übersihet sie durchaus. und weil sich der Sohn GOttes versprochen hatte / er wolle darbey seyn / wo ihr etliche in seinem Namen zusammen kommen / und umb seinen Geist bitten / verordnet D. Martin Luther gleich ein eigen Sanhedrim / von den besten Leuten so deßmals vorhanden / welche wöchentlich etliche stunden vor dem abendessen / in Doctors Kloster zusammen kamen; nemlich / D. Johan Bugenhagen / D. Justum Jonam / D. Creutziger / M. Philippum / Matthaeum Aurogallum: dabey M. Georg Rörer der Correctror auch war. Offtmals kamen frembde Doctorn und Gelehrte zu diesem hohen Werck / als D. Bernhard Ziegler / D. Forstemius. Wenn nun Doctor zuvor die außgangen Bibel übersehen / und darneben bey Jüden und frembden Sprachen kündigen sich erlernet / und sich bey alten Deutschen von guten Worten erfraget hatte / wie er ihm etliche Schöps abstechen ließ / damit ihn ein Deutscher Fleischer berichtet / wie man ein jedes am Schaff nennete / kam D. Martin Luther in das Consistorium / mit seiner alten Lateinischen und newen Deutschen Biblien / darbey er auch stettigs den Hebräischen Text hatte / D. Creutziger neben dem Hebräischen die Chaldeischen Bibel / die Professores hatten bey sich ihre Rabinen / Doctor Pommer hatte auch ein Lateinischen Text für sich / darin er sehr wol bekant war. Zuvor hat sich ein jeder auff den Text gerüst / davon man rathschlagen solte / Griechische und Lateinische / neben den Jüdischen Außlegern / übersehen. Darauff proponirt dieser Präsident ein Text / und ließ die Stim herumb gehen / und höret / was ein jeder darzu zu reden hätte / nach

eigen-

eigenschafft der Sprachen / oder nach der alten Doctorn außlegung. Wunderschöne und lehrhaffte reden sollen bey dieser arbeit gefallen seyn / welcher M. Georg (Rörer) etliche auffgezeichnet / und die hernach als kleine Glößlein und Außlegung auff den Rand zum Text gedruckt seyn.

Ipsius Lutheri de fide & industria in translatione sua adhibita testimonia.

xv. Ipse etiam Lutherus, qua fide quantoque studio sua fuerit curata Bibliorum versio, docet in epistola von Dolmetschen / Tom. v Jen. G. Sic nimirum ibi scribit fol. 140. ad amicum quendam: Ihr mügt sagen / daß ich das Newe Testament verdeutscht habe auff mein bestes vermögen / und auff mein Gewissen. — Hab ich darinnen etwa gefeilet (das mir doch nicht bewust / und freilich ungern einen Buchstaben muthwillig wolt unrecht verdolmetschen) darüber wil ich die Papisten nicht zu Richter leiden. fol. 141 Ich hab mich des geflissen im Dolmetschen / daß ich rein und klar Deutsch geben möchte. Und ist uns wol offt begegnet / daß wir in 14. tage / drey / vier wochen / haben ein einiges wort gesucht und gefragt / habens dennoch zuweilen nicht funden. Im Hiob arbeiteten wir also / M. Philips / Aurogallus / und ich / daß wir in vier tagen zuweilen kaum drey zeilen kundten fertigē. Lieber / nu es verdeutscht und bereit ist / kans ein jeder lesen und meistern / laufft einer jetzt mit den augen durch drey oder vier blätter / und stösst nicht einmahl an / wird aber nicht gewar / welche wacken und klötze da gelegen sind / da er jetzt überhingehet / wie über ein gehöffelt bredt / da wir haben must schwitzen und uns engsten / ehe denn wir solche wacken und klötze aus dem wege räumeten / auffdaß man kündte so fein daher gehen. Es ist gut pflügen / wenn der acker gereinigt ist. Aber den wald und die stöcke außrotten / und den acker zu richten / da will niemand an. pag. 143.

Das

Das kan ich mit gutem Gewissen zeugen / daß ich meine höchste Trewe und Fleiß drinnen erzeigt / und nie kein falsche Gedancken gehabt habe. Denn ich habe keinen heller dafür genommen / noch gesucht / noch damit gewonnen. So hab ich meine Ehre drinnen nicht gemeinet / das weiß Gott mein HERR. Confer supra num. XII. Sed ad Mathesii narrationem revertamur.

Mutatio locorum quorundam in Bibliis Lutheri Germ. post ann. 1542.

XVI. Refert is amplius, ubi jam prodiisset altera integrorum Bibliorum Germanicorum editio, de qua num. XIV, quædam nihilominus loca aliter postmodum a Luthero fuisse reddita, ut Gen. IV, 1. II Sam. VII, 19. & similia, quæ post ejus obitum a M. Georgio Rörer / ordinario operis hujus Biblici Correctore, præscitu tamen & consilio Doctorum Wittebergensium, textui Biblico fuerint inserta. Qua de re ipsius quoque Röreri verba legi possunt in Consiliis Theologicis Witteberg. parte I, pag. II. seqq. & apud Waltherum, Offic. Bibl. Repos. I, thec. IV, arc. VI, 453. Quo etiam loco multa alia observatu digna de Germanica hac translatione habentur; quemadmodum & apud Gerhardum Exeges. Loc. I, 521. seqq. atque Calovium Bibl. Illustr. præloqv. num. XIV. ubi & alii argumentum hoc persequentes auctores citantur.

Lutheranæ Bibliorum Versio occasionem dedit aliis translationibus Germanicis.

XVII. Illa igitur vernacula Lutheri Biblia postquã in lucem prodiissent, cunctosque Germaniæ angulos occupassent, dici non potest, quanto applausu excepta fuerint ab omnis ordinis hominibus, quantaque aviditate lecta, ab iis etiam, qui in Romanæ Ecclesiæ agebant communione. Quo permotus infensissimus ille Lutheri hostis, Georgius Saxoniæ Dux, publico mandato conversi ab eodem Novi Testamenti lectione

& emptione civibus suis interdixit, quod Tom. II Jen. Germ. fol. 177. legere licet. Cum vero violenta hac ratione hominum manibus codex ille non posset excuti, alia rem via aggressus, novam per Hieronymum Emserum, notissimum illum Lutheri antagonistam, N. T. translationem ex Latina vulgata procuravit, eamque prolixa præfatione ornatam, suis legendã commendavit, quæ tum operi ipsi præfixa est, tum etiam Tom. IV Jen. Germ. Lutheri, fol. 542. seqq. habetur. sed in qua errorem commissum esse oportet. Cum enim scripta esse perhibeatur præfatio hæc anno clɔ lɔ xxIIx (qui annus sub finem integris literis exprimitur, ut sphalma typographicum subesse nequeat) mentio nihilominus in ea Emseri fit ut adhuc superstitis. Quem tamẽ in vivis non amplius fuisse tunc (quidquid etiam Possevinus scribat, floruisse eum dicens anno adhuc clɔ lɔ xxx) indicium facit ejus epitaphium, quod in iterata translationis hujus editione sub initiũ legitur: *Hieronymo Emsero, in tota artium Cyclopædia præclarissimo Presbitero, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ fideique Catholicæ (grassante Lutheri pestilentissima hæresi) fideli, infracto, Hectoreoq; propugnatori, Hieronymus Vualterus, totus gemebundus, monumentum hoc consecravit. Porro extremam diem anno ætatis suæ Quinquagesimo in Christo Jesu clausit, Carolo quinto imperante, Pontifice Clemente septimo, Romæ capto, denique longe omnium Christianissimo Duce Georgio Saxoniam, Misnam, Thuringiam (quantum ad suum imperium attinet) Christianissime gubernante, Octavo Novembris, Anno a Christo nato M. D. XXVII.*

Emseri N. T. German.

Appar. S. p. 744.

Quã pulchre

XIIX. Hoc ipso XXVII anno Dresdæ primum in folio

folio prodiit N. T. Germanicum Emserianum. Ejusque editionis raptim distractis exemplaribus, nova mox adornari cœpit, in forma, ut vocant, octava; verum, nescio a quo, vel quibus, mutata passim & interpolata. Cujus instituti rationem reddens epilogus, Christlicher leßer/inquit, nu hastu das werck/das der Emser selig/in der tzeyt/als er von arbeyt/alter und schwacheyt/an krefften seynes leybes merklich abgenomen/alſo das er auch (dartzu vngetzweiffelt die vberlaestigk sorge und mühe gefordert) nicht lange darnach sein leben seliglich geendet/mit getrewem fleyß tzusamen gebracht/welches mann nhu widderumb vernewt/corrigirt/gereyniget/und mit etzlychen nützlich und nöttigen zuthuungen gemehrt hat. Das wolleſt alſo in Christlicher liebe/und guthwillygkeit (jn der es dir auch gereycht wirth) vorsehen und annehmmen/Es auch dafür nicht halten/ob mann tzu tzeytten ein wörtlin darinnen geandert (wo es anderst nicht an den örthen/da es von den drückern vorsehen) das es darumb geschehen wehr/das man dye meynung dardurch tzu anderem verstandt hab tziehen und veranderen/Sonder umb der Jungfrauwen und unschüldigen hertzen willen/die frechen und ergerlichen wörter (der sich Luther jnn seynem Testament viel gebraucht/und der Emser tzu tzeittenn/villeycht aus überhauffüg der arbeit oder beleſtigüg seyner schwachheit/vorsehen/und alſo stehen laſſen hat) jnn tzüchtigere wörter verandert/und tzu tzeiten umbschrieben/und auch darumb nicht/das man eynigen irthumb/den Emser seliger solte tzu gelaſſen/darmit het wöllen anzeigen. Scilicet pudori muliebri mirum in modum accommodata, castitatemque Virginalem æque ac linguæ Germanicinæ puritatem sapiens est illa jam supra cap. x, 49. notata

Lutheri versionem correxerit Emseriana translatio.

tata emendatio, cum Matth. 1, 23. pro Lutheri illo: Siehe/eine Jungfrau wird schwanger seyn; Emseriana hæc versio substituit: Sihe / ein Junckfrauw wird im Leyb haben/und geberen ein Son. Sane lippis & tonsoribus notum, eos Germanice dici es im Leibe haben / qui cholica passione, dysenteria, similive ventris morbo, aut imbecillitate intestinorum laborant.

Emseri plagium.

XIX. Sed placet subjicere ipsius Lutheri de nova Emseri traductione judicium ex Tomo v Jen. Germ. fol. 140. Wir haben ja gesehen / scribit ille, den Sudler zu Dresen/ der mein New Testament gemeistert hat. (Ich wil seinen Nahmen in meinen Büchern nicht mehr nennen. So hat er nun auch seinen Richter / und ist sonst wol bekandt) Der bekennet / daß mein Deutsch süsse und gut sey/und sahe wol/daß ers nicht besser machen kund / und wolt es doch zu schanden machen/ fuhr zu/ und nam für sich mein New Testament/fast von wort zu wort / wie ichs gemacht habe/und thete meine Vorrede/Glose/und Nam davon/ schreib seinen Namen/Vorrede/ und Glose/dazu verkaufft also mein New Testament unter seinem namen. Wanne/lieben Kinder/wie geschah mir da so wehe/da sein Landsfürst mit einer grewlichen vorrede verdamt und verbot des Luthers New Testament zu lesen/ doch daneben gebot des Sudlers New Testament zu lesen / welches doch eben dasselbige ist/ das der Luther gemachet hat. Und das nicht jemand hie dencke/ ich liege/ so nim beide Testament für dich/des Luthers und des Sudlers/halt sie gegenander/ so wirstu sehen / wer in allen beyden der Dolmetscher sey. Dñ was er in wenig ortern geflickt und geendert hat (wiewol mirs nicht alles gefellet) so kan ichs doch wol leiden / und schadet mir sonderlich nichts/so viel es den Text betrifft.

Dar-

Darumb ich auch nie dawider wollē schreiben/sondern habe der grossen Weißheit müssē lachē/das man mein New Testament so grewlich gelestert/verdampt/ verbotn hat/ weil es unter meinem namen ist außgangen/aber doch müssen lesen/ weil es unter einē andern namen ist ausgangē. Wiewol/was das für eine Tugent sey/ einem andern sein Buch lestern und schenden/ darnach dasselbige stelen/ und unter eigenen namen dennoch auslassen gehen/ und also durch frembde verlesterte Erbeit eigen lob und namen suchen / das las ich seinen Richter finden. Mir ist in des gnug/ und bin fro / das meine erbeit (wie S. Paulus auch rhümet) mus auch durch meine Feinde gefördert/ und des Luthers buch on Luthers namen unter seiner Feinde namen gelesen werden. Wie künd ich mich bas rechen? At satis de N. T. Germanico Emseri.

xx. Post hunc aliam Scripturæ interpretationem Germanicam concinnavit ex eadem schola, itidem ad Vulgatæ Latinæ normam, Johannes Eckius, Theologus Ingolstadiensis, famosus & ipse Lutheri ac Protestantium adversarius, quique de se gloriatus est, scripta anno clɔ lɔ xxix ad Conradum a Thungen, Herbipolensem Episcopum, epistola: *Ego omnium minimus cum his bestiis dentatis jam sæpe & eminus & cominus pugnavi. Cominus quidem Lipsiæ cum ipso Draconis capite Luthero, & Carolstadio, viginti diebus disputando, spectando nonnunquam D. Georgio Saxoniæ Duce, & in Baden cum Capharnaita Oecolampadio & assectis, assidentibus duodecim Cantonum Helvetiorum & quatuor Episcoporum Legatis, pluribus diebus confluxi: eminus vero, editis aliquot in Germania & Italia libellis cum hæreticis manum conserui.* Et quidem, si Sixto Senensi cre-

Eckii translatio Germ.

Posseu. Appar. p. 871.

dimus, Bibliothecæ S. libro IV, auctor hic *transtulit utrumque Testamentum in Germanicam linguam anno Domini 1540.* Sed Gretserus, Tract. de novis translationibus Biblicis cap. I, solum Vetus Testamentum ab eodem fuisse traductum ait; quemadmodum & Simonius Histor. Critic. V. T. libr. III Append. pag. 142.

Biblia Germ. Dietenbergii.

XXI. Johannes vero Dietenbergerus, sive (ut in subscriptione epistolæ nuncupatoriæ se vocat) Dietenbergius, integrum Scripturæ corpus e Latino Germanice reddidit, vir Hebrææ linguæ adeo rudis, ut ne legere quidem illam valuerit; ceu ipsemet in dicta illa ad Albertum Electorë Moguntinum epistola dedicatoria indicat. Qui tanti nihilominus suam hanc translationem facit, ut RESTITUTIONEM Bibliorum vocare eam non dubitet in epilogo: ubi videlicet gratias Deo agit, daß er das trefliche werck der widderersetzung der heiligen Bibel durch seine hülffe und beystand zum ende seliglichen bracht habe. Idem sua Biblia sic introducit lectorem alloquentia, proxime ante dictum epilogum:

Kompt her ihr Teutschen all gemeyn/
Kompt her ihr Christen groß und klein /
Kompt her ohn Forcht / lest mich allein.
Bey mir habt ihr GOtts Wort gantz rein /
Das euch viel Zeit ist abgestohln
Durch falsche Bibel unverhohln.
Hie findt ihr/ wie ihr seydt verführt.
Gantz / trew/ rein / wahr/werd ich gespürt.

Novi Testamenti interpretatio Dietenbergiana ab Emseriana vix quidquam differt: sic ut ne quidem pro pudica hujus γύνη Teutonica, cujus paulo ante num. XIIX fiebat mentio, honestiorem & commodiorem illa

illa substituerit, vel potius ex Lutherana restituerit.

XXII. Nostro hoc seculo, Electoris & Archepiscopi Colonienſis Ferdinandi auspiciis, Biblia Germanice vertit Caspar Ulenbergius, Professor & Pastor Colonienſis. Quem ceteris suarum partium Interpretibus præferendum censent Pontificii, quod ipso pressius nemo & religiosius Latinæ vulgatæ in transferendo inhæserit. *Ulenbergius*

XXIII. Tametsi autem hoc nomine illum commendant etiam Theologi Moguntini, quorum opera anno clɔ lɔc LXII, auctoritate Archiepiscopi & Electoris Moguntini Johannis Philippi, nova Bibliorum prodiit interpretatio Germanica; id tamen in eo desiderant, quod idiotismi superioris Germaniæ (Westphalus nimirum erat) non satis gnarus fuerit: eoque ipso se permotos ajunt, ut commodiorem magisque Teutonicam Scripturæ traductionem molirentur, licet Ulenbergianam, quoad fieri potuerit, in opere illo suo retinuerint. Pollicentur proinde interpretationem, quæ nativo minimeque coacto idiomate Germanico vulgatæ Latinæ textum fideliter exprimat, Weil/ inquientes, ein zeitlang her sehr viel/auch hohen Stands und Verstands personen/ein eiferiges verlangen getragen nach einer solchen Teutschen Bibel/ in welcher die Hochteutsche natürliche und ungezwungene Sprach mit der Lateinischen Vulgata treulich vermählet were/so ist man hierdurch veranlaßt worden/ sich dieses gegenwertigen neuen wercks zu underfangen/uud also ein auffrichtige/unverfälschte/ jetziger zeiten Teutscher sprach gemässe Catholische Bibel/ die ehr Gottes und der Seelen Heyl zu befürdern/an das Licht zu geben. Quibus vero promissis stetisse ipsos, tunc *Moguntinorum,*

de-

demum agnoscemus, si, de quo gloriantur, Latini Germanicique textus Biblici connubium, in eo situm fuerit, quod Hebræo-Latino-Germanico stylo in scribendo quis utitur.

Tigurinorũ. XXIV. Reformati quamvis Germanica Lutheri Biblia cum aliis præfationibus, summariis, marginalibus, & notis, non semel ediderint, ut superiori seculo Neustadienses ac Herbornenses, nostroque hoc Paulus Tossanus; peculiarem tamen Helvetica dialecto versionem adornarunt Tigurini: quæ inde ab anno clo lo xxv multoties variis formis prodiit, ut diligentissime Hottingerus in Bibliothecario suo annotavit, Bibliothecæ Theolog. lib. I, cap. III, pag. 153. seq.

Piscatorũ. XXV. Hæc autem Tigurina traductio cum non nisi in paucis a Lutherana versione discederet, ex eadem Reformatorum schola Johannes Piscator, Theologus Herbornensis, circa seculi hujus initium aliam dedit Germanicam translationem, qua Latina Tremellio-Juniana interpretatio sic fere per omnia exprimitur, ut stylus ipsius Germanicis auribus ingratior accidat. Videri possunt de his & aliis, quæ in editione illa desiderantur, Paulus Rôderus, & Petrus Piscator, Theologus Jenensis, in scriptis peculiariter de hoc argumento editis, Menzerus Tom. III Giess. disp. XV, 6. 7. Himmelius Harmon. Calvino-Papist. parte I, pag. 18. Et tantum etiam de Bibliis Germanicis Reformatorum. Ubi tamen adhuc notari potest, quod præterea ex illorum cœtu Novum Testamentum in Germanicam linguam traduxerit Amandus Polanus a Polansdorff.

XXVI.

N. T. Germ. Crellii & Stegmanni.

XXVI. Porro & a Socinianis Germanice editum est Novum Testamentum Racoviæ anno cIↃ IↃ c xxx. Cujus translationis auctores, Iohannes Crellius, Francus, Rector primum Gymnasiii Racovienſis, ac postea ibidem Pastor, & Ioachimus Stegmannus, Marchicus, itidem initio Racoviæ Rector, deinde Pastor Claudiopolitanus; uti patet ex Bibliotheca Anti-Trinitariorum Sandiana pag. 116. 133. e cujus etiam pag. 94. constat, præfationem huic versioni præmissam Georgii Enjedini esse, Socinianorum cœtuum in Transylvania Superintendentis, Gymnasiique Claudiopolitani Moderatoris. Qui novæ istius interpretationis scopum primarium fuisse ibi indicat, ut textus haberetur Germanicus originalem Græcum accurate & ita exprimens, ne præconceptis quorundam opinionibus pravis sit accommodatus. Ipsa ejus verba dabimus. Gleichwie/inquit, die jenigē/welche anderer fürnemen mäner dolmetschung schon vor sich gehabt/ gesehen haben/das man zum Griechischen text des Neuen Testaments/als zu dem original und brunnquell/aus welchem alle dolmetschungen herfliessen/ und welche auchnur so fern an zu nemen seyn/so fern sie mit demselben übereinstimmen/noch genawer kommen könne/als von andern zuvor geschehen: also ist sich nicht zuverwundern/ das auch nach dieser letztern arbeit noch andere leute sich finden/welche mercken/ das man noch näher zu der Grundsprache des Newen Testaments kommen könne/ und das noch mehr könne und solle gebessert werden: sintemal/anderer dinge zu geschweigen/ auch diese letztern Dolmetscher von dem Griechischen texte an nicht wenig örtern abgewichen/und die worte des Geistes Gottes auff einen frembden verstand gezogen/oder

zum wenigsten / da dieselben noch einen andern verstand / als sie vermeinet / gelietten / sie also vertiret, das dem Leser / welcher der Grundsprache unerfahren / dadurch ursach und gelegenheit abgeschnietten worden / von einem andern verstande ausser dem / welchen die Dolmetschung mit sich bringet / zu gedencken. Darüber aber darff sich niemand verwundern / das auch von sehr gelehrten männern noch etwas hierin geirret worden. Denn ihre / entweder von den vorfahren gleichsam auffgeerbete / oder sonsten vorgefassete meinungen / haben ihnen zuzeiten gleichsam einen nebel für die augen gemacht / das sie auch das jenige / welches sonst für sich deutlich und klar ist / nicht gesehen / und ihnē ursach gegeben / die worte des Geistes Gottes also zu vertiren, das sie mit ihren meinungē / welche sie der Göttlichē warheit gemäß geschätzet / nicht strietten / und dieselbe nicht umbstiessen / oder auch sich ansehen liessen / als wenn sie dieselbigen bekräfftigen. Nempe, v. c. Servatoris illud, Ioh. IIX, 58. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθ, ἐγώ εἰμι, non reddere debuissent Lutherus, & alii: Ehe denn Abraham ward / bin ich; sed cum Socinianis: Ehe denn Abraham wird / ich bin: ne videlicet iste locus doctrinæ de præexistentia CHRISTI ante matrem Mariam tam manifesto patrocinaretur, glossa omni, quam comminisci heic solent anti-Trinitarii, & depravatione, penitus excluſa.

Alia translatio Felbingeri.

XXVII. Quam vero accurata etiam visa suis auctoribus fuerit jamjam memorata interpretatio, acquiescere tamen in illa nequivit, ejusdem Socinianæ sectæ assecla Jeremias Felbingerus, Silesius, scholæ Cossinensis Rector, sed novam cudit N. T. conversionem; forte quod nondum satis accommoda suæ Theologiæ in omnibus ipsi videretur prior ista Crellio-

Steg-

Stegmanniana traductio. Et sane cum non ausi fuerint hi auctores illustrem locum Rom. IX, 5. ita pervertere, ut interjecto puncto divellerent, quæ in omnibus constanter codicibus conjunguntur, atque sic ab omnibus etiam Ecclesiæ Patribus citantur, reddentes scilicet illud comma: **Welcher sind die Väter/ und aus welchen ist Christus/ was das Fleisch belanget/ welcher ist über alle ein Gott gelobet in Ewigkeit/ Amen!** cum, inquam, hunc in modum Paulina verba Crellius & Stegmannus expresserint, Felbingerus contra in suo textu Germanico sic ea vertit, imo pervertit: **Welcher sind die Väter/ und aus welchen der Christos ist/ nach dem Fleische. Gott der über alle ist sei gesegnet in die Ewigkeiten. Amen.** Obiterque heic observetur, quam circumspecte egerit in sua editione auctor. Nempe variantes lectiones in fine singularum paginarum annotans, ad locum præsentem, **Etliche/** inquit, **setzen einen unterpunct nach dem wort Fleische.** Quasi non ipsemet in suo textu illud punctum expressisset, verum recepta ibi lectione fuisset usus. Equidem & Curcellæus, e cujus N. T. Græco suas & concordantias & varias lectiones Felbingerus deprompsit, habet heic: *Quidam addunt punctum post vocem σάρκα.* At ille textui ipsi punctum non immiscuit, sed comma, quod exemplaria sine exceptione omnia exhibent, post σάρκα retinuit, nullam quoque (sic firmiter sum persuasus) sive manu sive typo exscriptam editionem nominare potuit, quæ aliter legeret; sed quod punctum post vocem σάρκα a quibusdam addi ait, id de Socinianis Doctoribus (quibus in neganda Patris Filiique ὁμοουσία plane ὁμόψηφος est) acceptum vult, quos, cum

invictum hoc pro suprema CHRISTI Deitate testimonium eludere alia ratione non possint, ad illam in suo cerebro enatam interpunctionem confugere constat.

Prophetarū Versio Germ. Hetzeri.

XXIIX. Amplius huc refer Ludovici Hetzeri, vel Heitzeri, Bavari, opera Johannis Denken adjuti, Prophetarum majorum & minorum ex Hebræo factam translationem Germanicam. Quem auctorem Anti-Trinitariis annumerat, ac merito quidem, Bibliotheca Sandiana pag. 16. eumque fuisse ait e societate Anabaptistarum Moravorum. Quodipsum etiam tradit scriptor homini σύγχρονῳ Sebastianus Franck, Chronic. part. III, lib. III, fol. 415. sed ita, ut non in omnibus, nec constanter, Anabaptistis adhæsisse illum, variasque peculiares opiniones foviſſe, memoret. In doctrina etiam de Trinitate non satis sibi constitisse videtur. Quem enim adversus CHRISTI deitatem scripserat librum, morti vicinus improbavit, gaudere se dicens, quod typis non fuerit publicatus; uti refert, qui de obitu viri opusculum edidit, Thomas Plaurerus.

Hetzerus Scripturæ contemptor.

XXIX. Mirari autem subit, Prophetas non solum ex originali convertisse auctorem hunc, sed tanti quoque laborem istum feciſſe, ut, narrante, quem diximus, Plaurero, multum de eo sermonem jam decessurus habuerit, cunctisque illum lucubrationibus suis aliis præferre non dubitaverit. Tradit namque de ipso, loco ante citato, ita Franckius: Er ist hefftig wieder die Schrifftgelehrten gewesen / so zu unsern zeiten Gottes Gnade und Wort an den buchstaben der Schrifft binden. Ihren glauben hat er eyn Buchstabischen glauben genennt / und wenig gehalten von jrer Predigt. & paulo

lo post ex ejus præfatione in Prophetam Baruch hæc recitat: Wer die Schrifft lieſet/ daß er Gott daraus wolle lernen verſtehen oder erkennen / der betreugt ſich ſelber/ und andere mit jm. Dann er kan von nichts gelert oder erkant werden/ weder allein von Gott/ etc. Und iſt wahr/ wer Gott nit bey/ in/ und mit Gott ſuchet/ der wird allweg ſuchen/ und doch nicht finden. Wer das nit thut / der überkompt ja eyn wiſſen/ aber eyn unnütz/ das nichtes beſſert. Wie dann allen denen wiederfert/ die den Glauben von leſen oder hören ſagen überkummen/ etc. und des kein andere urſach/ ankunfft / und rechenſchafft wiſſen zu geben / dann/ ich hab es an dem und dieſem Capitel der Schrifft geleſen. Quæ ſi recte ſe habent, ut quid, obſecro, ſuam tantopere operam extulit, quam reddendis Germanice Prophetis impenderat? Nempe & hinc apparet, quam incedant titubanter homines fanatici, nec invenire poſſint ubi tuto pedem figant. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, ad propoſitum redeamus.

Judæorum translationes V. T. Germanicæ antiquæ.

xxx. Præter Chriſtianos Judæi quoque Hebraicas V. T. Scripturas in linguam traduxerunt Germanicam. Et olim quidem Pentateuchus ipſorum cura ſic prodiit. Quo de Matheſius, conc. de Luthero XIII, pag. 156. Es haben / inquit, die Jüden die fünff bücher Moſis / ſchlecht wie die wort im Hebräiſchen ſtehen/ geteutſcht/ und mit ihrer Current-Deutſch drucken laſſen. Similiter Prophetas eorundē opera, vel certe non ſine illa, Germanice fuiſſe editos, Lutherus teſtis eſt, epiſtola von Dolmetſchen / Tom. v Ien. G. fol. 143, b. Verba ejus: Ach/ es iſt Dolmetſchen ja nicht eines jeglichen Kunſt/ wie die tollen Heiligen meinen: es gehöret dazu ein recht fromm / treu / vleißig / furchtſam / Chriſtlich/ geleret / erfaren/

faren / geübet Hertz. Darumb halt ich / daß kein falscher Christ noch Rottengeist trewlich Dolmetschen könne: wie das wol scheinet in den Propheten zu Wormbs verdeutscht / darin doch warlich großer vleis geschehen / und meinem Deutschen fast nachgangen ist. Aber es sind Jüden dabey gewest / die Christo nicht große Hulde erzeigt haben: sonst were kunst und vleis gnug da. Sixtus porro Senensis, Bibliothecæ S. lib. IV scribit: *Michael Adam, Judæus conversus, Biblia vertit in linguam Germanicam, & in usum Judæorum characteribus Hebraicis expressit.*

Recentior Jos. Atia.

XXXI. Nostro tempore geminam, quantum mihi quidem constat, integri V. T. Germanicam versionem Iudæi publicarunt: utrãque scabro, inepto, barbaroque stylo; utramque ad Iudaicam perfidiam passim accommodatam. Prior, auctorem agnoscens יוסף עשיאש, Amsterdami in fol. anno clɔ lɔc LXX prodiit, munita diplomate Ordinum Hollandiæ; quorum insignia etiam majori ductu præfixa operi imago præfert. Ejus aliquot & verborum & rerum specimina si desideras, Gen. 1, 20. habet: Die Wasser sollen würmen würmmich lebendiche sehlen. cap. 11, 4. Dieß seinen die geburt von dem Himmel und der Erden. cap. VI, 3. Mein gemüht soll nit (mit mir) kriegen zu ewigkeit von wegen dem Menschen. cap. XLIX, 10. Die Gewalt soll nit werden abgenommen von (יהודה) und ein Schreiber von zwischen seinen Füßen / ewig / wen (משיח) wird kommen / und zu ihm werden sich die Völcker einsamlen. Ps. 11, 7. Du bist mein Sün / ich habe dich (zu einem מלך gemachet / das is gleich es wan ich dich) heute gewonnen. Is. VII, 14. Nun die jungk Frau (dein Weib) wird tragen werden / und sie wird einen Sün gewinnen / und sie wird seinen

namen ruffen Immanuel. cap. LIII, 4. seqq. Fürwahr (ישראל) hat unser Kranckheit getragen / und unser Wehtag hat Er gelitten. Und mir haben ihn nit geacht. Er war geplagt und geschlagen von GOtt / und gepeiniget (dieweil er ihn feind hat) Aber er (ישראל) war verwundt von wegen unser mißethat / (er war) verstoßen von wegen unser sünde. Die straf war auf ihm (auff ישראל) des wertten / daß wir solten friedn haben / und ümb viele seine beulen seinen mir geheilet geworden. (Den) mir sein alzumahlt es wie ein Schaf (sonder Hirten) verirret gewesen / ein jeglicher man hat sich gekehret zu seinen weg / und GOtt is von senetwegen / (von ישראל) worden bewilliget auf alle unsere sünde!

XXXII. Altera Bibliorum conversio Iudaica אור וייבש, seu, ut in præfatione scribitur, פייבש itidē Amsterdami in fol. literis Hebraicis (Juden-Teutsch vulgo appellant) edita est anno clɔ lɔc LXXIX, cum diplomate Iohannis III, Poloniæ Regis. Cujus auctor licet styli elegantiam in præfatione jactet, ejusdem tamen commatis ipsius interpretatio est cum priori, sive res spectes ipsas, sive idioma. Sane Teutonicis auribus perquam ingratæ voces sunt, Obend / Margen / pro Abend / Morgen / Gen. I, & alias passim heic obviæ; item, Adam bekant / pro erkandt / Gen. IV, 1. Meischter pro Meister / ibid. comm. 22. nec pro Germanis haberi possunt ista, v. g. Is. LIII, 9. Er hat sich begeben durch die Bösewicht seines grab / und durch die Reichen in vielerley tod / ümb willen daß er keine Falschigkeit gethan hat. & cap. LXIII, 15. Wo ist dein Neidung / und dein Stärcket / das gebrum deiner Geddrm? ut alia mittam hujus generis infinita. Neque contentus, prava *Vri Veitsch.*

&

& insulsa verborum traductione textum Biblicum corrupisse, operosas præterea adversus Christianos disputationes in suo hoc opere auctor instituit. Ita cum locum illustrem Is. VII, 14. sic reddidisset: Nu jetzo diese junge Frau sie tragt / daß sie wird ein Sün gewinnen / daß sie (die Mutter) sein nahm Immanuel werd heissen; finito capite, nostram de testimonio hoc Prophetico sententiam magno molimine impugnat, exorsus Thrasonice: Dieweil etliche sich einbilden / daß sie eine grosse Schantz und Bollwerck kegen unser Jüdischen Glauben gebauet haben aus dem פסוק 4.15. dieses Capittels / zu schiessen gegen unser meinung mit großen Baußenwercken / und grosse umbstendigkeit der überlegung; die übersiegung aber is alles fruchtlos: nit daß allein alles es vorhält / wird werden mit beweiß / auch ihre Vestung und Schantzbollwercken thun auffliegen / gleich eine Vestung die auffflieget durch 100000. tonnen Pulver. Nun will vorstellen ihre Vestung und Bollwercken / daß ein jedlicher mit augen seines Verstandes kan das werck ihrer Vestung verstehen. Quibus præmissis, Christianorum, imo τȣ̃ θεοπνεύστȣ Evangelistæ Matthæi, expositionem tanta impudentia aggreditur, ne ipsi quidem sanctissimo Redemptori nostro parcens, blasphemus impostor, ut graviter dolendum, talia non solum impune proponi, ubi Christiani rerum potiuntur, sed ipsorummet etiam Christianorum sumptibus in lucem mitti. Nam Biblia, de quibus agimus, Guilielmi Blaeu, Ex-Scabini Amstelodamensis, & Laurentii Baakii, J. U. L. impensis edita sunt.

Biblia Saxonica antiqua Lubec.

XXXIII. Tandem Saxoniæ etiam inferioris idiotismo sacra Biblia non semel prodierunt. Estque præ

ce-

ceteris celebrata quæ cum Lyrani aliorumque glossis anno clɔ cccc xciv Lubecæ sub hoc titulo vulgata translatio: **De Biblie mit vlitigher achtinge recht na deme Latine in Dudesch averghesettet/mit vorlúchthinge unde Glose des Hochghelerden Postillatoers Nicolai de Lyra/ unde anderer velen hilligher Doctoren.** E quibus glossis celebris præ cæteris illa, qua verba Gen. III, 16. **Under der macht des Mannes werstu wesende/ uñ he schall aver dy herschoppen**; hoc modo exponuntur: **dy vakene to pyneghende un to slaende.** Quæ interpretatio licet tamquam inepta, ridicula, planeq; absurda, doctorum pariter & indoctorum ore traduci vulgo soleat, ut per quam tyrannis marito in uxorem concedatur; forte tamen auctor nihil aliud sua illa glossa innuere voluit, quam quod in peccati pœnam mulieri heic denunciata viri dominatio, non quamcunque ejus auctoritatem & potestatem denotet (*neque enim & ante peccatum aliter factam fuisse decet credere mulierem, nisi ut vir ei dominaretur*: siquidem *est* ORDO NATURALIS *in hominibus, ut serviant feminæ viris*; dicente Augustino de Genesi ad lit. lib. XI, cap. XXXVII, & Quæstion. super Genesin quæst. CLIII. quo etiam Paulina spectat ab ipsa mulieris formatione petita disputatio 1 Cor. XI, 8. 9.) sed duram, onerosam, & molestam. Nempe cum ante lapsum nequaquam gravis uxori esset mariti auctoritas, quod & hic semper moderate tunc se gereret, & illa placide ac libens suo fungeretur officio, turbata post perditam Dei imaginem εὐταξία ista & harmonia, mulier ob innatam animi vanitatem ac superbiam inique sæpius fert mariti imperium, minusque se obsequiosam præstat, imo aperte interdum refractariam;

Glossa Biblia rum Saxon. Lubec. ridicula vulgo credita.

uti maritus non raro nimia asperitate & iracundia potestatem suam reddit invisam: atque hinc rixæ nasci solent & contentiones, quæ in plagas & verba frequenter desinunt. Quibus etiamsi Deus minime delectetur, prædixit interim, talem fore inposterum vitæ matrimonialis conditionem, voluitque gravius etiam maritale jugum, quippe quod ipsa prævaricando cervici suæ imposuit, æquo animo a muliebri sexu ferri. Sed hæc ὡς ἐν παροδῷ.

Colon. XXXIV. PræterLubecensem hanc extat & aliaLatinæ vulgatæ translatio Saxonica, unde supra cap. XIV, 22. 33. quædam produximus. Quam Coloniæ editam esse præfatio indicat. Tempus autem impressionis ibi non designatur, nec aliunde etiam, quod titulo carent quæ nobis quidem innotuerunt tria editionis hujus exemplaria, certo haberi potest. Exhibet vero isipse etiam codex textum Biblicum hinc inde glossatum, & ita quidem, ut glossæ, ex Nicolao de Lyra petitæ, non, ut fieri solet, seorsum Scripturæ verbis vel in margine vel circa finem adjectæ, sed continua serie illis permixtæ sint, uncisque dumtaxat & asteriscis ab iisdem distinctæ. Auctor nomen suum reticet. Quisquis autem ille, virum sane probum & pium fuisse, tum ex aliis indiciis, tum inde licet colligere, quod ad sedulã Scripturarum lectionem doctos pariter & indoctos, clericos & laicos, tam serio fideliterque hortatur: multum scilicet diversus ab Hieronymo Emsero; qui cum & ipse N. T. Germanice convertisset, de quo supra num. XVII, seqq. in epiloge suæ illius interpretationis a studio Scripturæ, quam solis eruditis demandatam ait, laicos diserte avocat. So bekömmere sich nu/ inquiens,

ens, ein itzlicher Ley (der meinem radt volgen will) mehr ümb eyn gut Gottselig leben / dann umb die Schrifft/(die alleyn den Gelarten befolhen ist) sacrique sui laboris rationem & scopum ita proponit: Een Lyefhebber aller Mynschen salycheit / de nicht anghesien en hevet off der Mynschen tüttelyck gut / effte erdeschen loen / ever allene beweghet is dorch Cristelycke lyeffde ende guedertierenheyt/unde van sunnyghen ynnyghen ghueden herten daerto beweget unde geheden: deße hevet de oversettinghe der Bibelen uth deme Latine to Duytschen / de welcke vor mannyghen jaren geschiet unde ghemaket is/unde in velen geschreven boken by vele devoten mynschen veck in Cloesteren unde in Conventen gheweset is/undelanghe voer deßen tiit uñ in overlant uñ in sümmygen steden beneden ghedrucket/unde ghevoert in mannyghen landen/unde verkofft is/ met sonder groeten vlit/kost / unde arbeit/myt hülpe unde raede veler hogheleerden doen verbeteren unde verclaren / unde vort mit sware kost gedrucket in der lavelycker stat Coelne. Ex quibus & hoc apparet, non tam novam versionem exhibere Colonienſia hæc Biblia, quam versionis cujusdam Germanicæ jam antea publicatæ textum recognitum & emendatum. Quam quidem vetustissimam fuisse oportet. Codicem enim, de quo nunc agimus, Colonienſem Lubecenſi antiquiorem esse, hinc conjicio, quod glossarum Lyrani, quibus lucem obscurioribus locis asserre conatus est, ita in præfatione meminit editor, ut facile appareat, primum fuisse ipsum, qui Germanice quidem hoc modo textum Biblicum illustrare sategerit: quod verum non esset, si jam ante Biblia extitissent Lubecenſia, ut quæ & has & aliorum glossas Saxonice exhibent. Ac video

sane a viris doctis Bibliorum Saxonicorum mentionem fieri, quæ seculo XIV e Latino conversa sint.

Alia ex Lutheri Versione expressa.

XXXV. Porro Germanica etiam Lutheri versio idiomate Saxonico expressa est, sic ut initio quidem solum N. T. post integrum corpus Biblicum hac ratione prodierit. In qua traductione cum non parum desideraret David Wolderus, Petrinæ Ecclesiæ apud Hamburgenses Antistes, recognitam illam passimque emendatam anno cIↃ IↃ XCVI publicavit. De quo suo consilio & labore sic auctor in præfatione scribit: De wyle ick dyße negenteyn Jahr (de ick dörch Gades gnade allhyr tho Hamborg/in mynem vaderlande/ mynen leven Landeslüden dat hyllige Godlike wort in erer unde myner Moderſprake / na mynem geringen vermögen / hebbe gepredget /) an unſer Saſſiſchen Bibel / nicht ane ſüchtende unde ſmerten/gemercket hebbe/wo deſülve an ſeer vehlen örden / thom dele mit D. Luthers Bibel nicht avereinſtemmet/ thom dele ock/ jegen der rechten Saſſiſchen ſprake ſyne natur unde art / thomalen nödtlick unde ſeltzam in aller vornähmſtigen Saſſen ohren klinget: Unde averſt/ na forchfoldiger beweginge unde averlegginge / befunden / wor ſick ſülckein mangel meiſt hebbe her vorſaket: Ock geſehē/ wo deſülve köde affgeſchaffet/unde de Bibel wedderümme tho rechte gebracht werden: Efft ick wol van dem einen Jahre thom anderen hebbe gewünſchet unde gehapet / ydt müchte noch ſüſs yemandt manck den Saſſen ſülck ein nödich arbeidt up ſick nehmen: Jodoch/ dewyle ſick noch ſüſslange her des nemandt hefft recht underſtahn willen / unangeſehen / dat vehle daraver ſo wol alſe ich geklaget / Hebbe ick gedacht/dat ick nicht allene yegen myne beſtellinge nicht dede / ſünder vehle meer / wat mynes amptes is / vorrichtede /

ſo

so ick my umme de Sassische Bibel worde annehmen / unde my darhen bearbeydē / dat se van eren mangelen unde feylen müchte gesüvert / unde wedderümme tho rechte gebracht werden. — Wat ick nu daranne dörch Gades gnedige hülpe mit grotem arbeyde mach præsteret unde uthgerichtet hebben / dat wil ick mynen leven Sassen in einem sünderliken bokeschen byrby tho erkennende geven. In der körte averst darvan tho redende / so hebbe ick in alle mynem arbeyde / dat ick disser Bibel halven gehadt / darhenne gesehen / dat se Doctor Luthers Bibel nicht allene heten / sünder ock syn unde blyven mochte: unde / dat wy de rechte purreyne Sassische sprake / mit der Misnischen / edder Oldtfrenckischen unde Vkerwendischen sprake unvormenget / dgrinne müchten hebben unde lesen.

CAPUT XXVI.

DE

VERSIONE BELGICA.

I.

TRanslationes Bibliorum Belgicæ prodierunt diversæ. Et vulgaris quidem e Lutheri interpretatione ab auctoribus Reformatis expressa est: sed quam Philippus Marnixius & Sixtinus Amama perstrinxerunt. Præter eam habetur alia, quam Lutheri doctrinæ addicti Amstelodamenses adornarunt, rursumque alia Nicolai Bieskens, qua & Anabaptistæ utuntur. Novum insuper Testamentum Belgice extat Utenhofii & Fauckelii. Psalterium eodem reddidit idiomate Marnixius. *Versiones Belgicæ Variæ.*

II. His vero minime acquiescentes congregati anno cIↃ IↃC XIIX in Synodo Nationali Dordracena Re- *Translatio ex decreto Synodi Dordracenæ.*

formati Theologi, sessione VI & septem proxime sequentibus de nova eaq; accuratiori Translatione Bibliorum ex linguis originalibus in Belgicam instituenda deliberarunt, ac Interpretes pariter & Recognitores elegerunt, quorum cura ac labore opus illud adornari deberet, nominetenus expressos sessione XIII. Prodiitque illa, a viris linguarum peritia apprime valentibus collatis per multos annos operis elaborata, plurimisque hinc aliis jure præferenda versio, cum doctissimis Notationibus, anno tandem CIↃ IↃC XXXVII. De cujus origine, progressu,& successu, legi possunt, præter dicta jam Acta Synodalia, Sixt. Amama, libro **Biblische Conferentzien** inscripto, Leusdenius in Philologo Ebr. mixtō, vita item Walæi & Widmarii, quæque ipsi operi præfigitur Ordinum Belg. præfatio. ubi etiam de auctoritate translationis hujus sequentia habentur: *Soo is't, dat wy, na rijpe deliberatie, ende hierop gehadt hebbende 't advijs van den Rade van State deser Vereenighde Nederlandē, de meergemelte Oversettinge hebben geapprobeert ende geauthoriseert; gelijck wy deselve authoriseeren ende approbeeren mitsdesen: ten eynde, dat deselve in de Kercken ende publijcke Scholen der Vereenighde Nederlanden, ende andere Rijcken ende Lantschappen onder onse gehoorsaemheyt resorteerende, moge worden aengenomen ende gebruyckt, ende dat dienvolgens alle Kerckelicke Vergaderingen, Kerkendienaren, Professoren ende Doctoren in de Heylige Theologie, Regenten van Collegien, ende voorts allen ende een yegelicken, die dit eenighsins aengaen mach, in't exerceren van der selver dienſten ende bedieningen haer daerna mogen reguleren, omme alsoo de eenigheyt, welstant, ende dienst*

der

der gemelte Nederlandtſche Gereformeerde Kercken ende Scholen meer ende meer te vorderen.

CAPUT XXVII.

DE VERSIONE BRITANNICA ET ANGLO-SAXONICA.

I.

Scriptura jam Beda ætate Britannica lingua extitiſſe creditur.

SCripturam ſacram jam venerabilis Bedæ temporibus in linguis Britannicarum inſularum vernaculis extitiſſe, ejus teſtimonio probari ſolet, quod ſub initiũ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ habetur: ubi videlicet, de ſtatu Britanniæ agens qualis tunc erat, *Hæc*, ait, *in præſenti juxta numerum librorum quibus Lex divina ſcripta eſt, quinque gentium linguis unam eandemque ſummæ veritatis & veræ ſublimitatis ſcientiam ſcrutatur & confitetur; Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum; quæ meditatione Scripturarum ceteris omnibus eſt facta communis.* Vide quæ ad locum hunc monemus Tract. de lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. LXXXI. Imo quod Beda ipſemet Evangelium S. Johannis in Anglicum idioma transfuderit, teſtatur, in epiſtola de ipſius obitu, diſcipulus ejus Cuthbertus, apud Bedæ Biographum (de quo vide Hiſtoriam Bedæ Eccleſiaſticam edit. Whelochianæ) Guilielmus item Somerſet Malmesburienſis de geſtis rerum Angliæ lib. I, cap. III, & Joannes Treviſanus de Memorabilibus ſuorum temporum lib. V, cap. XXIV.

Beda ipſe Evangelium Johannis Anglice vertit.

Pſalterium Angl. Alfredi & aliorũ.

II. Idem quoque Treviſanus libro VI, cap. I, auſpiciis Alfredi (qui & Aluredus, ac Ælfredus) Anglo-Sa-

Saxonum Regis, Psalterium in linguam vernaculam traductum esse scribit. Quodipsum tradit etiam Polydorus Virgilius Anglic. Histor. lib. v; *Aluredus*, inquiens, *Psalmos David ex Latino in patrium sermonem vertit, quo a cunctis facile intelligerentur.* Imo plures habuisse Interpretes Saxonicos Psalmorum librum, vel ex variantibus quatuor codicum lectionibus, quas editi a Jo. Spelmanno Psalterii interlineati margo exhibet, constare potest. Quibus accedit & alius codex Ms. Junii Latino-Saxonicus, a ceteris omnibus in multis dissentiens, teste Thoma Marescballo, Anglo, Observationibus in versionem Evangeliorum Anglo-Saxonicam, sub initium, §. 2. ubi etiam Aldhelmum, sive Adelmum, Episcopum Shirburnensem, circa annum Ic ccv Psalmos Saxonice transtulisse memorat.

Pentateuchus, Ios. Iudic. Iudith. Macc. Anglo-Sax. ab Ælfrico Versi.

III. Porro Ælfricum Abbatem Pentateuchum, libb. Josuæ, Judicum, & alios, quin & Apocryphos Judithæ ac Maccabæorum, in suæ ætatis idioma Anglo-Saxonicum transfudisse, ex ejusdem de Veteri & Novo Testamento tractatibus Saxonicis obvium est. Ab Egberto item, Episcopo Lindisfarnensi, plures libros Biblicos Anglice conversos esse ante annum Ic cc xxi, Marescballus loco ante citato testatur. Imo Aluredum, acerrimi ingenii Principem, totum Novum & Vetus Testamentum in eulogiam Anglicæ gentis transmutavisse, ex historia Elienst præfatio in Asseri historiam de Ælfredi rebus gestis memorat. Quibus adde, quod sub nobilissima illa cœnobii Streneshalchani Abbatissa Hilda, quæ anno Ioc lxxx obiit, monachus quidam, Cædmon dictus, quem afflatu divino Poëtam factum credebant, quidquid ex divinis literis per Interpre-

Plures item libri Biblici Anglice translati ab Egberto.

Tota Scriptura Angl. Aluredi.

Cædmon Paraphrastes Scripturæ Angl.

prêtes disceret, lingua vernacula Anglica paulo post Poëtice expresserit. Nempe *canebat de creatione mundi, & origine humani generis, & tota Genesis historia; de egressu Israël ex Ægypto, & ingressu in terram repromissionis: de aliis plurimis sacræ Scripturæ historiis; de incarnatione Dominica, ac passione, & resurrectione, & ascensione in cœlum; de adventu Spiritus sancti, & Apostolorum doctrina — multa carmina faciebat*; ut de ipso Beda scribit Eccles. Histor. lib. IV, cap. XXIV.

IV. Extat præterea quatuor Evangeliorum interpretatio Anglo-Saxonica, anno clↄ lↄ LXXI Londini typis primo publicata, & quidem opera Matthæi Parkeri, Archiepiscopi Cantuariensis, atque Johannis Foxi, notissimi illius Martyrologi Anglicani (uti ex hujus epistola dedicatoria ad Reg. Elisabetham, illius autem præfatione in Historiam Asseri Shyreburnensis patet) postmodum vero ex codicibus Mss. collatis emendatius, additisque observationibus, opera Thomæ Mareschalli, Angli, una cum Gothica translatione, de qua infra cap. XXIX, 6. seqq. Dordrechti anno clↄ lↄc LXV in lucem emissa. Qui sub initium observationum §. 4. *De auctore hujus versionis*, ait, *itemque de codice, ad cujus fidem instituerunt editionem suam primi editores, nihil quicquam invenio. Porro desinet lector curiosus mirari, à me nihil hìc definiri de Translationis antiquitate, ubi resciverit, me ex styli variationibus adductum esse ut credam, illud opus non unius fuisse manu elaboratum; quin etiam vel unum S. Matthæi Evangelium duos videri habuisse Interpretes. Illi autem, quibus cœcutire contingit in designandis priscorum monumentorum auctoribus, vacillare quoque solent in deter-*

Evangelia Anglo-Saxonica.

minanda eorum præciſa antiquitate. Satis interim vetuſtam quod eſſe oporteat traductionem hanc, ex iis quæ mox editor ſubjicit, abunde liquet.

Biblia Anglic. ſeculi 14.

v. Ad recentiora tempora ut deſcendamus, qui jam ſupra aliquoties laudatus a nobis eſt, Johannem Treviſanum, ſub Richardo II Rege, id eſt, ſeculo XIV, vernaculam Bibliorum verſionem adornaſſe, teſtis eſt, præfatus in ſuum N. T. Gallicum, Michael de Marolles. Quodque circa idem tempus Johannes etiam Wicleff *tota Biblia tranſtulerit de Latino in Anglicum*, Johannes Huſſus memorat in Replica contra Jo. Stokes, & Thomas Waldenſis libro II, cap. VII.

part. 1. oper. f. 108.

Translationes variæ Angl. ſeculi ſuperioris.

VI. Superiori ſeculo diverſæ prodierunt, tum Pontificiorum, tum Reformatorum, Anglicanæ Scripturarum interpretationes: illæ quidem ex Latino Vulgatæ; iſtæ ex originali Hebræo Græcoque textu expreſſæ. Antiquiſſima eſt, at Pentateuchi dumtaxat & N. T. quæ ſub Rege Henrico IIX *E*piſcopi Coverdal. & Tyndali opera adornata. A qua non multum diſcrepat quam edidit Thomas Matthæus. Poſthac novam emiſerunt translationem Tunſtal & Heat Epiſcopi. Vide Joannis Durelli librum quo Anglicam liturgiam adverſus Presbyterianos defendit, & Rich. Simonii Hiſtor. Crit. V. T. lib. III Append. pag. 142. ſeq.

Verſio Angl. Genevenſis.

VII. Celebris porro eſt Genevenſis, ab Anglis Reformatis ſub perſecutione Mariana exulibus per M. Converdalem, W. Wittinohamum, & A. Gilbium, curata, (dicta *Genevenſis*, tum quod Genevæ agerent ejus auctores, tum quod ex interpretatione Gallica Genevenſi ſit expreſſa) quæque hanc excepit, Epiſcopalis, ut vocari ſolet, (the Biſchops Bibel) Reginæ Eliſabethæ

thæ auſpiciis a Roberto Parkero, Archiepiſcopo Cantuarienſi, aliorum doctorum virorum ope adjuto, publicata traductio.

IIX. Cum tamen neutra doctiſſimo magnæ Britanniæ Regi Jacobo per omnia ſatisfaceret, accuratiorem is converſionem per Londinenſes & utriusque Academiæ Anglicanæ Theologos anno clɔ lɔc xi fieri curavit; ea tamen lege, *ut ſimpliciter nova verſio non adornaretur, ſed vetus & ab Eccleſia diu recepta* (Epiſcopalis nempe) *ab omnibus nævis & vitiis purgaretur; idque hunc in finem, ne recederetur ab antiqua translatione, niſi originalis textus veritas vel emphaſis poſtularet.* Vide Acta Synodi Dordracenæ ſeſſ. vii. ubi etiam, quo conſilio quaque ratione verſionis hujus negotium a Rege Jacobo inſtitutum, qui modus in diſtribuendo opere obſervatus, quæque leges præterea aliæ Interpretibus præſcriptæ fuerint, a Theologis qui e Britannia Nationali illi Concilio interfuere, explicatum legi poteſt. Regiam hanc verſionem inter omnes Europeas translationes eminere ait Waltonus Appar. Bibl. prolegom. v, ſub finem; inque ea *plurima occurrere magnæ eruditionis, peritiæque in linguis originariis, acuminis & judicii plus quam vulgaris, ſpecimina*, Polus ſcribit præfatus in Synopſin Bibliorum Criticorum. Simonii de illa judicium & notata habes in hujus Hiſtoria Critica V. T. lib. ii, cap. xxiii. Utuntur hodie translatione iſta in cultu publico Angli Epiſcopales, præter Pſalterium, quod ex veteri ſub Eduardo vi condita verſione legunt. *Regia Iacobi.*

IX. Pontificii contra Anglici translatione utuntur Anglo-Rhemenſi, ſic dicta, quod ab Anglis, qui *Rhemenſis.*

Rhemos in Galliam transfugerant, publicata est. Cujus auctores, Gulielmus Alanus, Anglus, postea Cardinalis, Gregorius Martinus, & Richardus Bristous, teste Possevino in Apparatu sacro, tit. *Biblia*, pag. 225. ubi etiam versioni huic subscripsisse annotat Petrum Remigium, Archidiaconum majorem, Metropolitanæ Rhemensis Ecclesiæ Generalem Vicarium, Hubertum Morum, ejusdem Ecclesiæ Decanum & Ecclesiasten, Academiæ item Rhemensis Theologum & Cancellarium, atque Gulielmum Balbum, Theologiæ Professorem, Collegii Rhemensis Archimagistrum.

Worthingtoni. x. Thomas præterea Worthingtonus, Lancastrensis, e Societate Iesuitica, qui & ipse Rhemis Theologiam aliquamdiu docuit, Duacensis insuper Collegii Præses, Protonotarius Apostolicus, & Archipresbyteri Angliæ Assistens, Vetus Testamentum Anglice reddidit, adjectis Annotationibus. Videatur Philippi Alegambe Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu, pag. 439. & 483.

Biblia Wallica. xi. His tandem Biblia accedunt Wallica, seu Cambro-Britannica, Londini anno cIↃ IↃ LXXXIIX & cIↃ IↃC XX impressa (quas editiones in Bibliotheca Lambethana extare, Guil. Crovvæus, auctor Anglicus, in suo Elencho scriptorum in S. Scripturam pag. 23. testatur) item Hybernica translatio Testamenti Veteris Wilhelmi Bedvvel, Anglokilmoriæ in Hybernia Episcopi, & Novi, quam Wilhelmus Usserius, Dublicensis Eques auratus, per virum quendam doctum procuravit.

Hybernica.

CA-

CAPUT XXIIX.
DE
VERSIONE DANICA.

I.

DAnica lingua omnium primo editum est Lipsiæ (Libs in lante Mißen) anno clɔ lɔ xxiv, Novum Testamentum, auctore Iohane Michaëlis, Malmogiensi, ex vulgata Latina, incompto, quique barbarus Danis habetur. Idem cultius aliquot post annis prodiit Antverpiæ, jussu Christiani II, jam regno pulsi, auctore vero, ut quidem Thomas Bangius tradit Cœli Orientis pag. 207. Christierno Petri, Canonico Lundinensi, Regis exulis comite. Quam translationem alia excepit adhuc accuratior, Wittebergæ anno clɔ lɔ LIIX impressa.

N. T. Danicum Michaëlis.

Aliæ ejusdem versiones.

II. Porro ex V. T. libris Psalterium Davidicum idiomate Danico auctore jam antea laudato Christierno s. Christiano Petri Antverpiæ editum est anno clɔ lɔ xxIIX. quo ipso etiam tempore alia eorundem Psalmorum interpretatio Francisci Wormordi, Carmelitæ, Rostochii in monasterio Michaelitano est excusa.

Psalterium Danicum Petri.

Wormordi.

III. Tandem Pentateuchum quoque, seu quinque libros Mosis, in Danicum traduxit sermonem Iohannes Tausanus, primus in Dania doctrinæ a Luthero repurgatæ Præco. Quod opus impressum Magdæburgi anno clɔ lɔ xxxvII. Et hucusque de partibus Scripturæ.

Pentateuchus Dan. Tausani.

IV. Biblia universa Danice primus edi curavit, hortatu Iohannis Bugenhagii Pomerani, (ex cujus consilio res per regnum suum Ecclesiasticas secundum Lu-

Biblia Dan. Christ. 3.

theri doctrinam constituebat) Christianus III; idque ad ductum Germanicæ Lutheri translationis.

Frider. 2. V. Sequuta sunt quæ Biblia Friderici II vocantur, quippe illo imperante publicata, ex Lutheri versione & ipsa expressa quidem, sed, archaismis prioris editionis evitatis, stylo sui temporis adornata.

Resenii, VI. Porro sub hujus seculi initium alia denuo Biblia vulgavit Johann. Paul. Resenius, Selandiæ Episcopus: quæ ut proxime ad fontes accedunt, ita cultum & nitorem dictionis parum curant, atque Hebraismorum retinendorum studio valde reddita sunt obscura, sic ut sermo quo utuntur, maxime in libris dogmaticis, Danicis auribus fere peregrinus sit.

Christ. 4. VII. Huic proinde malo ut medela afferretur, anno cIↃ IↃC XXXIII, jussu Christiani IV, stylo Danico omnium purissimo, &, quantum translationis ratio permittit, elegantissimo, Biblia prodierunt, cetera pene eadem quæ Friderici II; nisi quod commatibus seu versiculis distincta sunt, & loca, ubi Friderici Biblia a fontibus digrediuntur longius, aliter heic reddita.

Svaningii, IIX. Cum autem nec illa editio Johanni Svaningio satisfaceret, Theologo Hafniensi, Daniæque tandem Archiepiscopo, aliud is opus Biblicum adornavit, quod ad textum attinet, Reseniano per omnia fere respondens, nonnullis dumtaxat locis aliquantum mutatis, nitoremque pariter & elegantiam sermonis Danici respuens, æque item, propter Hebraismorum studium, obscuritate laborans. In hoc autem discrimen est, quod Svaningiana editio loca in margine parallela, Notasque additas habet doctissimas, & quæ uno sæpe verbo magnas difficultates tollunt. Vitiis interim

textus

textus ipse passim laborat. Nunc enim aliquid desideratur ibi, ut Levit. XXVII comma 6. & 7. Ps. XIIX verba nonnulla comm. 2. Ps. LXXV aliqua ex comm. 5. Ps. CXIX comma 48. Prov. XXX nonnulla comm. 4. Eccles. IIX quædam comm. 2. Dan. VI nonnulla comm. 8. nunc e contrario aliquid redundat, ut Job. II, 3. Ps. CXIX, 47. nunc ordo verborum sine causa est inversus, ut Ps. CXI, 7. 8. Mittimus alia.

IX. Hi vero similesve nævi haud dubie sublati fuissent, si continuatus esset labor, quem jussu & auctoritate Friderici III, glor. mem. studio scrutinioque Biblico addictissimi Regis, condendis novæ Bibliorum translationi pariter & commentariis impendere jam cœperant Theologi Hafnienses. Verum ubi vix una plagula Veteris Testamenti, & itidem una Testamenti Novi, esset impressa, mors optimi Regis interveniens sanctum illud & laudabile propositum turbavit.

Frid. 3. de nova Bibl. editione consilium.

CAPUT XXIX.

DE VERSIONE SVECICA, FINNICA, LAPPICA, ISLANDICA, GOTHICA.

I.

DE Svecicæ Bibliorum translationis auctore variant scriptores. Nonnulli enim Laurentio illam, alii Olao Petri tribuunt. De quibus Lutheri in Academia Witteberg. discipulis David Chytræus, Saxoniæ libro XIII, *Ecclesias*, inquit, *regni Sveciæ, doctrinæ puritate, disciplinæ sanctitate, rituum suavitate, populi in ornando Ministerio frequentia & reverentia florentes, amplius triginta annis, usque ad Regis Erici tempora, duo hi*

Svecicam Bibliorum Versionem Olao Petri minus recte tribuit Chytræus.

hi fratres, Orebrœa in Nericia nati, conjunctis animis & consiliis, feliciter gubernarunt: moxque de Olao refert, (quem Holmiæ Episcopum vocat, cum Pastor ejus loci fuerit) quod *inter ceteros pietatis præclaræ labores, Biblia sacra primus in Svecicum sermonem transferri, & typis stanneis Holmiæ exprimi, ac in omnia regni templa distribui curarit.* Chytræi narrationem recentiores aliqui heic sequuntur; ut Jo. Lætus Histor. univ. cap. xxxi, sect. ii, art. ii, J. H. Hottingerus Bibliothecæ Theol. lib. i, cap. iii. quibus tamen contradicit Johannes Micrælius Syntagm. Histor. Eccles. lib. iii, sect. ii, 48. Laurentio Svecicam versionem adscribens.

Primus Svecicæ translationi manum admovit Laurentius Andreæ.

ii. At quomodo ista se habeant, nemo rectius nos docuerit quam Joannes Baazius, gente Svecus, scriptorque rerum patriæ Ecclesiasticarum accuratissimus. Is vero in suo Inventario Ecclesiæ Sveo-Gothorum, ut vocat, opere speciali S. R. M. Svec. jussu edito, libro ii, cap. iii, de facta per Gustavum Erici Ecclesiastica reformatione agens, *Biblia sacra*, scribit inter cetera, *in Svecicum idioma translata voluit Rex pius inter patriotas esse distribuenda. Translationem horum, exemplo & imitatione Lutheri, incepit Mag. Laurentius Andreæ, tunc Presbyter Stregnensis, facto initio a Novo Testamento.* Quem Laurentium, post Archidiaconum Upsaliensem, quanti æstimaverit Gustavus, hinc licet colligere, quod eodem loco scribit Baazius: *Voluit pius Rex, ut vir doctas & pius M. Laurentius Andreæ suus fieret Cancellarius.* Porro idem auctor, ejusdem libri capite xxiii, agens de Laurentio Petri Nericio, Archiepiscopo Upsaliensi, hujusque in munere administrando dexteritate & solertia, *Translationem Bibliorum*, ait, *in ma-*

Laurentii vero Petri cura absolutum est hoc negotium.

ter-

ternam linguam procuravit perficiendam, aliaque scripta utilia Svetico idiomate in usum simpliciorum Prædicatorum edidit. & postea: *Huic Archiepiscopo, fratri suo, contulit in hoc genere fidelem operam M. Olaus Petri, Pastor Holmensis.* Quæ facile persuadeant, Archiep. Laurentium, uti in aliis, sic quoque in sacris Bibliis traducendis συνεργὸν habuisse fratrem Olaum. quem doctrina non vulgari conspicuum fuisse, & editi ab ipso libri varii, & disputatio testis est, quam cum D. Petro Galle, Theologo Upsaliæ Pontificio, anno clo lo xxiv instituit. Vide Baazium lib. II, cap. IV.

III. Idem porro Baazius, quæ gloriosissimi Regis Gustavi Adolphi circa Svecicum Scripturæ Codicem fuerit cura, his verbis narrat libro VI, cap. XIII: *Celsissimum specimen pietatis declaravit electus Rex Sveciæ Gustavus Adolfus, procurando impressionem Bibliorum Sveticorum, ultra 70 annos in patria omissam. Quæ enim exemplaria tunc erant publicata, partim male asservata, tineis ac vetustate perierant, partim alicubi servata, aliis non sufficerent. Quare denuo recudenda esse Biblia Svetica ordinavit, dato quibusdam doctis Theologis stipendio, qui summaria capitum, & notas orthodoxas adderent. Voluerunt autem hiipsi retinere antiquam versionem Bibliorum, ex B. Lutheri versione Germanica plerumque desumptam, addito huic exemplari copiosissimo indice. In hujus operis publicatione quantas fecit Rex Gustavus Adolfus impensas sumtusque necessarios, res ipsa loquitur. Nam præter numeratum stipendium dictis Theologis, dedit etiam pecuniam non exiguam sculptoribus laminarum æarum, ad ornatum operis & historiarum Biblicarum artificiose dispositarum, delineationem* ter-

Gustavi Adolphi R. cura circa Biblia Svecica.

terræ promissæ inter Israelitas distributæ, item Tabernaculi, & Sanctuarii, cum figura vasorum sacrorum, à Mose & Salomone factorum: sicut & templi Salomonis egregiam formam juxta exemplar. Ben. Ar. Montani procuravit Rex imprimendam, datis toti huic operi sumptibus liberalibus, ad perfectionem illius necessariis. Huic labori ea benedictio divina adfuit, ut totum Vetus Testam. videret Rex publicatum ante suam coronationem, anno 1617. Postea prodiit ex eadem Typographia Holmiensi Novum Testamentum Bibliorum, summariis capitum & notis marginalibus, sicut prius, excusum. Exemplaria Bibliorum bene multa primo videbantur excusa, tamen intra paucos annos ita erant distracta, ne unum extaret venale. Quare Typographus Lubecensis, suis rebus prospiciens, hæc Biblia propriis sumtibus in 4to impressit. Deinde Typographus Lugdunensis Batavus quæsivit privilegium imprimendi Biblia Svetica in forma minori, omissis summariis & notis. Quo dato privilegio ab El. Regina Svec. post mortem luctuosam pientissimi Regis Gustavi Adolfi, ita usus est Typographus Lugdunensis, ut bis emitteret in forma minori nostra Biblia. Hodie in Svecia elegantissime recudi vernacula Biblia, ab amicis accepi.

Versio Finnica.

IV. In Finnicam seu Finnonicam linguam primus Novum Testamentum traduxit Michael Agricola, Theologus Aboënsis. Aliam vero postea totius Scripturæ versionem idiomate hoc adornavit Eschillus Petræus, Aboensis & ipse Theologus atque Episcopus, quæ Holmiæ Svecorum prodiit anno cIↃ IↃC XLII, quatuor Professorum Academiæ Aboensis præfatione munita. Exhibetque editio hæc præter textum summaria

ria etiam & gloſſas quorumvis capitum, Indicem item totius Scripturæ locupletiſſimum.

Lappica. v. Sed & Lappico extant idiomate Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes, Siracides, Evangelia ac Epiſtolæ Dominicales. Quæ omnia, una cum libro precum & hymnorum, nec non Paſſionis Dominicæ & Excidii Jeroſolymitani hiſtoria, ſub titulo Manualis Lapponici Holmiæ anno clɔ lɔc XLIIX Interpres Johannes J. Tornæus, Bothnienſis, publicavit.

Islandica Thorlacii. VI. Islandico præterea ſermone ſcriptores Biblicos loqui fecit Gudbrandus Thorlacius, Holenſis ſive Holumenſis in Islandia Boreali Epiſcopus: qui primus typographeum invehendum, plurimosque libros Theologicos vernaculo idiomate excudendos eo loco curavit; & hos inter ipſum etiam ſecundum Lutheri verſionem adornatum Codicem Biblicum, anno clɔ lɔ LXXXIV vulgatum. Sub cujus finem Interpres, in admonitione ad lectorem, veniam dari ſibi petit, ſi quid minus recte tranſtulerit, Deum teſtatus, ejusmodi quid ſi reperiatur, ex nullo ſuo conſilio, ſed mera ex ignorantia eſſe profectum.

Sculonii. VII. Præter primam iſtam editionem alia anno clɔ lɔc XLIV prodiit, cura Thorlaci Sculonii (qui & ipſe Holenſis fuiſſe videtur Epiſcopus, quod res tanti negotii per ſolos Epiſcopos in Islandia gerantur) a priori non in eo ſolum diverſa, quod verſibus diſtinguitur, quibus caret antiqua editio, ſed & qua interpretationem ipſam in aliquibus ab eadem diſcrepans. Videri poteſt de Islandicis his Bibliis (quæ olim in Bibliotheca Academica Hafnienſi evolvi, chartæ ſpecioſæ typis ſat elegantibus, quantum recordor, impreſſa)

Thomæ Bangii Cœlum Orientis pag. 150. Arngrimi Jonæ descriptio Islandiæ pag. 155. & Theodori Thorlacii dissertatio de Islandia sect. II, th. VI, I. qui duo posteriores, linguam Islandicam esse veterem Gothicam, dictis locis asseverant.

Gothica Ulphila.

IIX. Cujus Gothicæ linguæ dum fit mentio, non possumus intactam heic relinquere antiquissimam illam translationem Biblicam, quam idiomate isto adornavit Ulphilas, (etiam Ulphillas, Urphilas, Wulfilas, Galphilas, Gilfulas, aliis dictus) Gothorum seculo quarto Episcopus; uti testes sunt luculenti, Socrates Histor. Eccl. lib. IV, cap. XXXIII, & Sozomenus lib. VI, cap. XXXVII, præterque hos Nicephorus Histor. Eccl. lib. XI, cap. XLIIX, Isidorus Hispalensis in Chronico Gothorum, Philostorgius Historiæ Eccl. lib. II, cap. V. qui postremus ab Urphila (sic enim constanter illum vocat) Scripturam Gothicæ traductam ait, præter libros Regum, quos vertere noluerit, quod Gothos, studio præliandi flagrantes, freno potius ad cohibendum heic opus habere crederet, quam stimulo ad incitandum. Verba ejus: καὶ τάτε ἀλλ' αὐτῶν (τῶν Γότθων) ἐπεμελεῖτο (ὁ Ὀυρφίλας) καὶ γραμμάτων αὐτοῖς οἰκείων εὑρετὴς καταστὰς, μετέφρασεν εἰς τὴν φωνὴν τὰς γραφὰς ἁπάσας, πλήνγε δὴ τῶν βασιλείων, ἅτε τῶν μὲν πολέμων ἱστορίαν ἐχουσῶν, τοῦδε ἔθνους ὄντος φιλοπολέμου, καὶ δεομένου μᾶλλον χαλινοῦ τῆς ἐπὶ τὰς μάχας ὁρμῆς, ἀλλ' οὐ τοῦ πρὸς ταῦτα παραξύνοντος. *Ut in ceteris curam illorum* (Gothorum) *habuit* Urphilas, *ita propriarum quoque literarum inventor extitit, & in linguam eorum Scripturas vertit, exceptis libris Regum; eo quod hi bellorum historiam contineant, gens vero* illa

belli

belli amans esset, frenoque magis eorum ad pugnas impetus indigeret quam incentivo. Adde martyrii Nicetæ scriptorem, apud Sim. Metaphrasten d. xv Sept. Sixtumque Senensem Biblioth. S. lib. IV. qui e Græco Ulphilanam translationē promanasse memorant. idq; de Novo Testamento verum esse, vel hinc patet, quod Oratio Dominica Gothica, Matth. VI, 13. doxologia illa concluditur, quam non agnoscit editio vulgata Latina. Confer paulo post num. II. & supra cap. VII, 28. Tandem refer huc, quæ habet seculi noni scriptor, Walefridus Strabo, de rebus Eccles. cap. VIII; ubi de Gothis agens, *Studiosi illius gentis*, ait, *divinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerunt: quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur.*

Gothica Scriptura translatio hodieque extat.

IX. Imo ad ipsa nostra tempora isthæc monumenta pervenerunt, Gothi videlicet, *qui, relicta Scandinavia, in Germaniam primum effusi, postea loca circa Mæotidem paludem & ostia Istri occuparunt, & adhuc Ovidio exule Tomos & loca sinistra ripæ vicina obtinebant; ii temporibus Valentis Aug. Wulfila Episcopo autore, Christiani quidem facti sunt, sed Arriani: atque adeo etiamnum in iisdem regionibus degunt sub Præcopensi Tartarorum Dynasta, & utrumq; Testamentum, iisdem literis, quas excogitavit Wulfila, conscriptum, & eadem lingua, qua tempore Ovidii utebantur, interpretatum legunt. Sermo enim eorum hodiernus majori ex parte Teutonicus est; ut Josaphat Barbarus, civis Venetus, scripserit, puerum Teutonem, quem secum habebat, ab ipsis, & ipsos ab eo vicissim intellectos fuisse, ac verba inter se, haud aliter ac si eadem lingua fuisset, ultro citroque habuisse;* ait Josephus Scaliger, Canonum Isagog. libro III, pag. 347.

Codex Gothicus N. T. universi.

x. Testis porro est, apud Sibrandum Lubbertum lib. III de Principio Christianorum dogmatum cap. VII, Philippus Marnixius, Dominus Sanct-Aldegundius, Codicem Gothicum universi Novi Testamenti, aureis argenteisque characteribus in papyro exaratum, in bibliotheca Hermanni Comitis Nevvenarii extitisse. Cujusmodi Testamentum ad suas etiam manus perveniisse Matalius Metellus Sequanus memorat apud Suffridum Petrum præfat. in decades XVI de Scriptoribus & illustribus viris Frisiæ.

Codex Evangeliorum argenteus.

XI. Præ ceteris vero celebris est quatuor Evangeliorum Codex Gothicus, qui Argenteus recepto titulo appellatur. Illum *ante mille plus minus annos in pergameno aureis & argenteis literis perscriptum* esse, Arnoldus Mercator apud Ianum Gruterum Inscriptionum antiquarum pag. CXLVI testatur; estque eodem usus auctor anonymus commentarioli in literas Gothicas a Bonaventura Vulcanio publicatus, quem Iacobus Ussherius, epistola ad Fr. Iunium, (in hujus Gothicum Glossarium p. 14. relata) suspicatur esse Antonium Perrenotum, Card. Grandvellani Bibliothecarium, qui orationem Dominicam & alias quasdam particulas ex jamjam dicto Gothico codice descripsit, a Io. Goropio Becano Originum Antverp. libro VII, pag. 739. seqq. insertas. Cumq; ad Werdeni sive Werdinensis in regione Bergensi quatuor fere a Colonia milliaribus distantis monasterii bibliothecam olim argenteus hic codex pertineret, postea, auctore Illustrissimo Comite, Dn. Magno Gabr. de la Gardie, meo & omnium quibus bonarum literarum studia curæ sunt Patrono incomparabili, in Sueciam inde trans-

translatus, interque potissima Regiæ Bibliothecæ decora fuit repositus. Cujus etiam maximi Heroïs factum est auspiciis, ut opera Franciſci Iunii typis publice excusa sit Dordrechti anno cIↃ IↃ C LXV Gothica hæc Evangeliorum versio, una cum observationibus Thomæ Mareschalli, Angli, qui de eadem ibi, fere sub initium, §. 4. *Mihi certe*, inquit, *stupenda Argentei codicis vetustas argumentum est non contemnendum, hanc versionem non aliam esse, quam Episcopi Gothorum illam antiquissimam. ut nihil dicam de quibusdam remotioris antiquitatis in ipso opere vestigiis, quæ nunc sigillatim prosequi nec vacat nec expedit.* moxque ad supra jam laudatam Usserii epistolam provocat, ubi vir doctissimus, *Notandum*, ait, *Orationem Dominicam Gothicam doxologia illa concludi, quæ in vetere Latina Bibliorum editione desideratur. ut ex Græco fonte Gothicam istam Novi Testamenti versionem derivatam esse appareat, & ex ipsius Wulfilæ primæva traductione descriptam.* Rediit post in Sueciam, quingentis Imperialibus redemptus ab Illustr. de la Gardie, Codex Argenteus, donatusq; ab eodem est Academiæ Upsalienſi, ubi hodie etiamnum custoditur. Præter Iunianam alia Holmiæ Codicis Argentei, cura Dn. Sternhelmii, viri in Gothicis antiquitatibus versatissimi, editio prodiit.

CAPUT XXX.

DE

VERSIONE POLONICA, LITUANICA, LIVONICA, RUSSICA.

I.

IN linguam Polonicam sacrum Codicem prima transferre *Biblia Polonica Hedvigis Reg.*

fere curavit Regina Hedvvigis, Ludovici filia, uxor Iagellonis, Ducis Lithuaniæ, qui Christianismum amplexus præcipitante seculo XIV, Poloniæque potitus imperio, Vladislaus IV dictus est. Testis e MS. Iohannes Lasicius de gestis Franciæ libro I. qui sedulo vernaculam hanc Scripturam ab Hedvvige lectam fuisse ait, uti quoque ab altera post hujus obitum Iagellonis uxore Sophia. *Cujus exemplar*, inquit, *eleganter manu scriptum, vidi.*

Hieron. Leopolitani.

II. Posthac, seculo superiori, *Hieronymus Leopolitanus, ex provincia Ruthenia, ordi. Minorum regularis observantiæ, Ecclesiastes & Lector metropolitanæ Ecclesiæ in urbe Cracovia, Polonici regni regia, — omnes Bibliorum lib. in Polonicam linguam convertit. Claruit sub Carolo V. August. anno Domini 1536.* Verba sunt Sixti Senensis, Bibliothecæ S. libro IV.

Viecus.

III. Eodem seculo finiente aliam Bibliorum interpretationem edidit Jacobus Viecus, s. Wiecus, e Soc. Jesuitica. De qua hæc Possevinus in Apparatu S. pag. 225. *Biblia in linguam Polonicam sunt versa mandato Gregorii XIII. Pont. Max. atque in lucem edita concessu Clementis VIII. Pont. Max. & hæc quidem recognita à nostris ejusdem gentis valde peritis atque Theologis. Quæ versio perutilis & necessaria fuit ad extirpandos errores, qui ex falsa novorum Arianorum & aliorum hæreticorum versione passim serpebant: cum in eam Catholicam versionem diligentissime insudasset Iacobus Viecus, Vangrovicensis Polonus, Theologus Societatis nostræ.* Quæ repetit infra pag. 794. ubi de Vieco hoc agit, uti eadem fere habentur etiam in Bibliotheca scriptorum Soc. Iesu Ribadeneiro-Alegambiana pag. 215.

IV.

IV. Nempe prodierant jam anno clɔ lɔ LXIII Bi- *Radzevil.*
blia Radzeviliana, notante Chytræo Saxoniæ lib. XV, pag. 393. cujus verba de Nicolao Radzevil, Duce Olicensi ac Nieſvicensi, Palatino Vilnensi, loquentis: *Hic primus Vilnæ, negantibus ad congreſſus publicos templorum uſum Sacrificulis, in aula ſua, fano S. Iohannis oppoſita, conventus ſacros fieri permiſit; Biblia ex Ebraicis & Græcis fontibus in linguam Polonicam verſa, primus Sarmatis dedit, in Interpretes ac Typographos circiter decem millibus aureorum impenſis. Quod religioſum & pium illius ſtudium conjux etiam Eliſabetha Sidloviecia fideliter adjuvit.* Quæ repetit infra lib. XXI, pag. 558. habetque eadem fere Thuanus Hiſtoriæ ſuæ libro XXXIIX, ad ann. clɔ lɔ LXV. Ceterum qui fuerint Interpretes, quorum opera in translatione hac Radzevilus eſt uſus, neuter eorum exprimit.

V. Andreas vero Wiſſovvatius, auctor So- *Radzevil. interpretationis Bibl. auctores.*
cinianus, in Narratione compendioſa, quomodo in Polonia a Trinitariis Reformatis ſeparati ſint Unitarii, Reformatorum quorundam opera in oppido Pinczovv, cum & Sociniani nonnulli ibi agerent, concinnatam illam eſſe tradit. Verba ejus ſunt: *Qui à recepta de Trinitate opinione in Polonia diſſidebant, nominabantur tum Pinczovii, ab oppido Pinczovv: in quo ſub Nicolao Olesnicio, illuſtri Patrono ac Protectore, & Franciſcus Stancarus Mantuanus (mota de Chriſto ſecundum humanam tantum naturam Mediatore controverſia celebris) & Lismaninus, & Petrus Statorius Gallus, & Georgius Blandrata Italus Medicus, poſtquam Geneva ſeceſſit, & Joannes a Laſco Polonus, ex Anglia redux, cum aliis quibusdam morabantur. Ibidem à*

nonnullis Reformatis Bibliorum versio Polonica est concinnata, postea cura & sumptu Nicolai Radivilii, Ducis in Olika & Nesweż, Palatini Vilnensis, in urbe Lithuaniæ Brestia, cujus is Præfectum agebat, typis expressa. Imo Andreas Wengerscius, Slavoniæ Reformatæ lib. 1, cap. XVI, Petrum Statorium, Simonem Zacium, Gregorium Orsacium, Andream Tricesium, Jacobum Lubelium seu Lublinum, Socinianos, versioni illi operam impendisse scribit. Videatur etiam Bibliotheca Anti-Trinitariorum Sandiana pag. 47. 48.

Biblia Pol. Budnai.

VI. Porro Simon Budnæus, anti-Trinitarius, adornavit *Biblia Veteris & Novi Testamenti Polonica, ad fontes Hebræos & Græcos examinata, excusa typis Zaslawii in Lithunia, in typographia Matthiæ Kavieżinii, Præfecti Niesvisensis, ejusdemque ac fratris ipsius sumtu publicata a. 1572.* ut legitur in citata Anti-Trin. Bibliotheca pag. 55. inque peculiari de Typographiis Unitariorum in Polonia & Lithuania relatione. Speciatim vero Novum Testamentum Polonice verterunt ex eodem cœtu Martinus Czechovicius, & Valentinus Smalcius. quorum illud anno CIↃ IↃ LXXVII, istud anno CIↃ IↃC XX, Racoviæ excusum. Videatur iterum dicta Bibliotheca pag. 51. 104.

N. T. Polon. Czechovicii, & Smalcii.

Biblia Polon. Rabi.

VII. Reddidit tandem Polonice etiam Biblia Justus Rabus, Jesuita Cracovienſis; in cujus laudes πλησίον fertur Philippus Alegambe, Bibliothec. scriptorum Soc. Jesu pag. 293. Num vero superiori, an nostro hoc seculo opus illud primum prodierit, certo dicere non possumus. In utroque enim vixit auctor, ut qui, XLIII annis in Societate expletis, anno CIↃ IↃC XII obiit prope septuagenarius.

IIX. In Lithuanicam linguam sacrum Codicem traductum esse a Samuele Boguslao Chylinski, Lithuano, qui anno clɔ lɔc LXIIX in Anglia obierit, Gvil. Crovvæus, Anglus, Elencho scriptorum in S. Scripturam, pag. 22. refert; addens vero, nescire se, an versio hæc fuerit edita. Joh. Micrælius, Syntagm. Histor. Eccles. lib. III, sect. II, quæst. XLIIX, de Joh. Ungnadio agens, etiam Nicol. Radzevilum Biblia in Lithuanicam linguam transferri curasse scribit. Sed Lithuanicam translationem vocari ab eo heic existimamus Polonicã in Lithuania excusam, de qua supra numIV, v. *Lithuanica Biblica Chylinski.*

IX. Livoni vernaculo Scripturarum textu hucusque caruerunt: nisi quod Livonicæ translationis fragmentum quoddam Ps. CXVII editum esse, Hottingerus in Bibliothecario, Bibliothecæ Theolog. lib. I, cap. III, pag. 144. annotat. Hodie autem Rigæ omni studio enixeque id agit Regius Livoniæ Superintendens, Dn. Johannes Fischerus, vir Zelo domus Dei plenus, deque Ecclesia, præsertim illorum locorum, præclare meritus, amicus noster plurimum honorandus, ut vernacula ex ipsis fontibus fideliter traducta Biblia Livonis tradantur. Quibus sanctis laboribus largiter benedicat, & ad finem eos felicem perducat, benignissimum Numen! Nos interim merito Livonos verbis nunc compellamus, quibus olim Suniam & Fretelam S. Hieronymus, epist. CXXXV: *Vere in vobis Apostolicus & Propheticus sermo completus est: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem; & dormitantibus, imo contendentibus, Græcis, ipsa Germania Spiritus sancti* *Livonica Biblia.* *Ps. 19, 5. Rom. 10, 18.*

Act.10.34.35 *eloquia scrutaretur? In veritate cognovi, quoniam non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi. Dudum callosa tenendo capulum manus, & digiti tractandis sagittis aptiores, ad stylum calamumque molliescunt, & bellicosa pectora vertuntur in mansuetudinem Christianam.*

Biblia Russica, x. Habent ad hoc Russi seu Moscovitæ Biblia vernacula, quæ & superiori seculo & nostro non adeo pridem tempore prodierunt. Vide Olearii Itinerarium Moscovitico-Persicum lib. III, cap. XXI, Mareschalli Observationes in Evangelia Gothica §. I. Simonii Historiam Criticam lib. II, cap. XVI, ejusdemque Disquisitiones Criticas cap. XXI. ubi ait: *Moscovitæ, Iberi, seu Georgiani, populi quoque qui Colchidis regiones incolunt, suas etiam habent contextus sacri versiones: & non ita pridem Biblia sermone & characteribus Moscoviticis edita sunt. Has autem omnes ex Græco derivatas fuisse, dubitari nequit; cum gentes illæ fidem Christianam ritusq. Ecclesiarum suarum a Græcis hauserint.*

Georgiana Colab.

CAPUT XXXI.

DE VERSIONE BOHEMICA, HUNGARICA, SLAVONICA.

1.

Biblia Bohem. IN Bohemicam linguam Scriptura S. translata est anno clɔ lɔ LXXIIX, Interpretibus, Alberto Nicolai, Luca Helicæo, Iohanne Ænea, Georgio Vettero, Esaia Cœpolla, Johanne Ephraimo, Paulo Iessenio, Iohanne Capitone; sumptus liberaliter suppeditante Barone Iohanne Zerotinio. Vide Ioh. Lasicium de ge-

gestis Francorum lib. VII, & Guil. Crovvæum Elench. scriptorum in S. Scripturam pag. 21. 22. Imo jam suo tempore Novum Testamentum idiomate Bohemico extitisse, indicium facit Iohannes Hussus in Replica contra Ioh. Stokes, Tom. 1 operum fol. 108.

Hungar.

II. Hungaricam sacri Codicis versionem ex ipsis fontibus primum adornavit Caspar Carolus; quam recognovit postea Albertus Molnar, Szenziensis Hungarus. Ex vulgata vero Latina textum Biblicum Hungarice reddidit Iesuita Georgius Kaldus, Tyrnavienſis Hungarus. Prior versio recognita Hanoviæ prodiit anno clɔ lɔc IIX, posterior Viennæ anno clɔ lɔc XXVI.

Slavonica Scriptura Versio.

III. Tandem lingua etiam Slavonica totum corpus Biblicum extat, impressum charactere Latino Wittebergæ anno clɔ lɔ LXXXIV, Habeturque illa editio in Bibliotheca Anglorum Lambethana, hunc præferens titulum: *Biblia, tu ieuſe, Smetu-Piſmu, Stariga inu Noviga Teſtamenta, Slavanski, tolmaẑhena ſ'kuſi Iuria Dalmatina.* Latine: *Biblia, hoc eſt, Sacra Scriptura V. & N. T. Slavonice, translata per Georgium Dalmatinum.* Vide Guil. Crovvæi Elenchum scriptorum in S. Scripturam, Londini editum, pag. 23. In Heinsiana quoque Bibliotheca, quæ per auctionem publicam annis abhinc aliquot distrahebatur, Biblia fuisse Slavonica MS. in pergameno, ex catalogo ejus constat Lugd. Batav. anno clɔ lɔc LXXXII vulgato, pag. 1. Dicuntur etiam Slavi versionem habere Biblicam in lingua vernacula, a Cyrillo, qui circa seculi noni medium vixit, conditam. Et sane illo ipso seculo apud Moravos, si non totum corpus Biblicum, certe aliquam ejus partem, idiomate Slavonico extitisse, epi-

ſtola docet Iohannis IIX Pontif. ad Sfentum Moraviæ Principem, quam exhibet Baronius, ad ann. DCCCLXXX, 16.

CAPUT XXXII.

DE CELEBRIORIBUS OPERIBUS BIBLICIS.

I.

Origenianũ opus Biblicũ.

MIrata eſt olim antiquitas opus Biblicum Origenis, cujus & hodie etiamnum fama per orbem celeberrima. Nempe Origenes hic, quem propter ingentes, quos exantlavit, labores, *Adamantium*, & ob multiplicem doctrinam *ſecundum poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum* dixere veteres; cum in editionem Græcam, quæ tunc *Vulgata* audiebat & *Communis*, errata quædam irrepſiſſe advertiſſet, ex Alexandrina Bibliotheca, ubi genuinum exemplar aſſervabatur, verſionem τῶν LXX deſcripſit, eademque, adhibitis ſimul plurimis optimæ notæ codicibus, ab omni corruptela & mixtura, quantum fieri potuit, vindicatam, priſtinæ integritati reſtituit. Utque ex aliarum translationum collatione plus utilitatis ad Eccleſiam redundaret, cum iſthac ſincera & genuina LXX virali primo tres reliquas, Aquilæ puta, Symmachi, & Theodotionis, verſiones Græcas, ſingulis paginis ita per columnas diſpoſuit, ut uno intuitu lector omnes conſpicere poſſet & inter ſe conferre. Quæ volumina, quod quatuor translationes totidem columnis ſive areolis exhiberent, *Tetrapla* appellavit. Poſtea, ubi, ardore ſcrutandi accuratius Scripturas, linguam etiam ſanctam *contra ætatis gentisque ſuæ naturam* (ut Hieronymus ait)

Tetrapla.

lib. de Script. Eccl. c. 54.

ait) addidicisset, textum insuper Hæbræum, & quidem tum characteribus hujus linguæ genuinis, tum Græcis, adjecit: unde nata sunt *Heptapla*. Tandem, post repertas versiones Græcas Quintam Sextamque (ita enim dicebantur, quod de auctoribus non constaret) & ipsas cum reliquis disposuit, atque sic Ecclesiæ dedit *Octapla*. De hoc opere Biblico Hieronymus, in caput III Epistolæ ad Titum, ita scribit: *Nobis curæ fuit, omnes Veteris Legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digesserat, de Cæsariensi Bibliotheca descriptos ex ipsis authenticis emendare. In quibus & ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta, & Græcis literis tramite expressa vicino, Aquila etiam & Symmachus, LXX quoque & Theodotio, suum ordinem tenent. Nonnulli vero libri, & maxime hi qui apud Hebræos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent; quas Quintam, & Sextam, & Septimam translationem vocant, auctoritatem sine nominibus Interpretum consecutas. Hæc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit.* Vide etiam Eusebium lib. VI Historiæ Eccles. cap. XVII, Epiphanium hæresi LXIII, & libro de Ponderibus ac Mensuris cap. XIX, ipsum Origenem epistola ad Africanum, & tom. XV in Matthæum; atque ex recentioribus Huetium Origenianorum lib. III, cap. II, sect. IV, Simonium Histor. Crit. lib. II, cap. III, X, & Disquis. Crit. cap. XIIX.

Heptapla.

Octapla.

edit. Huet.

II. Ceterum etiamsi hunc τοῦ χαλκεντέρου laborem, qui tantæ olim fuit admirationi, nobis invidit temporum injuria (cui rei fortasse ansam auctor dedit ipsemet. Cum enim omnium non esset, magna hæc volumina comparare, aliam editionem adornavit, solum

Quid occasionem dederit interitui operis Origeniani.

lum τῶν LXX textum exhibentem, sed ita, ut, quæ in fonte Hebræo legebantur, in LXX virali autem versione deficiebant, ex Theodotionis editione suppleret, apposito asteriſco, ne additamentum cum ipsis τῶν LXX textu confunderetur; quæ vero in Græco habebantur, & non in Hebræo, obelo notaret. Quæ editio, ut facile parabilis, teste Hieronymo epist. XXCIX, omnes Ecclesiarum bibliothecas replevit, indeque haud dubie priori fraudi fuit) gloriari tamen potest hæc nostra ætas de Bibliorum editionibus, quæ, si linguarum versionumque varietatem spectes, palmam Origeniano operi multis modis præripiunt.

Opera Biblica nostræ ætatis palmã Origeniana præripiunt.

III. Scilicet ubi visum esset omnipotenti Numini, ut, pulsa superstitionum humanarumque traditionum caligine, pristinus nitor Ecclesiæ redderetur, pelli quoque oportebat barbariei tenebras, quibus aliquot seculis involutus fuerat Christianus orbis, & restitui literas ac linguas, per quarum ignorationem res etiam ipsæ ignorabantur. Quod proinde ut successu fieret meliori, in partem curarum venire volebat Deus ipsos illos, quibus hæc lux maxime inimica erat futura, Pontifices, inquam, Cardinales, & Episcopos Romanæ Ecclesiæ. Nam uti Nicolaus V, qui reformationem Ecclesiasticam proxime antecessit, teste Platina, *literatos præmiis, nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, nunc ad vertendos auctores in Latinum, ita pepulit, ut literæ Græcæ & Latinæ, quæ sexcentis jam annis in situ & tenebris jacuerant, tum demum splendorem aliquem adepti sint; misitque literatos per omnem Europam, quorum industria libri conquirerentur, qui majorum negligentia & barbarorum ra-*

pi-

pinis perierant: (cujus Nicolai Pontificis exemplum in eadem Italia postmodum secutus est Laurentius Medices, Princeps Florentinus, pater Leonis X) ita circa illudipsum tempus, quo Romanæ curiæ bellum indicere cœpit Lutherus, ejusdem Cardinalis, idemque Archiepiscopus Toletanus, Franciscus Ximenius, primus inter Christianos tentavit opus Biblicum πολύγλωττον, editis Compluti suis sumptibus, collatis autem studiis ejus Academiæ Theologorum (quibus tamen vetustissima exemplaria, Græci inprimis textus, ex Bibliotheca Vaticana ac aliunde magnis laboribus & impensis conquisita, ipse Ximenius, ut in operis præfatione testatur, suppeditavit) sex voluminibus, complectentibus textum Veteris Testamenti Hebræū & Vulgatam Latinam; versionem Græcam τῶν LXX cum translatione Latina; Paraphrasin Pentateuchi Chaldaicam Onkelos, itidem cum interpretatione Latina; Novum Testamentum Græco-Latinum; denique Apparatum, in quo Grammatica, Lexica, Indices. Vide Richardi Simonis Appendicem libri III Historiæ Criticæ, & Disquis. Critic. cap. XXVII.

Opus Complutense.

IV. Simile quid circa eadem tempora tentavit Augustinus, Genua ex Justinianorum familia ortus, Nebiensis in Corsica insula Episcopus, conatu etiam majori. Is nimirum, ut Bibliothecæ suæ libro IV Sixtus scribit Senensis, *novo & ingenti ausu primus omnium utrumque sacræ Legis Instrumentum quinq; præcipuis linguis, Hebræa, Chaldæa, Græca, Latina, & Arabica, in unum corpus, OCTAPLA inscriptum, redegit, tanto artificio, ut in singulis paginis octo columnas disponeret, in quibus omnes prædictæ linguæ, propriis characteribus expressæ,*

Augustini Justiniani Nebiensis.

totidem lineis totidemque verbis sibi correspondentes, uno eodemque aspectu cernerentur; eo videlicet ordine, quē mox recenset Sixtus, & in epistola ad Card. Bendinellū ipse Augustinus: nempe ut prima columnella textum exhiberet Hebræum, secunda versionem Latinam Hebræo verbotenus respondentem, tertia Latinam vulgatam, quarta Græcam, quinta Arabicam, sexta paraphrasin Chaldaicam, septima translationem Latinam Chaldææ respondentem, octava denique brevia scholia, vel brevissimas annotationes. Ceterum quæ ingenti non minus labore quam ausu ita paraverat Nebiensis, lucem publicam non viderunt, præter Psalterium, Leoni x dicatum, quo postea in addiscendis Arabicæ linguæ elementis usus fuit celeberrimus ille Nicolaus Clenardus. Ex Novo Testamento in universa quatuor Evangelia Octaplum, ipsa auctoris manu atramento minioque descriptum, vidisse se ait Senensis. De translatione Nebiensis ita Huetius, de Interpretatione lib. II, 13. *Primus postremis hisce temporibus nomen suum duplici sacrorum librorum interpretatione, altera ex Ebraïs, e Chaldæis altera, celebravit Augustinus Iustinianus. Verba verbis totidem, iisque selectis, nec impuris, in utraque retulit, fidemque suam ac diligentiam doctis omnibus approbavit. Id adeo ex Psalterio ejus πλυγλώττῳ, quod unum ex immenso hoc opere, typographico labore excusum est, statuere licet. Id si indocta illa ætas majori favore excepisset, & nobiles eruditi hominis labores adjumento aliquo & opibus promovisset, universam Scripturam simili ornatu decoratam & pari interpretationum numero ab eo ditatam haberemus.*

Opus Regium. v. Secuta sunt, anno ejusdem seculi LXXI, Biblia Re-

Regia, sic dicta, quod auspiciis & sumptibus Regis Hispaniarum Philippi II edita. Prodierunt charta Regali typisque Plantinianis Antverpiæ, sub directione celeberrimi illius Ben. Ariæ Montani. Hoc opus Complutensia Biblia longe superat, non chartæ modo typorumque elegantia, sed &, quod multa habet quæ in Complutensi editione desiderantur. Exhibet nimirum in IIX Tomis, textum Hebræum Veteris & Græcum Novi Testamenti cum versione interlineari Xantis Pagnini; Chaldaicam paraphrasin integram, cum versione Latina; Syriacos N. T. libros, tam propriis quam Hebraicis literis descriptos, opera Guidonis Fabricii Boderiani; Apparatum denique magnum, duobus voluminibus comprehensum, in quibus tractatus varii ad Scripturæ intelligentiam facientes, Lexica, Grammaticæ, variæ lectiones, Tabulæ, Indices. Judicium de hoc opere Simonii vide in ejus Appendice libri III Historiæ Criticæ, & Disquis. Critic. cap. XXVII. In eodem quid desideret Andreas de Leon Zamorensis, Clericorum Regularium Minor, ex ejus anno CIↃ IↃC XIIX scripta epistola discitur, quæ inter editas junctim de Ecclesiæ Or. antiquitatibus dissertationes Epistolicas III est; ubi & vulgatam Latinam, prout in opere hoc exhibetur, plurimis scatere mendis admonet, & de inserta eidem Chaldaica paraphrasi ait, quod sit *vitiata & corrupta nimis, degenerans ab illo primo nitore & candore; plena Thalmudicis fabulis, impietatibus sacrilegis fœdata.* Patet ex eadem epistola, omnem movisse lapidē Monachum istum, ut persuaderet Michaeli le Jay, ne in cœpto jam tunc excudi opere Biblico Parisiensi pergeretur (*triumphabunt enim*, inquiebat, *Judæi, &*

patebit eis aditus ad suam infidelitatem: nemini doctorum erit acceptum, Ecclesiæ scandalosum) sed id ageretur potius, ut quam ipse Zamorensis meditabatur nova Scripturæ editio, sub titulo quidem *Bibliorum Pontificiorum*, publicaretur. *Mihi facultas concessa fuit*, scribit inter alia, *ut typis mandaretur opus a me elaboratum. Pontifexque obtulit expensas, meoque nomine* (permisit ut) *prodiret in lucem; dummodo non appellaretur Biblia Regia, sed Pontificia.* & paulo post: *Ego Dominationi vestræ spondeo intra breve tempus tradere omnia opera mea, hac conditione & lege, ut & nomine meo divulgentur, & ordinetur opus sicut designatum reperietur.*

Parisiense. VI. Parum tamen promovit hac ratione bonus ille Monachus: sed prodierunt nihilominus Parisiis, anno hujus seculi XLV, memorati illius le Jay impensis, studio autem & opera Gabrielis Sionitæ, Maronitæ, Iohannis Morini, & Abrahami Ecchellensis, Biblia heptaglotta, chartæ Imperiali, quam vocant, elegantissimis, impressa characteribus. Complectunturque ea Tomis X, præter textus & versiones quæ in Regiis jam ante habebantur, Pentateuchum Hebræo-Samaritanum, una cum versione Chaldæo-Samaritana, hujusque interpretatione Latina; Syriacam translationem Testamenti Veteris, & tam Veteris quam Novi versionem Arabicam. De his Heptaplis Parisiensibus (ita enim appellat) peculiaris extat dissertatio Ioh. Henr. Hottingeri, quæ in ipsius Analectis Historico-Theologicis est ordine II, & epistolæ Valerii Flavignii, Professoris Parisiensis. Videri possunt huc facientia in Dissertationibus Epistolicis de Eccles. Or. antiquitatibus

tibus epist. LIIX, seqq. & in vita Morini, quæ dissertationibus illis præfixa, item quæ apud Simonium habentur locis proxime citatis.

VII. Cum vero ne sic quidem satisfactum esset Anglis, qui præ ceteris Europæis linguas orientales hodie amant & æstimant, ut τὰ ὑστερήματα complerent, magnis sumptibus ex remotissimis Orientis angulis antiquissima MSS. sedulo conquisiverunt, ingentique eorum numero acquisito, de nova eaque perfectiori editione πολυγλώττῳ, etiam turbatissimis temporibus, cogitare cœperunt. Prævit solertissimus Brianus Waltonus (unde & Waltoniani operis nomenclatura) qui, adscitis viris per universam Angliam celeberrimis, paucis, quod mirum, annis tantum laborem felicissime exantlavit. Nempe prodiit sex tomis opus incomparabile Londini anno clɔ lɔc LVII. In quo quid supra Parisianam editionem sit præstitum, paucis accipe. Primo videlicet Parisiensibus Bibliis Anglicana in eo præferenda merito, quod textus & versiones, quæ ibi in diversis habentur voluminibus, heic simul per varias columnas in singulis paginis lectori objiciuntur, sic ut omnes uno intuitu aspicere, collationemq; instituere possit, sine aliorum tomorū evolutione. Deinde oppido multa Londinensis editio exhibet in Parienſi haud obvia. Sunt autem præcipue ista: I. Versio interlinearis Hebræi textus Pagnini & Ariæ Montani, II. Versio LXX editionis Romanæ secundum exemplar Vaticanum, III. Vetus vurgata Latina τῶν LXX, ex Patribus Latinis compilata per Flamin. Nobilium, IV. Ms. Alexandrinum translationis LXX viralis, e Bibliotheca Regia petitum, non longe post Concilium Nicenum de-

Anglicanum.

scriptum, v. Versionis Samaritanæ, ubi a textu Hebræo-Samaritano differt, translatio Latina, VI. Pentateuchus Persicus Iacobi Tusii, charactere Persico scriptus, cum interpretatione Latina, VII. Paraphrasis Chaldaica Ionathanis in Legem, cum versione Latina, IIX. Targum Ierosolymitanum cum versione Latina, IX. Psalmi, Canticum, & Novum Testamentum Æthiopice, cum translatione Latina. X. Evangelia quatuor Persico-Latina, XI. Liber Esther canonicus cum appendice, aliisque Apocryphis, ut Judith, Tobia, Epistola Jeremiæ, Baruchi altera, Historia Susannæ, Cantici trium puerorum pars aliqua, Maccabæorum liber II & III, Syriace, XII. Liber Tobiæ Hebraicus, tam secundum editionem Pauli Fagii, quam Seb. Munsteri, cum utriusque versione Latina. Quibus omnibus accedit Apparatus, exhibens quæ spectant ad Chronologiam, Chorographiam, descriptionem Templi Ierosolymitani, cognitionem nummorum, ponderum, mensurarum, idiotismorum & proprietatum Scripturæ peculiarium; Prolegomena item de Linguarum natura, origine, numero, mutatione, usu: de characteribus, eorumque inventione, usu, diversitate in linguis præcipuis: de Masora, Kri & Ktib: deque variis Scripturæ translationibus & editionibus. Adjiciuntur item sub operis finem variantes lectiones textus Hebraici, Chaldaici, Syriaci, Arabici, Samaritani, Æthiopici, Græci, Latini, cum diversis doctissimorum virorum in illos, ipsamque etiam translationem Persicam, observationibus, animadversionibus, collationibus; sed & expositio Hebræorum, Chaldæorum, Græcorum & Latinorum nominum Virorum, Mulie-

lierum, Populorum, Idolorum, Urbium, Fluviorum, Montium, ceterorumque locorum. Denique & hoc ad operis Anglicani inprimis facit commendationem; quod Chaldaicam exhibet paraphrasin editionis Basileensis, ab infinitis, quibus ceteri scatebant codices, punctationis erroribus liberatam, & analogiam Danielis ac Esdræ immensis Buxtorfii laboribus restitutam; quodque versiones etiam alias ex melioribus dedit exemplaribus & mss. quam unde suas expresserunt Parisienses. Ut proinde non præter rem scribat Hottingerus, Bibliothecæ Theologicæ libro 1, cap. 11: *Ego certe, ut editioni Parisiensi laudem suam publice asserui,* (puta Analect. Historico-Theol. diss. 11) *ita Waltonianam multis semper nominibus, si usum spectes, non chartam, rem ipsam, non characteres, prætulerim. Hæc enim una Bibliotheca propemodum integræ vicem subire potest.*

Simonii in Biblia Anglic. animadversio.

IIX. Invenit nihilominus in hoc etiam illustri adeo opere notissimus ille Criticus Simonius quæ virgula notaret censoria. Nempe Disquis. Critic. cap. XXVII, *Laude digni sunt,* ait, *Angli, qui paratiora, & ad usus quoslibet accommodatiora,* quam Parisienses, *Polyglotta ediderint, laude adhuc digniores, si nationum Orientalium versiones, inprimis Arabicas, quæ in eorum Bibliothecis delitescunt, meliorisque sunt notæ quam quæ in Parisiensibus sunt editæ, publici juris fecissent. Longe siquidem satius fuisset, exemplaria Pentateuchi Arabici cum obelis, asteriscis, aliisque Origenianis notationibus, quæ servantur in Bibliotheca Oxoniensi, evulgare, quam interpolatam illam R. Saadiæ paraphrasim, qualis jam in Polyglottis Parisiensibus exstabat, iterum recudere. Quodque vide-*

videtur mirabilius, constat, errores innumeros, quibus abundat Parisiensis editio, maxime in versionibus Syriacis & Arabicis, necnon in Latinis illarum interpretationibus, adhuc in Anglica eosdem conspici; neque etiam castigatos fuisse in animadversionibus Criticis, quæ in ultimum tomum rejectæ sunt. Alia prætereo, & quidem non pauca, quæ in Anglica Bibliorum editione notari possent. quippe nihil est ex omni parte beatum. In ea autem præcipue eminet Apparatus Biblicus, qui frontem libri occupat: etsi suos quoque habet nævos. Videtur enim a diversis scriptoribus concinnatus, qui diversa de eodem argumento sentientes in contraria abeunt: indeque ortum videtur, ut Vualtonus, cujus nomine opus istud prodiit in lucem, parum consentanee interdum loquatur.

Hutteriana Biblia.

IX. Præter celebriora illa, quæ hucusque recensuimus, Biblia polyglotta, opus etiam habetur Eliæ Hutteri. Id initio, anno videlicet seculi superioris XCVII, τετράγλωττον prodiit, Hebraica nempe, Græca, Latina, & Germanica linguis; postea vero idiomate auctū est Italico, Gallico, Slavonico, Saxonico. Imo N.T. ipsius cura sub hujus seculi initium Norimbergæ excusum est Syriace, Hebraice, Græce, Latine, Germanice, Bohemice, Italice, Hispanice, Gallice, Anglice, Danice, Polonice. Extant de his Bibliis judicia eruditorum peculiari epistolarum libro comprehensa. Hottingerus, loco paulo ante citato, *Ego putem*, inquit, *rarius* illud opus *in Bibliothecis reperiri, quod nec eruditorum satis aptum esset studiis, nec plebejorum vel sumptibus vel usibus. Pulchrum erat, in publica Bibliotheca ea haberi exemplaria Bibliorum, quæ probarent, nullam esse linguam Europæam, qua Verbum Dei non legeretur. In*

tot

tot veroverſiones (novas pleraſque, & quæ non eundem, quem eruditarum, quas vocant, linguarum translationes Orientalium antiquæ, ad illuſtrationem rei Theologicæ conferunt uſum, eoq; nec ab eruditis addiſci facile ſolent,) tantos impendere ſumptus, non ferebant cujuslibet res privatæ. Quod ſi vero hoc opus cum Anglicano aut Pariſienſi conjungatur, inſigne non modo Bibliothecæ ornamentum, ſed & luculentum eſt documentum, turpiter eos hallucinari, & in meridie cœcutire, qui negare audent, Bibliorum in linguas vernaculas translationem toto orbe eſſe receptam.

Biblia Bembergii.

x. Sed & aliæ ſuperſunt Scripturæ editiones hoc loco nobis ſilentio non prætereundæ. Videlicet eodem illo anno, quo inſuperſtitioſas Pontificiorum traditiones pugnare, ſtudiumque ſacrarum literarum nimiopere adhuc neglectum reſuscitare cœpit Lutherus, lucem viderunt Venetiis, opera Danielis Bombergi, Typographi celeberrimi, & Felicis Pratenſis, Theologi, (cujus hortatu & ductu Bombergus literas Hebraicas didicit, & per typographiam mirifice propagavit) Biblia Hebræa cum Chaldæo Targum, inſignium Rabinorum Commentariis, Tabulis ſectionum Legis & Haphtararum ſive lectionum Propheticarum, Articulis XIII, ſeu fundamentis fidei Judæorum, præceptis jubentibus & prohibentibns, libello de Accentibus R. Ben Aſcher, lectionibus variantibus Ben Aſcher & Ben Naphthali, notisq; Maſoreticis nonnullis, in quas vehementer invehitur Elias Levita, præfatione libri III Maſoreth hammaſoreth, ignorantiæ & cœcitatis accuſans eum qui appoſuit. Poſt hanc primam editionem ex eadem officina alia prodiit, anno ſuperioris ſe-

culi XXIIX, in qua procuranda Bombergus opera usus est R. Jacob ben Chajim, magna pecuniæ summa ad istum laborem conducti. Præmittuntur huic editioni, Præfatio jamjam memorati R. Jacob, qua de Masora, Kri & Ktib, de discrepantiis inter Talmudistas & Masoretas, de תיקון סופרים, sive Correctionibus Scribarum, deque Masoræ magnæ ordine, differitur; Indices porro capitum sive paraschioth, sectionum, ordinum partium totius Scripturæ secundum Masoretas; sed & præfatio Aben-Ezræ de ratione commentandi in Scripturam, & de quinque modis interpretandi. Eadem geminam exhibet Masoram: minorem, quæ ad latera textus singulis paginis conspicitur; & majorem, quæ partim ad finem secundum seriem Alphabeticam apponitur, cum instructione Ben Chajim, partim per singulas paginas, infra & supra textum. Denique subjiciuntur variantes lectiones Ben Ascher & Ben Naphtali, nec non libellus de Accentibus. Atque hoc opus maximopere extollit R. Elias, inque ejus laudem carmen encomiasticum composuit. Accesserunt deinde, annis hujus seculi XIIX & XXIII, duæ præterea aliæ editiones Venetæ: sed quæ a secunda isthac qua rem ipsam, nihil differunt.

Biblia Buxtorfii Basiliensia.

XI. Ceterum cum in editionibus Venetis non pauca desideraret celeberrimus ille Hebræus Johannes Buxtorfius, aliam Basiliæ, anno CIↃ IↃC XIIX, adornavit ipsemet, sistentem textum Hebraicum & Chaldaicum, cum Masora magna & parva, selectissimis item Commentariis R. Sal. Jarchi, Aben-Ezræ, Dav. Kimchi, aliorumque Hebræorum. Ubi operam dedit editor, ut textus Chaldaicus a deformitate punctationis

&

& pravitatē vocum innumerarum liberarētur, loca in Masora transposita, deficientia, pugnantia, numeris depravata, diversorum exemplarium & Concordantiarum subsidio reponerentur, restituerentur, & reconciliarentur. Ut proinde hæc editio omnibus prioribus correctior longe sit ac nobilior.

Biblia Stephani, alias Vatabli.

XII. Extat etiam opus Biblicum Lutetiæ cura Roberti Stephani superiori seculo editum, complectens textum Hebræum, translationem Græcam ex editione Complutensi, Latinam vulgatam, versionemque Latinam Tigurinam (de qua supra cap. XV, 9. seqq.) adjectis annotationibus, quas titulus hujus operis, prout anno Io LXXXVI ex officina Santandreana in tribus voluminibus prodiit, Francisco Vatablo tribuit, Hebrææ Linguæ in Academia Parisiensi Professori Pontificio, (unde ipsa etiam hæc Biblia Vatabli vulgo dicunrur) qui tamen pro suis eas non agnovisse dicitur. Et esse has notas ipsius Stephani, quamquam ex Vatabli prælectionibus auctas, in suo Animadversionum sacrarum indice observat Arn. Bootius. Tantam vero ob editionem hanc adversō celebratissimū illū Parisiensium Typographum moverunt persecutionem Sorboniſtæ, ut coactus ille fuerit, quo vitæ consuleret, mutato solo Genevam se recipere. Quam in rem Thuanus Histor. lib. XXIII, ad ann. LIX, *Indigna*, scribit, *bene merito de patria civi tot editis Ebraicis, Græcis & Latinis libris, gratia repensa est a Theologorum nostrorum collegio; qui hominem reipubl. invigilantem, & quasvis æquas conditiones accipere separatum demonstrantem, non desierunt lacessere, donec ille, vexationum injustarum pertæsus, ex necessitate consilium cepit, &, relicta*

licta patria, Genevam ad extremum se contulit. Confer, sed qui longe iniquius de hac causa judicant, Genebrardum, Chronologiæ lib. IV, & præfatione in Origenem, Bonfrerium, Præloqu. cap. XIIX, sect. II, Gretserum, tract. de novis Scripturæ translationibus cap. I, Tirinum Indice auctorum Commentario in Scripturam subjuncto. Ubi etiam, quod post discessum suum Lutetiæ in simulacro exustus sit Stephanus, narratum invenies. Qui tamen, nunquam magis se riguisse, quam ubi Parisiis ustularetur, dicere fuit solitus.

Biblia Maxima Parisiensia.

XIII. Non prætermittenda quoq; hoc loco fuit mentio Bibliorum Maximorum (ut inscribunt) cura & labore Johannis de la Haye, Parisiensis, Lectoris emeriti, Concionatoris Regii, & in Gallia Minorum Procuratoris Generalis, anno CIↃIↃC LX Lutetiæ editorum. Opus hoc ipsis XIX absolvitur Tomis; quibus exhibentur sequentia: I. loco textus Scripturæ continui sistitur Vulgata Latina, & quidem sola. II. Commati versionis hujus cuivis subjiciuntur translationes aliæ Latinæ variæ, non solum quæ secundum ipsos fontes adornatæ, sed & quæ ex aliis versionibus prognatæ, hoc est, traductiones Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, similesque Latine exprimunt, imo e Tractatoribus etiam (ut veteres appellant) sive Interpretibus & Commentatoribus tum Iudæis tum Christianis vetustis sunt collectæ. III. Subjungitur Concordia versionum, brevisque expositio literalis. IV. Sequuntur Annotationes in textum Biblicum Nicol. de Lyra, Joh. Gagnæi, Guil. Estii, Joh. Menochii, Jac. Tirini. V. His omnibus præmittuntur Prolegomena de Scripturæ sacræ majestate, antiquitate, auctoritate, canone,

&

& similibus, Chronicon item sacrum, tract. de Ponderibus, Mensuris, Monetis, Linguarum idiotismis.

Judicium de iisdem.

XIV. Ceterum quid auctorem hunc moverit, ut, extantibus jam ante tot operibus Biblicis splendidissimis, ipse nihilominus de nova ista eaq; sumptuosissima editione susciperet cogitationem, non difficile est divinare. Scilicet cum tanto ubique applausu hodie excipi cerneret Biblia πολύγλωττα, veritus, ne fraudi id esset forsan Vulgatæ suæ Latinæ futurum, hancipsam, & quidem solam, (prout nempe decebat talem Reginam, quam in augustum ἀυθεντίας thronum Patres evexere Tridentini) novo ornatu voluit prodire in publicum, eoq; tam magnifico, ut ceteris omnibus quotquot hucusque lucem aspexerunt editionibus palmam hoc nomine videri posset præripere. Quod quidem suum consilium tantum abest ut dissimulet editor, ut potius in præfatione ad lectorem aperte significet, summo jure opus hoc prodire sub Bibliorum Maximorum titulo, quippe quod non solum mole voluminumque numero Biblia Complutensia, Londinensia, Regia, & Parisiensia polyglotta, superet, sed materiæ etiam amplitudine. Nempe cum Codices illi memorati non nisi translationes suppeditent linguis eruditis, ut vocant, adornatas, novum hoc opus idioma præterea Illyricum, Gothicum, Italicum, Hispanicum, & aliquando etiam Gallicum, adjicere; ita ut versus unicus viginti interdum aut triginta versionibus sit fœcundus: cumque illi textus sacri nudas solummodo exhibeant traductiones, istud sensus insuper sententiæque explicationem sistere: ut proinde *omnibus suis numeris absoluta* merito dicere possis hæc Biblia. Imo quo minus

adhuc de editoris scopo, auctoritati Vulgatæ velificaturi, dubitares, fatetur is diserte, quod eidem tot versiones alias sociaverit, etiã eo tendere, ut ex collatione lector disceret, illam translationes ceteras omnes, cujuscunq; sint idiomatis, intelligentia sensus, puritate sermonis, veritate, superare.

XV. Quamvis autem justo hujus editionis pretio detrahere nolim, id tamen tacere non possum, grande παράδοξον videri, quod Biblia hæc reliquis omnibus, quæ hucusque prodiere, debeant præferri; Biblia, inquam, ne ipsum quidem textum originalem, Hebræum Veteris & Græcum Novi Instrumenti, sistentia, illis, quæ & hunc, & præterea Græcum LXXviralem, Chaldaicum, Syriacum, Arabicum, Samaritanum, Persicum, Æthiopicum, exhibent. Nam quod dicit auctor, suum opus non illas tantum quas Biblia polyglotta, sed plures etiam præbere translationes, indeque palmam ipsis merito facere dubiam; palam est quam vana sit jactantia. Neque enim ipsas illas memoratas versiones in suo quemque idiomate inveniet lector, Biblia Maxima si evolvat, sed harum solummodo interpretationem Latinam, quam certe nec Angli in suo prætermiserunt opere; ut ne hoc quidem nomine Biblia illa Parisina aliquid habeant peculiaris. Et si maxime versiones istas in suis linguis daret auctor, præterque eas nescio quot alias, adhuc tamen ejus editio, quippe destituta textu Scripturæ originali, omnibus cederet Codicibus πολυγλώττοις. Ni forte Biblia Maxima ex editoris intentione solis inservire debeant Pontificiis, qui, cum Vulgatam Latinam pro authentica habeant, fontibus æquo possunt animo carere. Translationes vulgares & Commentaria quod in operibus πολυγλώττοις desiderantur, si ipsa Bibliis Maximis facit inferiora, adjicias illis licet Biblia Hutteriana (de quibus supra num. IX) Bibliaque Anglorum Critica, & quid desiderabitur amplius? Imo si in operis mole Tomorumque numero aliquid situm momenti, sex Tomis Bibliorũ πολυγλώττων Londinensium, præter ea quæ jam dixi, adjunge, non tantum Annotationes Lyræ, Gagnæi, Estii, Menochii, Tiri-

Tirini, (quibus Hayena editio superbit) sed & quidquid amplius in orbe Commentariorum extat Biblicarumque expositionum: adjice, quæ de Scripturæ sacræ sensu, majestate, antiquitate, auctoritate, canone, obscuritate & perspicuitate, deque linguarum idiotismis, origine Versionum, ponderibus, mensuris, chronologicis, similibusque, a tot viris doctis disputata & observata hucusque prodierunt, & opus habebis Biblicum, non Voluminum novendecim, sed innumerorum. Neque enim, quod ab eodem editore in certos Tomos hæc talia non sunt digesta, nec eodem tempore typisque iisdem expressa, rei ipsi derogare potest, vel impedire, quo minus pro arbitrio corpus inde Biblicum quis constituat.

XVI. Quod porro credit auctor, ex suis Bibliis lectori posse patere, Latinam vulgatam omnes versiones reliquas, in quocunque linguarum genere habeantur, intelligentia sensus, puritate sermonis, veritate, superare, auditu perquam est mirum. Etenim qui potest istius operis beneficio antiqua Latina comparari cum translationibus Orientalibus, quarum ibi ne unica quidem lectori sistitur? Nam ex interpretatione Latina versionum Orientalium, quas in Bibliis suis auctor exhibet, de puritate & perspicuitate ipsius idiomatis Orientalis, Chaldaici v. g. aut Syriaci, velle judicare, nimis certe ineptum foret & ridiculum.

XVII. Deinde, quantum auctoris jactantiæ de perspicuitate, puritate, & veritate textus Latini vulgati sit tribuendum, non modo docere possunt quæ supra cap. XII, XIII, XIV, a nobis disputata; sed & evidenter ostendit contraria ipsorummet Pontificiorum aliorum confessio, quam dedimus cap. X, 20. Et quandoquidem (id quod mirari inprimis subit) etiam ratione ipsius puritatis sermonis versionibus Latinis ceteris Vulgatam suam præferre non dubitavit editor, cujusmodi illa sit puritas, lectori ob oculos ponat specimen, quod, ex notabilioribus Vulgatæ elegantiis in modum centonis contextum, citatis in margine locis unde verba phrasesque petitæ, Hunnius noster exhibet Examin. Bellarm. lib. II, cap. XIV. *Deus intentator est malorum; odivit enim impios, & non contitur illis;*

mi-

memoratur autem piorum. Ergo vos, o ignavæ ventres, Monachi, qui sub capitio estis intrasiles, & oleati, attendite. Vos apparescitis quidem deforis sancti & docti; sed ab intus estis indocti & infruniti. & nota est vestra ineruditio & malitia, quam docet vos ociositas. Scopite autem spiritum vestrum, & pœnitemini: odite malum; desinite inimicari, & cessate Evangelium oppugnare gratis, nec angaritate Lutheranos ad falsam doctrinam vestram: sed meliora horum facite quæ feciſtis, ut fructum plus afferatis, & impleamini bonorum. Alias surget Deus, & sagittas suas ardentibus efficiet, & scopabit vos in scopa terens. Tunc partientur famelici milites substantiam, & insuspicabiles viri metibuntur agros vestros, & quod reliquum est in monasterio, consummabunt. Vos autem bene plagati stabitis foras portam, quasi crapulati a vino, & aporiati, & ex tunc insubsidiati & inauxiliati pulsabitis per ter in idipsum. Non intromissi, murmurabitis, & curretis passus mille & alia duo. Sic excluſi, manicabitis in magno frigore ad Papam, & dicetis illi: Sanctissime Pater, viri abominati & incredibiles emigrarunt nos ex monasteriis nostris. Tunc Papa dicet: Dilecti filii, vos o creaturæ meæ, qui in præsentiarum naufragaviſtis, estote patientes, neque zelate ipsos. Qui enim me confusus fuerit, & ego confundar illum, & iterum nocebo illum. Sed satis nunc, pro instituti ratione, de his quoq; Bibliis.

FINIS.

ADDENDA

Pag. 3. lin. 4. post, *quæst.* IV, adde: C. Frassenius, Sorboniſta, Disquiſ. Bibl. lib. II, cap. I, 3. pag. 28. lin. 8. adde: Plura eam in rem qui desiderat, Thomæ Bangii Cœlum Orientis legat pag. 150. seqq. ubi fuse de hoc argumento agitur. pag. 41. lin. 15. post, *cap.* XVI, adde: C. Frassenii Disquiſ. Bibl. lib. II, cap. V, 2. pag. 43. lin. 8. adde: C. Frassenium Disquiſ. Bib. lib. II, cap. V, 3. seqq. pag. 88. lin. 3. a fin. adde: Imo habet vetustissima translatio Gothica. Vide infra cap. XXIX, 5 pag. 135. lin. 9. post, *jungas*, adde quæ ex Cano, Valentiano, Svaresio, observat C. Frassenius, Doctor Sorbonicus, Disquiſ. Bibl. lib. II, cap. VI, §. IV, item.

us, infinitè dignus Jehova, ὁ λόγος, in ſua
& puriſſima in ſuam Divinam hypoſtaſin inſi-
erſonalem aſſumpta & infinita ſua virtute Di-
bis paſſus & mortuus fuit, totamqve Divinam
levit, omniaqve hujus ſuæ carnis ἴδια ſibi re-
onæ ſuæ appropriavit. Potentia illa Divina,
Divinis ἐνεργείαις in officium ſuum Mediato-
ſecundum Divinam ſuam voluntatem (cui hu-
a, licet ab illa diverſa fuerit & etiamnum ſit &
Potentia illa Divina, qva meritum ipſius eſt
le, eſt infinitè ſanctum, infinitè bonum, infi-
ioſum, infinitè perfectum & infinitè dignum.
, qvæ immenſum habet robur & infinitam effi-
noſtra, qvibus infinitum DEum offenderamus,
a, ad infinitam DEI iram nobis tranqvillandam,
vincendum, ad regnum ipſius evertendum, ad
m nobis recuperandam, ad Spiritum S. nos illu-
s gratioſe habitantem nobis impetrandum, ad
eniqve in tempore ad vitam beatam gratiæ, &
o ad ad vitam beatam gloriæ.

A ſive DECRETUM Divinum (ἡ βουλὴ τοῦ Θεοῦ)
actus ille Divinæ voluntatis, qvo DEus aliqvid
ſecum conſtituit, qvi alias etiam dicitur pro-
itio & ordinatio Divina. Decretum DEi qvod
ad DEum eſt ipſa ſapientiſſima DEi voluntas, u-
va uno intuitu omnia ab æterno vidit, voluit,
Syſtematibus & Compendiis Theologicis in Art.
butis ex profeſſo agitur. Decretum illud, qvod
itur à Theologis, nominatim, *Joh. Ad. Oſian-*
rſtem. P. IV. loc. II. th. 1. p. 3. & *Rappolto* in opp.
e, & qvidem ita, ut primum fuerit de homine
homine in integritate conſervando, tertium de
endo & qvartum de reſtituendo genere humano:
od eo ordine decreta in DEO multiplicemus, ac
eret creationem, alter actus redemptionem, &
& ſimplex actus ſit hæc omnia decernens. De-